CORPUS REFORMATORUM.

VOLUMEN XLI.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XIII.

BRUNSVIGAE
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.
(M. BRUHN.)
1875.

JOHNSON REPRINT CORPORATION
NEW YORK AND LONDON

MINERVA, G.m.b.H.
FRANKFURT AM MAIN

First reprinting, 1964

Printed in the United States of America

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS,
ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS
INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN XIII.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1875.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/corpusreformator0041vari

THESAURUS

EPISTOLICUS CALVINIANUS

SIVE

COLLECTIO AMPLISSIMA

EPISTOLARUM TAM AB IO. CALVINO QUAM AD EUM

SCRIPTARUM

QUAS MAXIMA' EX PARTE E CODICIBUS MANUSCRIPTIS ERUTAS

ADDITISQUE PROLEGOMENIS LITERARIIS

ET ANNOTATIONIBUS CRITICIS ET HISTORICIS ILLUSTRATAS

EDIDERUNT

EDUARDUS CUNITZ ET EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN IV.

THESAURI

EPISTOLICI CALVINIANI

TOMUS IV.

EPISTOLAE AD ANNOS 1548 (IUL.)—1550 PERTINENTES.

MDXLVIII.

1042.

HALLERUS BULLINGERO.

Lausannensium causa adhuc in suspenso est, forte ideo ut pro tempore metu contineantur in officio. Iam clarius et mitius loqui videntur: quibus adfuturum se promisit et adversarios mitigaturum, dummodo sinceri sint.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154 olim Epp. Tom. 32. Scrin. B. fol. 70. — Simler. Vol. 67.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Domino et compatri suo colendissimo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

In tuis quaeris quomodo Lausannensis tragoedia sit composita. Qua de re haec accipe. Exspectant adhuc illi sollicite quando vocentur, et dubii haerent ignorantes et metuentes ne abdicentur ministerio. Interim dum timent hoc pulchre revocant et exponunt ea clarissime, sincerissime, familiarissime, quae prius et docuerant et disputaverant, si forte vel sic exponentes suas sententias apud ecclesias et officia sua manere possint. Ita retulit mihi quidam bonae fidei vir. Nec puto sine causa fieri singulari, quod illorum ita suspenditur negotium.[1]) Multo enim clarius nunc agunt dum timent, quam si iam de conditionibus suis certi essent. Certum tamen est eos aliquando vocandos esse. Sunt certe a nostra parte aliqui diutina illa concertatione nimium commoti et exacerbati, qui vellent omnes indiscriminatim abdicatos esse. Quos ego, quantum possum, mitigo, ut redeuntes ad nos colligant potius quam reiiciant, emendent prius quam condemnent. Fuit hic mecum hisce diebus D. *Viretus*. Attulit etiam mihi a *Calvino* literas.[2]) Cupiunt habere pacem nobiscum. Praecipue *Viretus* admodum familiariter mecum egit. Pauca habuit quae in expositione illius moderanda potius quam reprehendenda viderentur. Apparet vir pius esse et non male sentire, modo hoc sentiat in animo quod profert labiis.[3]) Queritur se nimium iniquis premi suspicionibus. Ego promisi illis omnibus omnem operam meam si integri esse velint. Quod si vero sentiam illos imposituros esse nobis, aut non bona fide et aperte omnia agere velle, me plus quam alios adversaturum illis esse. Atque ita haeret adhuc illorum negotium. *Viretus* propter aliam quandam adfuerat causam,[4]) ut huius nulla sit mentio facta, praeterquam quod a Cos. *Negelino* graviter increpatus sit.[5]) Ubi tamen modeste se excusavit et non sine gratia illius discessit. — — — — — — — Bernae 9. Iulii 1548.

T. t. I. Hallerus.

1042. 1) *Scil. non penes Kilchmeierum erat ut brevi manu eiicerentur. Senatus sane politicis rationibus motus aliam viam ingressus est.*

2) *Vide N.* 1041 *post not.* 9.

3) *Memineris Hallerum satis recenter Bernam venisse, et res et homines vix noscere potuisse.*

4) *N.* 1032.

5) *Fortasse vehementius de Mercero aliisque questus.*

1043.

CALVINUS FARELLO.

Status rerum Genevae usque anceps. Fallesius Farelli opinionem de se ipso sinistram suspicatur. Is non ipsa in urbe domicilium eliget.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 222. Exstat praeterea recentius descripta in Cod. 111, fol. 190; Bernae in Epp. VII. p. 906 et ap. Simlerum Vol. 67.)

Fidelissimo Christi Domini nostri servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Poterat quidem *Barbarinus* de ecclesiae nostrae statu plura narrare quam scribere mihi in praesentia vacet. Quia tamen literas secum auferre voluit non fuit recusandum quin illi satisfacerem. Video adhuc pugnandum esse, nec finis apparet, donec prorsus fracti hostes fuerint, quorum incredibilis est tum improbitas, tum impudentia. [1]) Animos facit eorum socordia aut certe ignavia qui boni censeri volunt. Nihil enim fere in omnibus est cordis. Itaque nondum tentatis remediis desperant, quum tamen et numero vincant et causa, populumque habituri sint faventem suae causae, si eo ventum foret. Nunc timendum ne Dominus eorum cessationem graviter puniat, quod denunciando non adeo multum proficimus.

Nihil hic praeterea novi, nisi quod nuper, quum ad *Fallesium* venissem, [2]) mihi indicavit se vereri ne qua de se animo tuo sinistra suspicio insideret. Retulit enim quod de edenda fidei confessione Morgiis praeceperas. Ego hominem molestia liberavi: respondi enim temporum rationem abs te habitam fuisse. Caeterum quod paulo ab urbe longius domicilium elegit permissu meo factum est, quia aegre adduci poterat ut mox urbem recta intraret. Usus autem illi erit aptior magister. Vale, frater et amice integerrime. Dominus tibi adsit ac labores tuos benedicat. Fratribus et familiae tuae plurimam salutem. Genevae 10. Iulii 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1044.

VIRETUS CALVINO.

Narrat quid Bernae egerit et quomodo ibi exceptus sit. Sperat negotium suum prospere habiturum esse. Denuo monet literas ad Bullingerum mutandas esse.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 76. — Alia exemplaria in Cod. 116, fol. 104, Bernae in epp. VII. p. 903, et ap. Simlerum Vol. 77.)

Fidelissimo Iesu Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Quid Bernae egerim scribam alias latius, quum plus otii nactus fuero. Hoc solum te in praesentia scire volui, bonam esse spem de exitu negotii nostri. Omnes utriusque partis me humanissime exceperunt. *Hallerum* conveni, de quo mihi bona spes est. Salutavi per occasionem *Iodocum* et *Ebrardum*, quia mihi forte in via facti sunt obvii. Non sum cum iis diu colloquutus, quia non ferebat tempus. Non fuerunt autem in me tam feroces, sed omnia officia obtulerunt. Ego, si per negotia licuisset, et opportunum esse iudicassem, cum illis expostulassem: sed malui in aliud differre tempus. *Hallerus* te salutat plurimum, et se brevi ad te scripturum recepit. Dimissus sum a senatu die Saturni proximo: [1]) quem tamen insumpsi in colloquiis cum amicis, quia quamdiu fuimus occupati in recognoscendis illis disputationibus, de quibus ad te scripsi, nullum fuit otium. Donatus sum sex aureis nummis cum sumptibus. Meus *Ludovicus* [2]) scriba non magnam laudem assequutus est ex sua transscriptione: nam adeo fuit audax et arrogans, ac sibi sapiens et confidens, ut multis in locis exemplar corruperit, dum sua voluit autoritate corrigere et pro arbitrio quae voluit mutare, addere, detrahere aut invertere. Taceo quae omissa sunt ipsius incuria et negligentia. Rediens transii Neocomo, idque senatus iussu ut dispicerem apud *Farellum* num quaedam quae in meo exemplari desiderabantur ab exemplari *Farelli* resarciri possent, quamvis ea non sint magni momenti. Salutant te *Farellus* et *Christophorus*. Non dubito quin negotium nostrum transigi possit aequa aliqua conditione. Vereor tantum ne liber meus de ministerio editus novas pariat mihi turbas [3]) hoc tempore, quo nihil est tam moderatum et simplex quod non trahatur in sinistram suspicionem. Iacta tamen est alea. Nescio an ei praefixa fuerit epistola quam ad te miseram. [4]) Velim, sive praefixa sive omissa sit, tuum super hac re audire consilium. Et si mihi unus sit liber offerendus [5]) quid mihi sit consilii ea in re sequendum. Alia sunt quaedam de rebus nostris quae tibi malim in aurem dicere quam scripto committere. Salutat te *Robertus*, Orbanus

---

1043. 1) *Circa initium mensis Iulii Calvinus in concionibus graviter in quosdam invectus oblique ipsum magistratum petere visus est ideoque ab hoc paulo strictius admonitus. (Reg. du Conseil. 9, et 16. Iul.)*

2) *Qui ergo tunc tandem advenerat et in vico Vegiacensi pedem fixerat. Saltem hoc primum est huius migrationis vestigium. Quod fugit Bonnetum V. D. Vide infra ad N.* 1047. *Quae de Fallesii suspicione dicit explanata habebis in ep. C. ad Farellum N.* 1066.

1044. 1) 7 *Iulii.*

2) *Ipse Mercerus qui scribae vicibus olim Lausannae functus erat.*

3) *Nec absque causa hoc timebat.*

4) *Vide N.* 1048.

5) *Sic et apographa. In autographo dubia lectio et fortasse legendum:* afferendus.

minister,[6]) cum suo diacono et nostris omnibus. Hodie Lausannam repeto. Saluta uxorem cum fratribus et symmystis tuis. Vale. Orbae 10. Iulii 1548.

Tuus Petrus Viretus.

Mitto ad te *Sulzeri* literas[7]) ex quibus cognosces de ipsius statu et Germaniae quaedam. Eas ubi legeris cura remittendas, ut commodius ei respondere queam prima quaque occasione. Quod ad literas tuas ad *Bullingerum* attinet, vide num fortasse magis expediat illa ipsa a me scribi quae tu scribis, et meo nomine, ut minus offendantur. Nam certo scio futurum ut *Gualtherus* moleste ferat si ea legerit quae abs te scripta sunt. Poteris scribere ad *Bullingerum* quae videbuntur magis ad rem facere, et literis convenire quas ad te scripsit. Reliqua, si videbitur, ego tuo et meo nomine praestabo. Vale iterum et super hac re tuam mihi sententiam significato.

1045.

BUCERUS CALVINO.

Iam venit summa dies et ineluctabile fatum ut apud se quisque deliberet utrum omnia pro Christo, an Christum ipsum perdere malit.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 373, Laus. p. 418, Hanov. p. 468, Chouet p. 512, Amst. p. 233.)

Ora Dominum pro nobis. Legati adferunt nostri[1]) qui nudius tertius redierunt ea, ut nihil supersit medii, quam aut Antichristum totum recipere et eidem cuncta restituere, seque ipsos ei in extremam servitutem addicere, atque ita se et sua omnia perdere et hic et in futuro: aut statim cuncta ista in praesens extremum discrimen adducere. Dominus det suis videre quanto praestet perdere omnia pro Christo, ut et hic inveniant centuplum cum persequutionibus, et in futuro vitam aeternam, quam perdere omnia cum Christo, hic et in futuro. Collegae fortiter perstant, multique cum illis ex omnibus ordinibus. Vos intendite preces pro nobis cum ecclesiis vestris ardentissime. Optime Vale. 10. Iulii.[2])

Tuus Bucerus.

1046.

BULLINGERUS CALVINO.

Antidotum contra Synodum Tridentinam gratus accepit, alios autoris nuper editos libros habere cupit Turici non prostantes. Hallero moderante turbas Bernenses brevi sedatum iri sperat. Miserum Germaniae statum deflet et Calvinum hortatur ut contra Interim scribat.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 232. — Simler. Vol. 67.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fideli ministro fratri carissimo suo

Genff.

S. D. Superioribus diebus Geneva veniens Gallus quidam studiosus Antidotum tuum contra Tridentinae synodi decreta tradidit. Pro quo maximas ago gratias. Sed quoniam promisisti illa quoque quae apud vos excusa sunt contra Libertinos, et Commentarios in secundam ad Corinthios, in epistolam ad Galatas Ephesios Philippenses atque Colossenses, dubito an librorum istorum sis oblitus, an dederis Gallo isti qui in itinere amiserit. Oro itaque ut illos tuos libellos mihi mittas. Non postulo ut dones, neque enim ita impudens sum ut uno accepto beneficio alterum postulem, sed pretium libenter numerabo. Apud nos non exstant, nec quisquam est apud nos qui viderit. Quod si alterius opera uti possem ad comparandos illos mihi profecto non essem tibi alias occupatissimo molestus. Obsecro, boni consulas meam audaciam et hactenus mihi inservias.

Spero D. *Hallerum* ea usurum moderatione apud Bernates ut turbae pulchre subsidant. Oro autem Dominum ut spiritum cordi hominis liberalissime infundat, cuius instinctu omnia ad gloriam nominis Christi et utilitatem ecclesiarum faciat.[1])

6) *N.* 728. *Eundem fuisse hunc credideris ac Rob. Louat olim canonicum in dioecesi Tricassensi in Campania qui Orbae obiit a* 1558, *teste Pierrefleur p.* 311 *et* 348.

7) *deperditas.*

1045. 1) *Legati Argentoratenses, quorum antesignanus Iac. Sturmius erat, d.* 28. *Iunii Augustae cum Granvella de conditionibus pacis egerunt. Die* 9. *Iulii relationem fecerunt suam ad senatum. Cf. Roehrich* II. 189, *Sleidan* III. 122. 137.

2) *De anno ex supra dictis satis constat.*

1046. 1) *Ep. Calvini ad Bullingerum d.* 26. *Iunii scriptam a Vireto Genevam remissam fuisse memineris. Haec ergo quum scriberetur illa nondum Turicum advenerat.*

Quid autem dicam tibi de ecclesiis germanicis? Interierunt pleraeque interemptae per Interim impium Caesaris. Conflavit enim formam religionis corruptissimam Caesar, in qua missam, intercessionem divorum, orationes et oblationes pro defunctis, usum imaginum in templis, septem denique sacramenta servanda statibus proposuit. Adiecit minas saevissimas.[2]) Cesserunt itaque loco urbes praesertim et receperunt formam illam impiissimam. Augusta recepit 26. Iunii.[3]) *Musculus* ergo desertus ab ecclesia se ad nos contulit.[4]) Defecerunt vicinae urbes omnes. Optimus et doctissimus *Brentius* aegre evasit cruentissimi lupi manus.[5]) Domino sit gratia qui illum nobis servavit. Defecerunt Ulma, Neroberga, Memminga, Cambodunum etc. Argentina, Constantia et Lindovia perstant adhuc. Perstant adhuc pauci aliquot principes. Intelligo et *Philippum* animosiorem factum iam melius et liberius dare consilium. Audio D. *Bucerum* fortiter impugnare Interim.[6]) Utinam excitetur tuus quoque spiritus qui scribas antidotum contra Interim.[7]) Si cares exemplo, fac sciam, mittam brevi. Et praestaret quidem viros doctos contra abominationem illam scribere, quo confirmarentur rursus pectora pavitantia. Oremus quoque Dominum ut erigat lapsos et fraenum ponat in rictum illius cruentae bestiae, ne quo libet progrediatur. Comitia finita sunt ultima Iunii. Discesserunt principes. Quid facturus sit Caesar Augustae ignoratur. Utinam non descendat Argentoratum. Dominus misereatur ecclesiae suae afflictissimae. Vale aeternum cum D. *Farello* et bonis omnibus. Tiguri 14. Iulii anno 1548. Salutant te fratres.

H. B. tuus.

2) *De Interim v. Sleid.* III. 104. *Bieck, dreyfaches Interim p.* 266.

3) *Salig, Hist. der Augsp. Conf.* I. 583. *Ranke, deutsche Gesch.* V. 46.

4) *Sleidan.* III. 113. *Salig l. l.*

5) *Sleid. ibid. Hartmann u. Jaeger, Joh. Brenz.* II. 153.

6) *Roehrich* II. 191.

7) *Edidisse anno sequente non est quod te moneamus.*

1047.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Contrat de mariage et noces de Mademoiselle de Wilerzy.

Signature autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, f. 78. Éd. d'Amst. p. 172. Éd. Bonnet. I. 254. Trad. angl. II. 159.

A Monseigneur Monsieur de Falaiz.

Monseigneur,[1]) ie croy quil vauldra mieulx que ainsy soit. Sil eust este possible de parler ensemble pour le contract,[2]) ie leusse bien desire. Mais ie ne scay, sil vous viendra a poinct de venir ceste semaine. Tant y a que lhomme offre, en cas quil laissast sa femme veufve sans enfans, quelle ait mille escuz. En cas quil luy laissast des enfans, quelle en eust la moictie, a telle condition que si elle se marioit apres, et eust aussi enfans du second mariage, quelle ne les peust advancer non plus les premiers. Lassignation presente se fera sur linstrument de Paris, avec promesse quand il aura retire son argent etc.[3]) Il mest advis que son offre est assez liberale. Car il est mesmes bon que le mary retienne quelque bride en sa main.

Des nopces lespere que nous en ferons bien. Il faudra quil y ayt quelque compagnie, mais non pas multitude. Et encores ce ne sera point pour vous presser. Car il fauldra assigner les logis.[4]) Ie pense que dix personnes en feront la raison, entre lesquels ie me compte. Pour ce que mon frere nest pas icy, ie ne scay si on pourroit faire tenir lettres a Dole et Basle.[5]) Ie croy bien que ouy, quant elles seroient icy pour tout le iour de demain.

Iavoye oublie du voiage[6]) de France. Cest de vous dire que ie ne le trouve point hastif. Et encore ce nest point pour ce quil a de liquide, mais pour solliciter quelque advantage par dessus. Ie desire bien quil plaise a Dieu de vous amener pour boire du vin sur le lieu, et bien tost. Si le porteur fust party plus matin, vous en eussiez eu un

1047. 1) *M. Bonnet dit:* M. de Falais était sur le point de quitter Bâle pour aller se fixer à Genève. Il y arriva sans doute à la fin de Juillet. *Ceci est une erreur. Nous venons de constater par la dernière lettre de Calvin à Farel qu'il était établi à Veigy dès avant le* 10. *La présente en fournit la preuve la plus évidente. Elle est du* 17 *et M. de Falais l'a reçue le même jour. Plusieurs autres passages prouvent que les communications pouvaient être journalières. Calvin veut être de la noce et cette noce évidemment doit se faire au premier jour et dans le voisinage. Il dit ne pas savoir s'il trouvera moyen de faire parvenir une lettre à Bâle. La présente n'est donc point à cette destination, et M. de Parey est allé hier se rendre auprès de M. de Falais.*

2) *Nous admettons que M. Bonnet en songeant ici à Mlle de Wilerzy a pu deviner juste. Cependant cela n'est pas absolument certain. Quant au prétendant, M. Bt. nomme M. de Montmor dont il avait été question dans la lettre du* 10. *Sept.* 1547. *Mais ne serait-ce pas plutôt M. de Parey* (*N.* 881 *et* 912) *qui hier même allait à Veigy?*

3) *Au lieu de:* etc. *M. Bt. a lu:* costé. (*Amst.*)

4) *Pour le nouveau couple.*

5) *Pour inviter les gens de la noce?*

6) *M. Bt. a lu:* voyageur, *et a cru y reconnaître le fiancé. Mais comment C. dirait-il qu'il l'a oublié? Il s'agit d'un achat de vin.*

flascon. Sil y avoit un moyen de vous en departir la moictie, il ne seroit poinct espargne, mais quant ien ay prins conseil, iay trouve que non.

Sur ce, Monsieur, apres vous avoir faict mes recommandations a vostre bonne grace, et de Madamoiselle et de toute la maison, ie prieray a nostre Seigneur vous avoir en sa garde. De Genefve, ce 17 de iuillet. [7])

Vostre humble frere et serviteur,

Iehan Calvin, couche.

M. de *Ballesan* mavoit requis par lettres, de regarder sil pourroit estre secouru par vous. Luy faisant des excuses plus que a demy pour vous, iavoie toutesfois este contrainct de luy promettre vous en escrire. Ce que iavoie delibere de faire hier par Monsieur de *Parey*. Mais il oublia de venir, tant il estoit haste de faire sa iournee.

1048.

CALVINUS VIRETO.

Epistolae ad Bullingerum alterum exemplar iam castigatum mittit. Praefatio Vireti ad senatum a typographo vel per negligentiam vel de industria omissa.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 223. Conf. Cod. 111[a], fol. 16 v. et Cod. 111. fol. 191, Epp. Bern. VII. p. 908, Simler. Vol. 67.)

Eximio Christi servo Petro Vireto fratri et amico carissimo.

S. Locos in epistola ad *Bullingerum* qui tibi minus placebant correxi. Curabis ergo hoc novum exemplar illuc perferendum. Bernae te humaniter fuisse exceptum gaudeo. Si tibi vacaret nos invisere, duplicares gaudium ea narrando quae literae non capiunt. Liber tuus sine praefatione exiit, neque id meo consilio, sed praepostera *Girardi* et sociorum festinatione. Quia autem iam pretium statuerant, animadverti non libenter novum sumptum facturos ex quo nihil sperarent. Perstiti [1]) nihilominus in sententia ut quamprimum adderent. Sed quum simulassent se persuasos, sibi potius obsequuti sunt. Accessit etiam, ut opinor, altera ratio, quod verentur ne tempus commentariis meis [2]) excudendis suppetat. Et tamen nescio qui factum sit ut tibi remissam praefationem intellexerim, me inscio et inconsulto. Haec tantum eo dicta sint ut me excusatum habeas.

De nostris certaminibus [3]) scio *Raymondum* tibi narrasse. Ex *Gaucherio* nunc audies quem finem habuerint. Si tamen finis vocandus est, ubi in hostium gratiam, qui bis fractos se videbant, sunt abrupta. Vale, donec te videam. Dominus Iesus una cum tota familia te servet. Fratres et uxorem aliosque amicos, et in his D. *Montanum*, [4]) saluta diligenter meo nomine. 18. Iulii 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1049.

VIRETUS CALVINO.

Praemissis nonnullis de Molinaeo quodam, comparationem instituit inter Bernensium et Genevensium regimen ecclesiasticum, tum graviter de Girardo queritur.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 77 ter recentius descripto in Cod. 116, fol. 105; in Epp. Bern. VII. p. 909, et ap. Simlerum Vol. 67.)

Fidelissimo Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae plurimum colendo.

Genevae.

S. Ut scribam ad te de rebus nostris prolixius nihil opus est. Tabellarius quo sint in statu referet quae eius sunt generis ut sine periculo narrari possint. Reliqua differo donec tecum colloqui liceat. *Molinaeus*, quae sit mea sententia super suo negotio ipse quoque referet. Nolim illum spe vana lactare. Imo vero consultius factum, meo quidem iudicio, fuisset, si statim ab initio alicui [1]) se occupationum generi simul cum suis studiis addixisset, quo non fuisset penitus a studiis avocatus. Nam minus fecisset sumptus, et ea exercitatio non illi praeclusisset viam ad ministerium, si idoneus habitus ali-

7) *Au dos:* Receu le 17. Iullet 1548. Respondu.

1048. 1) *Si revera perstitisset et fortiter voluisset, vix credendum, Girardum negaturum fuisse.*

2) *In epp. ad Timotheum.*

3) *N.* 1043 *not.* 1. *Raymondus Chauvet V. D. M. Genevensis.*

4) *N.* 980 *not.* 2.

1049. 1) *Sic autogr. Caeteri:* alieni *s.* alienis, *quod S. emendat in:* alii non.

quando fuisset, et id postulasset ecclesiae necessitas. Imo vero ea res ei fuisset ad certiorem probationem usui. Audies quid apud se statuerit: a quo sane proposito non audeo revocare. Quod ad vos attinet, valde vicem vestram doleo, quod cum tam perditis et deploratis hominibus vobis res sit. Idem est Satanas qui hic et istic turbat ecclesiam. Sed alia est turbandi ratio et alia instrumenta. Istic, quia magnus est inter vos in vestro ministerio consensus, excitat adversus vos homines quibus nihil est cum ministerio commune, qui sunt tamen valde ecclesiae et reipublicae exitiales. Hic, quia idem non potest, alia sibi excogitavit et paravit organa. Sic oportet nos omnes exerceri, ne soli quiescere videamur in universali hac omnium ecclesiarum perturbatione et devastatione.

Gaudeo quod a *Gaucherio Farello* intellexerim tibi tandem redditas fuisse literas meas quas ad te Orba miseram,[2]) quas non fuisse redditas quum a *Raymundo* vestro audivissem, merito dolebam. Quoniam tamen nondum haec res mihi satis certa est, optarim me abs te fieri certiorem.

Quum hactenus has perscripsissem adfuit *Gaucherius* qui tuas mihi reddidit, cum literis *Sultzeri* ad me ex quibus cognovi quod cupiebam. Lubens ad vos concederem, si putarem meum adventum vobis usui futurum. Sed multa sunt quae me domi cohibent. Si putas tamen aliquid allaturum fructus, ubi intellexero, captabo occasionem.

Girardo sum valde infensus quod ita me neglexerit, atque eo magis quod tuum consilium spreverit: nam si id praetermisisset tuo consilio, nullam mihi reliquisset offensionis aut expostulationis materiam, quum omnia tuo, non suo, commisissem arbitrio. Idque mihi magis dolet quod consilium meum consuli *Wattevilio* aperueram, et quod res aliter habet quam a me audiverit. Nam satis coniiciebam te non penitus omnia damnaturum, quin saltem pars aliqua libro vice praefationis quacunque ratione praefigeretur. Putatne *Girardus* cum suis, ita esse ludendum in rebus tam seriis? Non dubito quin causae quas attingis eos moverint. Sed tuo iudicio rem totam committo, num eae rationes debuerunt apud eos praevalere. Ego dabo posthac operam ut mecum non ludant amplius: nam opus tuorum commentariorum non poterat illa praefatio longo tempore remorari. Si obstitisset illi operi, maluissem librum meum totum perire. Sed fuit illis quaestus solius habita ratio, qui nulla in parte fuisset, si voluissent, imminutus. Scribis ad me remissam esse epistolam, ego vero nescio: mihi non est reddita. Scripseram quidem ut ad me remitteretur, si non excusa aut excudenda esset, ne mihi periret: quia nondum cognoveram num tuo consilio omissa fuisset. Si *Girardus* non fuisset praemonitus meis literis, priusquam liber exiisset, quum adhuc esset sub prelo, iustiorem haberet excusationem. Debuit maiorem habere mei rationem. Sed ea res ei futura est in posterum fraudi potius quam mihi.

Sed de his plus satis. Salutat te uxor mea et tuam, cui meo quoque nomine multam dices salutem, nunciabisque filiolam pulchre valere, et indies fieri vegetiorem. Mater quoque recte valet, et nos omnes. Salutant te fratres omnes officiosissime. Vale. Lausannae 19. Iulii 1548.

Petrus Viretus tuus.

2) *N.* 1044 *Nomen Gaucherii Cod.* 116 *lacuna interposita, recentiores simpliciter omiserunt. Mox iterum.*

1050.

LASCUS HARDENBERGIO.

In Britannia disputatio de re sacramentaria instituta est, et fama Calvinum eo profecturum fert.

(Paucissima excerpimus ex literis et alioquin brevioribus quas nobis exhibet Gerdesius in Scrin. antiq. II. part. 2, p. 644 et post eum Kuyperus Tom. II. p. 616.)

Contentio sacramentaria coepit illic[1]) exagitari per quosdam, estque instituta ea de re publica disputatio, ad quam magnis multorum precibus vocor.[2]) *Bucerus* exspectatur, Franciscus noster *Dryander* iam adest, et de *Calvino* mussatur,[3]) nisi quod Gallus est. Argentinae nulli motus erant, sed illud Interim non receperunt, nec recipere volunt. Imo ne Augusta quidem, neque Norimberga. Alia nulla. Vale. Emdae 19. Iulii anno 1548.

Nosti manum.

1050. 1) *In Anglia.*

2) *A Cranmero literis* 4. *Iulii datis, quae leguntur in edit. Soc. Parker.* II. 421.

3) *Mireris unde emanare potuerit talis rumor: Calvinum in Angliam iturum ut de re sacramentaria disputaret, et rem ideo tantum dubiam esse quia Gallus esset.*

1051.

VIRETUS BULLINGERO.

Transmittit ei literas Calvini. Plura ipse ad Gualtherum. Si quid forte durius dictum videatur, ne velint offendi.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 238. — Simler. Vol. 67.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo, fratri et symmystae plurimum observando.

Tiguri.

S. Dedi huic tabellario literas *Calvini* [1]) ad te, quas huc ad me miserat ut ad te perferendas curarem. Quia vero eum existimo, quum suis literis, tum vero eo quod nuper vobiscum habuit colloquio Tiguri, de rebus nostris fecisse vos certiores abunde, et quia super eadem re scribo satis prolixas et molestas literas ad D. Rodulphum *Gualtherum*, [2]) veterem amicum et familiarem meique amantissimum, non putavi operae pretium ut iisdem de rebus saepius te obtunderem. Quandoquidem, praeterquam quod invitus hanc causam ago, in qua necessitate cogor eorum patefacere dedecora quos mihi gratius esset laudibus ad coelum vehere, huc accedit quod, si quid est in longa mea epistola quod tua te scire referat, non dubito quin D. *Gualtherus* id tibi familiariter communicet, praesertim quum non ignorem quae sit inter vos amicitia et necessitudo. Quod si quid in ea videbitur vobis durius aut asperius dictum, ne offendamini, obsecro: quia certo scio vos ea omnia levia nimis iudicaturos fuisse, si in eadem essetis nobiscum causa, aut si exacte vobis cognita esset rei indignitas et iniuria, quae non nobis solum sed toti irrogata est ecclesiae, ab iis quibus et nostra et ecclesiae salus inprimis curae esse debuit. Sed postquam visum fuit Domino sic nos exercere, te et omnes tuos collegas et symmystas per Christum Iesum obsecro, et commune ministerium, ut detis operam his fluctibus compescendis quos nobis tam exitiales commovit quorundam importunitas et improbitas, nisi velitis nostras ecclesias maximis exponi discriminibus hoc praesertim tempore, quo nusquam ecclesiae ulla certa quies inveniri potest. Praestate vos quod estis, hoc est, pacis et concordiae studiosos. Salutant te et tuos collegas nostri omnes officiosissime. Quum plus otii nactus fuero, tuis literis latius respondebo, si id res postulat, quarum tibi nomine gratias ago amplissimas. Quum mihi primum redditae essent, non satis assequebar quorsum quaedam spectarent quorum me admonebas. Sed postquam has nobis vidi turbas excitatas, satis subodoratus sum, te non abs re ea scripsisse, et non defuisse malevolorum opera apud vos sparsas de nobis sinistras suspiciones. Sed tempus declarabit qui fuerint atque etiamnum sint sinceriores Christi ministri. Dominus Iesus te diu servet suae ecclesiae incolumem. Vale. Lausannae 23. Iulii 1548.

Tuus ex animo
Petrus Viretus.

1051. 1) *N.* 1039.
2) *Deperditas.*

1052.

HALLERUS CALVINO.

Bullingeri literas Lutetiam mittendas ei tradit. Musculi laudes, quem Bernam accersi cupit, in magnum ecclesiae commodum cuius paci ipse quoque omnem curam impendit stabiliendae.

(Ex autographo cod. Genev. 114, fol. 33.)

Praestantissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fidelissimo antistiti domino et fratri suo colendissimo.

S. Denuo tibi molestus esse cogor, vir excellentissime et colendissime frater. Mitto enim hic literas a D. *Bullingero* ad me missas, quas ille Lutetiam destinari cupit. Quum vero rarius apud nos certi sint nuncii, visum est mihi eas ad te mittere, maxime quum et alias ad te pertinentes ab eodem acceperim. Mihi ergo et illi hac in parte inservias oro. Quomodo se habeat ecclesia nostra non dubito quin mireris sollicite. Anxie laboravi pro *Musculo* nostro ut ille vocaretur huc. [1]) Cuperem enim ei denuo coniungi, scioque illum quoque hoc expetere, quantum quidem ex ipsius literis intelligo. Laboravit etiam hoc in negotio dilectus meus pater D. *Bullingerus*. Sed quid effecturi simus ignoro. Certe hactenus nihil effecimus. Suspectus est qui-

1052. 1) *Musculus Halleri collega fuerat Augustae. Cf. N.* 1046 *not.* 4. — Mense Iulio coepta est agitari causa Musculi. Non dubitavi ipsum senatui nostro commendare. Sed quoniam scripta illius in Matthaeum videbantur nonnullis esse duriuscula, et resipere quoque Bucerianismum, impetrari tum non potuit ut accerseretur. Is itaque Tiguri interea, Basileae, Constantiae et Sangalli vitam aliquamdiu traxit. (*Halleri Ephem. in Mus. Bern.* V. *p.* 80).

busdam propter scripta sua edita, quibus utinam non omnia tam suspecta essent. Certe videor mihi cognovisse eum, et scire quam dextre sentiat ea de re de qua maxima hactenus hic fuit controversia: et hoc non consuetudo tantum mea cum illo testatur, sed quotidianae literae quas ab illo accipio, quibus liberrime mutuo agimus talia omnia: tum etiam D. *Bullingerus* eadem de ipso testatur quae ego semper de eo praedicavi. Alioqui profecto neque ego ullum vellem obtrudere talem ecclesiae, quem non integrum et sincerum esse cognovissem. Neque enim mihi exigua ecclesiae cura est. Verum quum intelligo quantum gravetur suspicionibus quorundam, minus acriter insto. Scio enim quanta sit ecclesiae pestis, si suspicio sit inter fratres, et quam ipsi quoque futurum esset molestum, si intellexerit ulla se sinistra teneri suspicione. Ego interim agam quod bona conscientia possim tueri, agoque tibi gratias, frater, quod tam humaniter et pie suades, ut moderatione utar christiana in consopiendis hisce dissidiis. Certe video non alio medio hanc curari posse ecclesiam in qua omnia miserrime susque deque feruntur. Annitar quantum possum, quamvis meis viribus longe imparia incumbant onera, et incredibile sit quanta sustineam et devorem in utramque partem. Nam perturbationem inveni ecclesiarum [2]) quam putaverim me inventurum. Sed faciam ut omnes pii intellecturi sint me non dissidium auxisse, sed quantum in me fuit dissolvisse. Qua in re et tuo et aliorum piorum fratrum auxilio, solatio, suggestione, consilio et opera opus habeo, et bona fide mecum quidquid periculosum fuerit retinebo. Video simultates nostras nulla alia re tandem quam imminente persequutione tolli posse, quum ita nimium invicem exasperati sint animi, ut nullum in plerisque sanum maneat iudicium. Tollat, obsecro, ea a nobis Dominus, et det nobis spiritum unitatis et concordiae piae et christianae. Amen.

Commendo me et ecclesiam nostram tuis omniumque piorum precibus. Audio de nova quadam secta apud vos orta. Cupio ea de re plenius eruditi. Dominus sit tecum et benedicat tibi perpetuo, omnibusque Christum sinceriter complectentibus. Bernae 24. Iulii 1548.

Tui studiosissimus
Ioan. Hallerus.

2) *sic. Supplendum fortasse:* maiorem.

1053.

CALVINUS DUCI SOMERSETI.

Epistola nuncupatoria commentarii in Epp. ad Timotheum.

(Ex editione principe, Genevae per Ioannem Girardum 1548.)

Illustrissimo et vere christiano principi D. Eduardo Somerseti Duci, Comiti Hertphordiae etc. Angliae et Hiberniae protectori tutorique Regio, [1]) Ioannes Calvinus S.

Quum praeclari isti sermones, qui tum de aliis tuis virtutibus plane heroicis, tum vero de singulari tua pietate habentur, Illustrissime Princeps, tantum ubique tui amorem in bonorum omnium animis, quibus alioqui de facie ignotus es, excitent, necesse est incredibili te caritatis ac reverentiae affectu prosequantur quicunque in regno Angliae recte sapiunt: quibus non modo palam cernere quae alii audientes mirantur bona datum est, sed fructum inde percipere quantus a praestantissimo gubernatore provenire, quum ad totum populi corpus tum ad unumquodque membrum, solet. Neque enim quae constanti fama celebrantur tuae laudes vanitatis suspectae esse possunt, quasi ab adulatoribus profectae, quum in rebus tuis gestis illustre exstet earum testimonium. In privato et mediocris fortunae pupillo difficilis est administratio tutelae. Tu vero non Regis modo, sed amplissimi regni tutelam tibi iniunctam ea dexteritate ac prudentia sustines, ut successum omnes mirentur. Ac ne inter leges modo et in tranquillo reipublicae statu niteret tua virtus, eam in bello quoque spectandam proposuit Deus, quod pari felicitate ac fortitudine hactenus auspiciis tuis gestum est. [2])

Neque tamen interea tot tantaeque difficultates, quas reputare cuivis promptum est, tu expertus es, impedimento tibi fuerunt quominus instaurandae religionis curam inprimis susciperes. [3]) Cogitatio

1053. 1) *Eduardus Seymour frater reginae Ioannae, matris Eduardi* VI. *cuius tutor fuit post mortem Henrici* VIII. *Titulo protectoris ornatus regnum administravit per aliquod tempus velut αὐτοκράτωρ, sed iam m. Octobre* 1549 *ab adversariis, maxime a nobilitate, sede pulsus, tandem d.* 22. *Ian.* 1552 *supplicio affectus est, quemadmodum ipse proprium fratrem natu minorem triennio ante capitis damnaverat.*

2) *Ut in caeteris ita maxime hic Noster incaute nimia canit. Militares eius successus tales fuere ut non parum ad eius deiectionem fecerint, et vastata potius fuit Scotia quam debellata.*

3) *Revera Cranmero archiepiscopo adiuvante reformandam curavit ecclesiam, missam abolevit, coenae administrandae formulam immutavit (c. Pascha* 1548) *cultumque et liturgiam (Prayer-book) renovavit. Verum haec omnia ita*

sane non magis principe viro digna quam publico regni bono utilis. Nam haec demum stabilis est regnorum felicitas, fidelisque custodia, si is in quo fundata sunt et per quem servantur, filius Dei illis praesideat. Itaque melius rem anglicanam stabilire non poteras quam profligatis idolis purum ibi Dei cultum erigendo. Nam id fieri non potest, quin restituatur genuina pietatis doctrina, quae sacrilega Antichristi Romani tyrannide nimis diu oppressa iacuit. Quod est Christum in suo tribunali collocare. Atque hoc eximium alioqui facinus eo maiori laude propterea dignum est, quo pauciores hodie inter eos qui gubernacula tenent reperiuntur qui principatus sui insignia spirituali Christi sceptro submittant. Praeclare igitur serenissimo Regi consultum est, cuius pueritiae talis ex sua cognatione obtigit moderator. Nam tametsi indolem eius inprimis generosam omnes praedicant, tamen et formandis ad virilem constantiam eius moribus et constituendae anglicanae ecclesiae, dum aetas ipsum non patitur has obire vices, talis artifex erat plus quam necessarius. Nec dubito quin ipse iam nunc agnoscat, divinitus te sibi datum esse, ex cuius manu res ex voto compositas paulo post reciperet.

Me vero nec tanta locorum distantia nec conditionis meae humilitas impedire potuit quominus praestantissimum hunc propagandae Christi gloriae affectum tibi gratularer. Et sane, quum me unum ex iis esse voluerit Deus, quorum opera laboreque sinceriorem evangelii doctrinam hodie mundo restituit, cur non te quoque singulari Dei beneficio eiusdem doctrinae patronum ac vindicem ordinatum, qualicunque locorum intervallo sim abs te dissitus, qua possum observantia prosequar? Et quoniam non aliud huius rei testimonium reddere licebat, saltem arrhae loco hos in duas Pauli epistolas meos commentarios tibi offerendos esse putavi. Nec vero fortuitum munus quod offerrem arripui: sed iudicio elegi quod videbatur optime convenire. Hic Timotheum suum admonet Paulus quali doctrinae genere aedificanda sit ecclesia Dei, quibus et vitiis et hostibus resistendum, quam multa devoranda taedia: hortatur, ne ullis difficultatibus cedat, ut omnia discrimina animi fortitudine superet, ut improborum proterviam autoritate coerceat, ne quid hominum gratiae ambitiose largiatur. Denique in his duabus epistolis quasi in viva tabula depictum habemus verum ecclesiae regimen.

Tu, quum instaurandae ecclesiae anglicanae, quam scelerata papatus impietas, ut alias fere omnes christiani orbis, misere corruperat, strenuam operam impendas sub Regis tui auspiciis, et multos ad eam rem Timotheos in opere habeas, sancta certe vestra studia melius componere non potestis quam ad hoc Pauli quasi praescriptum exigendo. Nam neque hic quidquam habetur quod non sit temporibus nostris valde aptum, et nihil ferme rursum in ecclesiae architectura necessarium est quod non hinc etiam haurire liceat. Labor autem meus mediocre saltem adiumentum, ut spero, afferet. Quod experientia tamen cognosci malo quam verbis iactare. Tibi porro, nobilissime Princeps, si fuerit probatus, erit cur mihi plurimum gratuler. Pro singulari quidem tua humanitate, quin officium hoc meum boni consulturus sis, non dubito.

Dominus, in cuius manu sunt fines terrae, statum regni anglicani diu incolumem florentemque tueatur, Regem serenissimum tum spiritu principali ornet, tum bonis omnibus cumulet, tibique in praeclaro isto cursu det feliciter pergere, ut per te nomen eius magis ac magis propagetur. Genevae 8. Calendas Augusti 1548.[4])

1054.

CALVINUS DUCI SOMERSETI.

Fragmentum epistolae absque dubio nunquam absolutae quam non primam omnino ad D. Protectorem mittendam credideris, sed fortasse aliquo intervallo interiecto post praecedentem scriptam, postquam Noster dedicationem clementer exceptam resciverit. Quam hic inserimus, certiora non habentes, propter utriusque similitudinem.

(Fragmentum autographon praebuit Cod. Genev. 107a, fol. 291. Exstat quoque in Cod. 108, fol. 162.)

Quod mihi antea de amore erga me tuo, Vir illustrissime, quorundam et literis et sermone relatum fuerat, id famulus meus istinc reversus aliquanto uberius narravit. Tametsi autem, quod me nullis officiis quidquam de te promeritum ista benevolentia complexus es, privatim tibi valde sum obstrictus, quod me de plebe hominem tu ista amplitudine praeditus aliquo numero dignaris, huic tuae

---

ut simul ex confiscatis bonis ecclesiarum et monasteriorum sibi suisque satis amplam partem praeriperet. Ipsi eius palatio (Somerset-house) exstruendo septem aedificia ecclesiastica, inter quae duae ecclesiae maiores totidemque minores, materiam suppeditarunt.

4) *Ed. gallicae* 24. *Iunii apponunt nescio unde petita hac falsa interpretatione.*

humanitati ut gratum hominem decet, non vulgarem pretium statuo: maxime tamen quam hic erga filium Dei, cuius nomine tibi carus sum, perspicio observantiam et pietatem exosculor. Nec vero mihi dubium est, quin ad augendam et latius spargendam purae doctrinae lucem quae istic emersit, ad stabiliendum Christi regnum quod erigi coeptum est, ad ornandum ecclesiae statum, hic te affectus noctes diesque sollicitet. Audio enim quam fideliter et cordate in has partes incumbas. Imo satis luculenta sunt, vel tacentibus hominum linguis, quae quotidie edis huius rei specimina. Inprimis memorabile tuum in scholis curandis studium, ut quaedam pastorum seminaria in regno posteris relinquantur. Et recte prudenterque iudicas, etiamsi optime compositus sit ecclesiae status nisi subolescant pii riteque instituti doctores, non fore diuturnum. Utinam omnes eadem perinde cura tangeret, quo foedae et indignae ecclesiarum vastitati. . . . . .

1055.

HALLERUS BULLINGERO.

Sauciam esse in utramque partem Bernensem ecclesiam queritur, pacemque nonnisi dissimulando servari posse, maxime cum iis qui Calvinum detestantur.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32. fol. 75. — Simler. Vol. 67. Sine inscriptione.

— — — — — — — — — — — — — —

Calvino literas tuas misi. [1]) Scripsit ille mihi prius. Rescripsi nunc ego cum tuis. A nostratibus pro nebulone (tam praecipitia sunt iudicia) prorsus habetur. Multa hic mihi propter aedificationem dissimulanda. Scio quidem quantum etiam declinare voluerit. Corrigendos tamen fratres ego satius esse duco constanti mansuetudine, quam temeraria et affectuosa rabie condemnandos et reiiciendos. Hoc certum est, si scirent quidam vel ullam me ad illum scribere literam, vel ab ipso recipere ullam, statim et me in suspicionem nescio quam traherent. Haec tibi propterea scribo, colendissime pater, ut intelligas quam saucia in utramque partem haec sit ecclesia, et quam non parvos sustineam labores, dum ita dissidentes partes non magis distrahere, sed in ipsa veritate pia moderatione conciliare laboro. Orate Dominum ut huic meae intentioni et labori benedicat, ne in vanum curram. — — — — — Bernae 26. Iulii 1548.

Tui studiosissimus
Ioan. Hallerus.

1055. 1) *Quas Lutetiam transmittendas ei tradiderat, cf. N.* 1052.

1056.

HOTOMANUS CALVINO.

Immerito vir sibi observandissimus et omni sua laude maior ipsum diffidentia prosequitur, scilicet a Lausannensium uno aut altero invidiose incitatus.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 26.)

A Monseigneur Monsieur D'espeville
ou il sera.

S. Humanissime domine et pater in Christo mihi semper observande, etsi puto te meas literas nuperrime scriptas accepisse tamen quoniam id a me quodammodo postremis tuis poscere videbare, [1]) animum meum iterum aperire tibi volui. Dici non potest quantopere verbis tuis non ego tantum verum alii praeterea plus viginti commoti simus, e quibus multi etiam ipsas literas exscripserunt. Saepe etiam coactus sum eas gallicas facere. Declarant enim singularem quandam animi tui voluntatem erga eos quorum aliquam pietatem cognitam et perspectam habes. Sed me unum praeter caeteros illud magnopere affecit quod tu ad me ultro, praeterea de re adeo seria, nempe de diffidentia de me tua [2]) tam serio scriberes. Ex quo mihi quidem in mentem venit, te verbis quorundam ut id faceres adductum esse. Qui enim me, ut tute etiam fatere, non eum esse nosti cui ita diffidere debeas, nunquam id tuapte sponte faceres. Sed quinam isti sint, quum primum accepi *μολυνῶντα* nostrum [3]) eo

1056. 1) *Quae nobis deperditae eò consilio scriptae fuisse videntur ut protestantium animos varie turbatos inter imminentia pericula firmarent.*

2) *Scil. de eius in fide constantia dubitantis, sicut etiam de Balduini sinceritate.*

3) *Hoc aenigmatice dictum videtur. An de Molinaeo aliquo intelligendum? Nuperrime Viretus (N.* 1049) *talem aliquem Lausanna ad Calvinum euntem laudavit. Clar. Ictus Car. du Moulin cuius in hoc nostro thesauro mentio fiet tum temporis Lutetiae degebat.*

divertisse, cogitare destiti. Etsi autem homines eiusmodi nonnulli, nulla certe (quod sciam) a nobis unquam iniuria affecti, occasione undecunque arrepta talibus de me sermonibus delectari videantur, quemadmodum ex literis cuiusdam Lausannensis apertissime comperi, eos tamen ut homines aut ut Christianos amabimus, atque etiam, si quid aut tibi aut *Riveto* persuaserint animi se erga nos gerere benevoli, pro instituto nostro gratias habebimus. Scio autem equidem, mi pater, et magno cum moerore saepe mecum ipse cogito, quotidie multos ex iis qui spem initio maximam suae pietatis excitarant, sive illos tyrannorum saevitia deterreat, sive ipsae quidem voluptates blandissimae dominae ad somnia (ut sunt) regnorum atque imperiorum eos avocent, ab eo cursu virtutis, quem summa cum omnium laude tenere coeperant, turpissime foedissimeque declinare. Quin etiam saepe cum quibusdam hominum portentis mihi res est, quos equidem paene Mahometanos esse cogor ex eorum sermone coniicere. Quod enim nunquam fieri posse existimabam ut in mentem hominis veniret, non minus impudenter quam insipienter affirmant, illorum religionem, quoniam unum Deum adorant, et puram et probandam esse. Scio igitur haec ita ut dixi vera esse, et saepenumero magno cum dolore cogito. Verum si quis nulla prorsus alia ratione, sola garriendi libidine incitatus, de omnibus, qui aut non aeque ut isti barbati sunt aut non tam amplo et copioso patrimonio fruuntur, ut illis facultas istic vivendi suppetat, idem statuere audeat, quasi in ista aetate nostra lubrica sine prolapsione aliqua consistere alibi minime possimus, eum ego et stultum ut semper, et amentem ut saepe, rationibus convincam necessariis. Quamobrem enim tandem homines isti integerrimi religiosissimique in Angliam cogitant? An quod illic licet piis pie vivere? Atqui si nobis idem non licere affirment, foetidissime impudentissimeque mentiuntur. Non respondeo ut *Balduinus*[4]) frigide, sed fretus conscientia audacter et libere id quod res est pronuncio. Itaque mihi, mi pater, ignosces. Habet enim, ut ille dixit, quendam aculeum contumelia quem pati prudentes ac viri boni difficillime possunt. Quidquamne mihi acerbius accidere posse censes, quam quum istorum importunissima garrulitate laedi meam apud te existimationem intelligo? Testor enim Deum Opt. Max. me nunquam ne parentem quidem ipsum tanto amore ac potius pietate prosequutum, quanto te complecti, ex quo pie sentire didici, institui. Testor item illum ipsum, nihil animo meo in hac vita gratius atque iucundius accidere posse, quam si mihi ipse apud te vivendi facultatem aliquam dederit.[5]) Et quamvis ingentia pericula vobis ab Antiocho[6]) impendere non dubito, tamen si haberem (ut tecum pro tua singulari humanitate agam familiariter) aureos viginti aut plus quiddam, tibi sancte affirmo, perlubenter me atque percupide apud te, si velles, hyematurum esse. Sic enim tibi velim persuadeas verba illa tuarum ad me literarum non minus certe acria quam aurea: potius te ad beatam mortem ducere cuperem quam in misera vita relinquere, suam plane in animo meo vim atque autoritatem obtinuisse. Tametsi ut non hyemem tantum sed etiam aestatem hic transigerem, non tamen in misera me abs te vita relictum esse faterer. Precor autem Dominum ex animo ut me mille potius beatas mortes obire quam in misera vita diem unum traducere patiatur. Atqui tam multa, inquis, pericula tibi undique obversantur. Quis negat? Sed quo igitur abeam? Mene hac civitate delectari censes, in qua ne in hospitii quidem officinam ingredi vix possum quin a conspectu cuiuspiam e patris familiaribus iter forte facientis mihi metuam?[7])

Detineo te fortasse diutius quam aequum est: sed id quod initio statui, animum tibi meum aperire volui. Valde nos omnes tuae commoverunt literae. Quin ipse quoque adolescens, sane quam ingenuus et mihi plus quam credas amicus atque benevolus, G. *Tyrius*, nescio quomodo iis audiendis in tui admirationem adductus est. Verum ego praecipuo quodam modo sensi me iis affici oportere, primum quod ad me praecipue pertinerent, deinde quod videbam te in quandam de me diffidentiam excidisse. Itaque conatus sum ista satis longa oratione illam ex animo tuo eximere. Quid autem praestiterim ignoro. Dominus ipse quod volet efficiet. Caeterum eum ego imploro atque obtestor, ut notam tibi meam erga se fidem atque constantiam faciat, uti quemadmodum te hactenus instituisse facile mihi persuadeo, ita pro me apud illum proque fidei meae incremento vota facere non desinas. Bene vale, vir clarissime, praestantissime Christi minister et pater in Domino mihi semper observande. Dominus Iesus adversus nefarios impiorum omnium conatus spiritu suo te confirmet et ecclesiae suae incolumem quam diutissime conservet. Lugduni 27. Iul. 1548.

Tuus Tuique observantissimus
Franciscus HTMNS.

4) *Ex hoc loco fortassis argumentum sumere licebit Balduinum eo tempore Lugduni fuisse, cuius epistolae sine die et consule pro more venientes maxima interpreti negotia facessunt.*

5) *Antequam Lausannam vocaretur aliquamdiu apud Calvinum commoratum esse autor est Baylius.*

6) *Utrum Imperatorem significet an Regem parum interest. De re ipsa lege proximam Sulzeri.*

7) *Pater sacris pontificiis fervide adhaerens filium omni auxilio destitutum quasi eiuraverat.*

Narro[8]) tibi. In libello nostro[9]) quaesivimus occasionem ut fidei nostrae specimen, quoad licere per tyrannos existimavimus, ederemus, primum ut Mahometani sententiam meam de Christo intelligerent, deinde ut papistis istas ecclesiae vexationes magnopere a nobis improbari significarem, postremo ut pii adolescentes (ut sunt Pictavii et alibi permulti), qui nobis iudicium aliquod perlecto libello deferre poterunt, meo exemplo eo magis ad constantiam incitentur. Itaque quum de iureiurando mentionem haberemus, ac saepe miraremur etiam ethnicos esse metu divini (ut Ulpianus ait) numinis a periurio deterritos, ita faciendum esse existimavimus, ut animi nostri cogitationem paucis his versibus ederemus:

> Saepe autem equidem mecum ipse animo cogitans quemadmodum hoc quasi sacramento ac symbolo sibi Dominus ac Deus noster, creator coeli et terrae ac pater Domini nostri Iesus Christi Dei et hominis, cunctas quae sub sole sunt nationes inde usque ab ipsius orbis initiis repetita memoria perpetuo cultum atque reverentiam praestare coegerit, sentio me vehementer etiam atque etiam ad ipsius honorem et gloriam propagandam inflammari. Peto igitur ab eo ex animo propter mortem filii sui, quem confido futurum sanctissimum et iustissimum iudicem piorum et impiorum omnium, ut e manibus tyrannorum atque inprimis Epicureorum ecclesiam suam diu multumque iniuriis et contumeliis omnibus afflictam aliquando tandem liberet, ut doctrina nobis ab ipso divinitus tradita ubicunque terrarum et gentium ita praedicetur ut, quod ipse quoque olim constituit, sanctissimo praestito iureiurando testem eum omnes mortales suae conscientiae faciant, ut perfidiae atque impietatum omnium vindicem integerrimum severissimumque cognoscant.

Quod sibi aut immutandum aut detrahendum addendumve aliquid videbitur, peto a te ut me per tuas literas certiorem facias. Iterum vale.[10])

HTMNS.

8) *Sequentia in scheda peculiari caeteris addita.*
9) *Hic libellus videtur fuisse aliqua confessio fidei.*
10) *Temporum et rerum ratio in vita Francisci Hotomanni non omni ex parte certa. Nobis tamen iam constat eum m. Augusto* 1547 *Lausannae fuisse (N.* 939, *cf.* 968). *Nunc cur Lausanna relicta Lugdunum concesserit, et quidem inopia pressus ut videtur, nescimus: ea tamen Calvini diffidentia, in qua hic multus est compescenda, absque dubio aliquo modo cum ista migratione cohaeret.*

1057.

HALLERUS BULLINGERO.

Lausannensibus dies dictus. Quorum causa in peius versa est edito Vireti novo libro.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154 olim Scrin. B. Epp. T. 32, fol. 76. — Simler. Vol. 67.)

Clarissimo Viro D. Henrycho Bullingero domino et compatri suo carissimo

Tiguri.

Ad 13. diem Augusti dictus est dies Lausannensibus omnibus, ut hic coram senatu appareant et suarum disputationum reddant rationes. Cupivissem *Vireti* causam leniri: sed ecce interim, dum haec facta sunt, ipse edit libellum in lingua gallica de vi usuque Ministerii verbi Dei sacramentorumque ab illo dependentium. Ex quo libello excerpta quaedam et in linguam latinam versa ad nos transmisit *Zebedaeus.*[1]) Quibus denuo omnium irritavit animos. Sunt enim quaedam prorsus nobis contraria, quaedam dubia, confusa et obscura: quaedam, etsi vera, tamen non in tempore et loco scripta. Nam non conveniebat magis nunc irritare crabrones: ut valde metuam pro eo, nam alias pius est, ne et ipse dimittatur et ablegetur. Curabo transscribi illa capita et proxime ad te perferri. — — — — — — — 8. Augusti 1548. Bernae.

I. H. t. t.

1058.

VIRETUS CALVINO.

In eo est ut Bernam proficiscatur a senatu citatus. Interea multa et varia de diversis collegis tam veteribus quam novis.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 170.)

Optimo fratri meo et symmystae Ioanni Calvino

Genevae.

S. Hodie itineri accingor. Dominus dirigat gressus et sensus nostros in suam gloriam, submi-

1057. 1) *quem sane minus incitabat Zwinglianismus quam invidia.*

nistretque spiritum prudentiae et constantiae. Non dubitamus quin sustinenda sint nobis dura certamina, sed Dominum nobis affuturum certo speramus. Meus *Ludovicus* [1]) Berna rediit, rebus longe aliter confectis quam cupiebat. Nam stipendio suo privatus est. Quid si crimina [2]) hominis senatus intellexisset? Nunc ambit meam amicitiam et reconciliationem, cuius nomine curavit ut *Bartholomaeus* minister Luciacensis [3]) apud me literis intercederet. At ipse in meum conspectum non est ausus prodire. *Marloratus*, [4]) qui cum nostro simplici testimonio, sine ulla ad principes commendatione, nisi ad ministros, Bernam profectus erat, praefectus est ecclesiae Crissiacensi, [5]) at ea lege ut ad nos remitteretur, nostrum quoque subiturus iudicium. Sic enim scripsit ad nos *Hallerus* nomine symmystarum, quibus ita visum esse ait et senatui. Hoc sumus mirati ut insolens. Rediit et alter ille quem miseramus ut *Clementi* [6]) sufficeretur. Literas ad praefectum attulit quibus monemur, si modo praefectus recte interpretatur, aut si eius mentem assequimur, ne posthac simus solliciti de eligendis ministris. Nam oblique questi eramus quod nostrum fuisset testimonium contemptum in electione *Clementis*, et ius electionis quod nobis a Deo et ipsis quoque principibus concessum fuerat. Vide quam multa habeamus eadem opera et eodem tempore volvenda. *Franciscus* Viviacensis etiam vocatus est. [7]) *Corbelius* [8]) quamvis non sit vocatus praecessit tamen cum *Pyrrho*. [9]) Quum istinc [10]) redirem salutavi *Marcurtium*, a quo audivi mira, de quibus scribam ad te alias latius. Hoc solum te in praesentia scire volui, eum asserere, nos duos novam et inauditam habere opinionem de praesentia corporis et sanguinis Christi in coena, et de communicatione nostra cum substantia ipsius. Sed de his alias latius, et de reliquis nostris scriptis. Se tamen obtulit ad omnia. Eodem die coenavi apud *Crantium*, [11]) eo accersitus ab *Aloisio* et reliquis sociis, quos sperabam me Niduni inventurum. Multa sumus ego et *Crantius* colloquuti a quibus nunc supersedeo. Audio *Hallerum* totum huc incumbere ut *Pyrrhum* nobis reconciliet. Orate Dominum pro nobis, tu et uxor et reliqui fratres et symmystae, quos omnes salutamus plurimum. Salutat te et tuam uxorem mea uxor et filiola. Vale optime. Lausannae 10. Augusti 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1058. 1) *Mercerius, qui Bernae fuerat propter negotium Actorum Lausannensium.*
2) *Alludit fortasse ad literas sibi subreptas.*
3) *Lussy vicus erat classi Morgiensi adscriptus, inter Morgias et Albonam.*
4) *Augustinus Marloratus ex oppido Bar-le-Duc, monachus Augustinus ap. Bituriges, iam a.* 1533 *ad evangelica sacra conversus, primum ibidem, postea ap. Pictavos et Andegavos concionatus, tandem fuga Genevam se recipere coactus fuerat ubi per aliquod tempus correctoris vices obiit. Cf. Hist. eccl. I.* 56, *Adami vitas, Haagium, Baum, Beza. II.* 230.
5) *N.* 867, *not.* 3.
6) *nobis ignoto, quum vix de illo Claudio Clementis cogitarimus quem laudat Ruchat IV.* 202.
7) *Bernam.*
8) *Haller. Ephem. p.* 85 *ad Febr.* 1549: Mensibus aliquot invaluerat dissidii aliquid et contentionis Lausannae inter ministros partim et Lud. Corbelium studiosum quendam Gallum. *Qui postea quoque Vireti accusator exstitit.*
9) *Zebedaeo.*
10) *Geneva?*

1059.

CALVINUS FARELLO.

Foris res frigide et timide geruntur, domi instant nova certamina ex literis sibi subreptis oritura, quae tamen bono animo sustinebit.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 224, cuius recentiora apographa sunt in Cod. 111, fol. 194, in Archivis Bern. Epp. T. VII. p. 913 et ap. Simlerum Vol. 67.)

Optimo et fidelissimo Christi Domini nostri servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis pastori fratri mihi carissimo.

S. Quia proxime intra breve tempus duos nuncios, qui ad te proficiscebantur, inanes dimisi, veritus sum ne, si nihil nepoti tuo literarum darem, de mea ignavia expostularet. Et tamen vix occurrit quid ex multis eligam scribendum. Helvetios, quum in tempore se movissent, tam subito quievisse miror. [1]) Timendum igitur ne is ipse, qui dormientes expergefecit semel, iterum redormiscentes opprimat. Hic nihil fere consilii, animi parum, superbiae plus quam expediat. *Fallesio* tamen persuasum est hic hyemare. Tantum absunt a resipiscentia qui hactenus hic intestinum bellum gerunt, ut peiora moliantur. Quantum ex sermonibus ad me delatis coniicio, per *Crantium* factum est ut in

1059. 1) *Haec pertinent ad res Constantiensium. Quos quum Hispani d.* 6. *Aug. duce Alfonso Vives adorti essent, statim Thurgovienses nonnulli accurrerunt opitulatum, etiam Bernenses militem compararunt, sed partim Caesarem metuentes partim pagos catholicos mox substiterunt (Haller l. l. Ruchat V.* 352). *Senatus Genevensis iam* 19. *Iul. a Calvino excitatus, preces publicas edixisse satis habuit.*

11) Le Sieur de Crans l'un des principaux parents d'Ami Perrin (*Grenus p.* 14). *Dominium eius situm erat prope Neodunum.*

eorum manus pervenirent literae quas scripsi *Vireto*, in quibus illud pessimum esse aiunt: nostros Christi praetextu velle sine Christo regnare.[2]) Hoc letale sibi telum datum esse putant. Ego autem paratus sum obire qualemcunque letum, modo pro veritatis patrocinio. Quanquam eos literas subreptitias suppudet proferre, et sentiunt me ad quartos usque insultus sustinendos fore satis durum. Haec ideo scribo ut intelligas te nobis otiosis non certare. Ubique enim nimirum habent negotii Christi servi. (*Bullingerus* nunc eos maxime laudat in quibus excusandis nihil profecimus, ut nosti. Oportuit eos veris experimentis convinci, ne fratres absque causa damnarent.)[3]) *Bullingerus* me hortatus erat ut scriberem adversus adulterinam reformationem.[4]) Ante eram accinctus quam literae redderentur, sed opus etiam e manibus abieceram. Petii consilium a *Bucero:* si ille approbabit, nonnihil tentabo. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te familiamque totam conservet, vos omnes gubernet spiritu suo usque in finem. Amen. Fratribus salutem dices meo nomine.[5])

Ioannes Calvinus tuus.

1060.

MICHAELIUS [1]) CALVINO.

Mittit ei diatriben quandam ab Antonio Poques contra eum scriptam, qua libellus adversus Libertinos editus refutare conatus erat.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 24.)

Monseigneur Monsieur Despeville.

Huius nuncii occursus mihi gratissimus fuit, per quem quod tandem assequutus sum ad te mitterem. Quum enim non ita pridem regina *Navarrae* huc venisset, quam Anthonius a *Poca*[2]) sectatur, eum sum ita sectatus ac blanditus, ut ab eo impetrarim hanc egregiam adversum te responsionem, quam in duobus ternionibus a me transscriptam, non eleganter quidem sed ut per otium licuit, decerptam tamen ex eius exemplari: mitto item unum aliud folium in secundo plicatum, ab eo ipso scriptum: tertium alterum aliud folium in quarto, ab eo quoque scriptum, et dimidiatum quartum ab eo quoque scriptum. Si liceret quae ab huiusmodi nebulone intellexi scribere, libens facerem: sed iudico non expedire nunc. Praestaret meo iudicio istuc ad vos proficisci ac palam omnia narrare. De hac responsione quid agas, consilium apud te capies. Si tamen fieret ex animi mei sententia, ita ei responderetur atque *Sadoleto* fuit responsum, praeposita sua responsione. Nam egregius vir insigniter gloriatur hic adversum te, et maxime tibi detrahit, sua scripta distribuit, commentarios in Lucam, ut ait, et alia infinita, et ea viris inter alios magnis ac potentibus. Tua prudentia sancta probe sciet isti rei prospicere.

Quid aliud ad te scribam, in praesentia non habeo. Unum tantum est quod te rogatum velim, ut si de statu Angliae aliquid cognoveris, si placet, nos id doceas. Nam summopere cupio id rescire, quia ei patriae vicinus sum, in quam proficisci brevi decrevi. Quod si feceris, iterum me tibi devincies quem alioqui satis tibi devicisti.[3]) Saluta, obsecro, uxorem tuam et omnes amicos. Rogo ut tuae sanctitati sim commendatus. Monpessulli[4]) apud Goninum *Morant* die festa Laurentii 1548.

Tuus totus et tui observantissimus
Aegidius Michaux.

Hic nuncius appellatur Gerardus *Iacob.*

1061.

ARTOPOEUS BULLINGERO.

Calvinum eiusque asseclas sincerioris doctrinae hostes denunciat.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VIII. Vol. 45, olim Scrin. B. Epp. Tom. 43, fol. 554. — Simler. Vol. 67.)

D. Heinricho Bullingero viro et docto et moribus et integritate conspicuo.

2) *Vide N.* 1041, *not.* 4.
3) *Haec obscurius dicta etiam in autographo parenthesi inclusa sunt.*
4) *N.* 1046.
5) *Farellus adscripsit:* 10. August. 1548.

1060. 1) *Aegidius Michaux, alias Michaelius s. Michelius, ex Gallia oriundus olim primus fuerat diaconus et ludimagister Albonae a.* 1537, *quum Iac. Valerius ibidem ministerio fungeretur. Vide N.* 56. *Ruchat IV.* 409. *Herminj. IV.* 287. *Quando hac conditione se abdicaverit nescimus.*
2) *Famosus ille Libertinorum coryphaeus, contra quem C. scripserat libellum suum. Cf. etiam N.* 634. *Nomen viri alibi aliter scriptum reperitur.*

3) *sic.*
4) *Montpellier.*

Nicolaus Artopoeus [1]) Heinricho Bullingero viro candidissimo S. D.

— — — — — — — — — — — — — — —

Heri mihi tradidit Andreas *Zebedaeus*, Lausannensis scholae professor, literarum fasciculum qui continet epistolas aliquot a *Calvino* et aliis ad se datas: [2]) quas describam et unam et alteram ad te mittam, ex quibus poteris cognoscere quid sentiant perturbatores illi de sinceriore doctrina evangelica, quam ipsi Zuinglianam vocant. Vale iterum. 14. Augusti an. 48.

1062.

LIBERTETUS FARELLO.

Bernae senatui insidias ab hostibus fidei structas denunciavit ita ut eorum conatus in ipsos retorqueri possint. Etiam pro Vireto egit hac occasione, ob Calvinum pessime audiente.

(Ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Fabri N. 45.)

Guilelmo Farello Neocomi.

S. Heri non prius descendere aut pedem terra figere mihi licuit, quin obvius factus sit Do. Consul: [1]) quem mox salutavi, et quum ei narravissem omnia, gravissima existimans iussit in crastinum senatui haec aperirem ex ordine ut sibi narraveram. [2]) Ego vero rogavi num haec sibi facta sufficeret revelatio. Respondit: mihi fortassis nonnulla exciderent, mallem a te referri, ego quam mox licuerit quotquot ex senatoribus invenientur congregabo in aliquem locum et te accersent. Quod ante dimidium horae factum est. Congregati fuere in templo fere omnes. Accersitus sum, rem ex ordine narravi, et narrationis meae singulas partes interpretabatur Consul. Quum absolvissem, iussus sum secedere ipsis consultantibus fere dimidio horae. Iussus sum deinde rem totam ut retuleram conscribere: quod feci. Ac mox Do. *Gironus* scriptum meum in germanicum idioma vertit, nec dubito quin per cursores hac nocte in legatorum Do. *Columbariensis* [3]) et Do. *Ausburgi* [4]) manus perveneriit. Res sane propius expensa est et nihil minus exspectant. Faxit Dominus, qui tanti fidei nostrae hostis vafritiem retexit miro hoc ac inexspectato modo, ut consilia et conatus illius in caput suum retorqueantur, sicut Achitophelis consilium. Iussus sum tandem a quaestore accipere 1 ▽ pro expensis meis. Conveni ante horam coenae Dominum Consulem super *Vireti* negotio, quod maxime commendavi. Ipse alioquin erga illum bene affectus multa quae de eo ferebantur obiecit, condolens illi et ecclesiae. Ego pro viribus omnia diluere conatus sum. Dixit tandem Consul suspicionem esse, *Viretum* a *Calvino* sic depravatum, et multa quoque de *Calvino* falso relata retulit, quae potenter ac vere confutavi, ostendens eum tam longe abesse ab omni seminandarum divisionum studio, ut nunquam cesset a componendis vel minimis: imo in hoc totum esse diu noctuque, ut plebem sibi commissam in vera unione et pace christiana contineat foveatque. Sed dissensionum seminaria ab ipsis civibus prodire ostendi, et quo pacto misera civitas huiusmodi subinde suborientibus sit obnoxia: quod probavit. — — — — Bernae 18. Aug. 1548.

Tuus Christoph. Faber.

1063.

CALVINUS VIRETO.

Respondet ad duas amici epistolas quarum altera non exstat. Ita plura quae hic obiter attinguntur, privata maxime negotia, obscurius tractantur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 225. Recentiora exemplaria suetis locis reperies: Ionvillaei Cod. 111 a, fol. 17, Turretini Cod. 111, fol. 195, Bernense Epp. VII. p. 915, Simleri Vol. 67.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori amico et fratri carissimo.

S. Binas abs te literas accepi. [1]) Utrisque bre-

1061. 1) *N.* 1014, *not.* 4.

2) *Quae non eae esse potuerunt de quibus supra iam saepius. Illae enim ad Viretum scriptae erant, hae ad Zebedaeum: illae circumferebantur propter quaedam olim de novis syndicis liberius dicta, hic vero de re sacramentaria disputatum fuisse vides.*

1062. 1) *Negelinus.*

2) *Efficere fortasse posses ex sequentibus Neocomi a factione quadam Gallorum auxilio freta aliquid contra religionem paratum fuisse. Aliae epistolae huic maiorem lucem addentes non exstant. Mentio etiam mox fiet de tumultu quodam nescio quo locorum exorto, quod tamen huc non pertinere videtur. De hoc vide potius infra N.* 1064, *not.* 2.

3) *Io. Iac. a. Wattewyl dynasta in Colombier.*

4) *Michaelem Augspurgerum iam supra cum eodem collega a Bernatibus ad Neocomenses missum habuisti* (*Sept.* 1541).

1063. 1) *Quarum altera d.* 10. *Augusti scripta est, altera*

viter respondebo. *Ludovicus* exemplo est, esse et Bernae interdum suam proditoribus mercedem.[2]) Recte tamen et prudenter fecistis addita vestra commendatione. Erunt forte *Pirrho* suae vices, quanquam si ab urso evadat, manet eum gravior vindicta. De *Guillelmi*[3]) successore melius factum, quam si vobis permissa fuisset electio. Ego certe malo catastrophen ab iis additam qui perperam coeperant. Quod tamen ad electiones spectat, priores literae me valde terruerunt, secundae hunc metum aliqua ex parte minuere visae sunt. Caeterum quod rebus infectis domum estis remissi,[4]) in eo me opinio fefellit. Sperabam enim tumultum,[5]) qui interea coortus erat, subitae reconciliationis causam fore. Quum tam intentos et acres videas adversarios, mature tibi curanda est libri tui versio.[6]) Nam si eum semel legerit *Hallerus*, aequiores multo ad legendum reddet,[7]) qui nunc sinistris delationibus occupati nondum lecta damnant.

De pecunia existimo rem fore certam, nec esse a mutatione consilii periculum. Utinam *Guillelmus*[8]) noster eo adduci queat ut profectionem suscipiat, ad quam hortatus est eum *Farellus*. Non ausus fuissem rogare: verum erit res meo iudicio utilissima. Quorsum evasuri essent subiti isti motus ex tuis literis scire avebam. Sunt qui nuncient iam sedatos esse. Quam vereor ne brevi iugulentur dormientes, qui semel expergefacti ad quietem nimis cito redeunt. Sed haec sinamus a Deo gubernari. Vale, frater et amice integerrime, una cum fratribus et familia. Uxor mea se vestris precibus commendat. Lentum enim morbum alit cuius exitum pertimesco.[9]) Dominus *Fallesius*, uxor et soror vos salutant. Vix tandem huc prorepsit. 20. Augusti 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

Crantium nescio quid moliri de literis ad te scriptis heri indicatum mihi fuit.[10]) Hoc scilicet cogitant, me oppressum iri si mecum iure agat senatus. Ego secure exspecto quidnam sint facturi, quanquam miratus sum, quum Bernae esses, nihil te percontatum.

1064.

VIRETUS CALVINO.

Libri sui latinam versionem pro tempore aggredi nequit diversis de causis. De pecunia elocanda anceps adhuc haeret. Porro etiam literarum subreptarum mentionem facit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 171.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum observando

Genevae.

S. Brevior ero in narratione rerum nostrarum, quia tabellarius contigit qui nobis vice erit vivae epistolae, cui ea commisi quae in literis desiderari poterunt. Paucis tantum agam de meo libro, de quo quid a me audiverit tabellarius et quid ad me scripserit minister Orbanus ab eo disces.[1]) Cuperem quidem iam latinum esse, sed in tantis occupationibus non licebit tam cito tantum vertere opus. Est enim satis longum. Praeterea, quum mihi sit cum calumniatoribus negotium, superstitiosius mihi verbis erit inhaerendum, et vertendum quasi alienum, non meum. Nam nulla mihi licebit uti libertate, ne quid inveniat quod arrodat calumniator, sed paene vertendum erit ad verbum. Curabo quod per negotia licebit. Interea si cupit senatus aliorum audire iudicium, satis multos habent in tota provincia verbi ministros doctos et pios qui de eo iudicare possint. Nam nolim nostram theologiam solis eorum ministris subiici, praesertim eorum iudicio qui hactenus manifestis se argumentis hostes nostros testati sunt. Velim tamen ipsis quoque lectum et intellectum. Misi unum librum ad *Gualthe-*

---

vero deperdita. Nam quae proxime illam praecedit d. d. 19. *Iulii hic non attingitur.*

2) *Stipendio privatum fuisse memineris.*

3) *N.* 1010, *not.* 6.

4) *Et haec et quae de Guilelmo dixerat frustra quaeres in epp. Vireti superstitibus. Item quod infra habet de pecunia.*

5) *Vide proximam Vireti.*

6) *de qua vide quae diximus ad N.* 1041, *not.* 5.

7) *Quae spes eum fefellit vide N.* 1076.

8) *Houbraquius (Holbrac) V. D. M. in agro Vadensi. De quonam itinere suscipiendo hic agatur minime liquet. Simlerus putat Monsbelgardiam ad Tossanum missum fuisse, ubi eo ipso tempore dux Ulricus filium Christophorum iusserat Interim promulgare, quod hic d.* 16. *Sept. fecit. Cf. Goguel, réf. de Montb. p.* 46. *Heyd. III.* 537. *Vide etiam Calv. ep. ad Farellum N.* 1066, *not.* 3.

9) *Haec prima mentio letalis illius morbi cuius exitum ver proximum adduxit.*

10) *Epistola illa fatalis (N.* 613) *Genevam allata vulgo circumferebatur, et maxime instigante Trollieto diu et saepius in senatu excussa, et ipse Noster aliquatenus saucius evasit.* **1064.** 1) *Librum istum Vireto novorum taediorum fontem fuisse iam ex ep. Halleri coniicere potuisti N.* 1057. *De ministro Orbano vide N.* 1044.

rum qui gallice intelligit, cuius spero me iudicium auditurum.

De proximi tumultus[2]) exitu nihildum certi habeo quod nunciem. Hoc metuo quod scripsisti, ne ocyus quam oporteat ad somnum redeamus. De *Guilielmi* profectione cum eo conferes. In pecunia collocanda *Danionus*[3]) non videtur nostrum probare consilium. Consuleret potius privatis quam reipublicae committere. Habet suas rationes quibus mihi videtur deploratius omnia metuere. Nam ei *Aloisius* rem communicavit. *Aloisius* mecum contulit de ratione et forma contractus, qua committi posset tutius. Qua de re tuam velim nobis perscribas sententiam. Etenim *Aloisius* cupit, priusquam abeat, certius aliquid habere quod secum referat de toto negotio. Ego vero metuo ne, si secus accidat quam res a nobis proposita est, videamur ridiculi. Consule igitur quid factu optimum iudices. Saluta D. *Fallesium* cum eius uxore et tota eius familia meo nomine. Uxori tuae meo et meae nomine multam quoque nunciabis salutem, quam ei ex animo precamur. De literis, de quibus admones *Crantium* aliquid iactasse, quid ego norim et quid possim a *Guilielmo* audies. Salutant te nostri omnes, praesertim vero uxor. Mox Christophorum *Libertetum* apud te habebis, ex quo multa audies. Vale. Lausannae 23. Augusti 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1065.

VIRETUS CALVINO.

Mittit ei scriptum quoddam Serveti et an respondere debeat quaerit. Constantiensium res in summo discrimine positas depingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 78 quocum conferri poterunt Cod. 116, fol. 106, Epp. Bernenses VII. p. 917 et Simleri Vol. 67.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino fratri et symmystae integerrimo

Genevae.

S. Quum proximis diebus ad te scriberem, oblitus sum ad te mittere quae ad me *Servetus* scripsit.[1]) Quem huius scripti autorem minime fuissem suspicatus, quia suum nomen suppressit, nisi eius agnovissem manum, et ex argumento coniecturam fecissem. Eius ad te scripta mitto per hunc tabellarium, uxoris meae fratrem, super quibus tuam velim mihi sententiam significes, hoc est, num putes mihi esse respondendum, quid et quomodo, si modo id tibi non grave est nimis.

De bellicis rumoribus nihil est quod tibi laetum nunciare possim. Heri *Aloisius* literas a *Zerkinte* accepit, quibus nunciabat res Constantiensium magno esse in discrimine propter diversa civium studia et consilia[2]). Nam plebem a patribus et primoribus divisam esse narrabat. Primores nullas pacis conditiones admittere volunt a Caesare oblatas, nisi salva religione et civili sua libertate. Plebs vero statuit se supplicem ad Caesaris pedes prosternere,[3]) veniam rogatura et pacem, quibuscunque volet Caesar conditionibus, elegitque legatos suo nomine ex singulis sodalitatibus quas abbatias vocant, qui haec apud Caesarem curarent. Praeterea rogat Helvetios ut hac in causa velint suo nomine apud Caesarem intercedere.[4]) In hanc paene sententiam scripsit *Zerkintes*.[5]) Vides in quo statu sit misera et inconstans Constantia, si ita res habet, et quid nobis sperandum sit.

Haec sunt quae habui in praesentia. Reliqua habent ut solent. Tabellarium ut admoneas sui officii te vehementer oro. Nosti, opinor, in quibus agat aedibus et qua illic disciplina eius excoli animus possit. Salutant te nostri omnes. Salutat te et tuam uxorem mea uxor, cui ego quoque velim meo nomine salutem adscribi. Vale. Lausannae 25. Augusti 1548.

Tuus Petrus Viretus.

Salutant te *Aloisius* et *Danionus*. Remitte scripta *Serveti*.

1065. 1) *Huius scripti, quod non mera epistola fuisse videtur, mentio fit in actione contra Servetum. Vide Opp. VIII.* 776 *et* 780, *requisitorii procuratoris art.* 14 *et Serveti interrog. VI. d.* 28. *Augusti:* Sus le 14. respond quil nen a escript que a M. Calvin et a M. Abel et une letre quil envoya a M. Pierre Viret.

2) *Postquam d.* 6. *Augusti urbem edicto publico Caesar exterminavit et Hispani iam suburbium adorti sunt, mox etiam legati Augusta reversi gravem et minacem repulsam a Granvella retulerunt, cives deliberatione facta Interim recipere et episcopum restituere decreverunt et genibus flexis veniam et gratiam petere a Caesare, non autem pati ut sibi ducem militarem imponat.*

3) *Apographa habent:* prostituere.

4) *Confoederati praeeuntibus Turicensibus d.* 16. *Aug. apud Imperatorem scripto oblato pro Constantiensibus intercesserunt, qui d.* 28. *responso dato negavit se aliquid de suis conditionibus remissurum.*

5) *Tum temporis praefectus Neoduni.*

2) *Tumultum videtur dicere propriae causae a Bernatibus evocatae processum.*

3) *Franc. Bourgoing, qui et d'Agnyon, V. D. M. Genevensis.*

1066.

CALVINUS FARELLO.

Helvetiorum tergiversatio vel si mavis prudentia in negotiis cum Imperatore tractandis. Genevae res non prorsus pacem promittunt. In epistolis ultro citroque mittendis summa cautione opus est. Fallesius Genevae commoratur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106 fol. 226 coll. c., Cod. 111 fol. 192, Epp. Bern. VII. 920 et Simler. Vol. 67. Anglicanam versionem praebet Ed. Edinb. T. II. p. 161.)

Optimo et fidelissimo Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori.

S. Non dubito, etiamsi mecum non expostules, quin me tacito animi iudicio damnes negligentiae, qui tot nuncios sine meis literis ad te discedere passus sum. Si excusem, nihil fuisse argumenti, protinus me refelles. Et tamen, etiamsi nunquam desit quod scribamus, mihi tamen silere permitto quum nihil urget. De Helvetiis exspectamus an sibi patiantur Ulissis nepente propinari. [1]) Viderit hoc Dominus, in cuius providentiam recumbere nos convenit, quando nos ratio gubernat et fortunam scimus non dominari. Quantum licet divinare, sicuti Caesar eos lactabit, [2]) ita eum vicissim suspendent, donec praesidiis, quae sibi necessaria esse ducunt viderint se munitos.

Hic exercemur pro more. Sed leves sunt velitationes. Nisi me omnes coniecturae fallunt, aut propediem emergent aliqui motus, aut hyems haec ingentes multis in locis turbas pariet. Bonus *Tossanus* non abs re angitur. [3]) Ad reliquas eius molestias accedit filii morbus. Ergo chirurgum *Petrum* hortaberis ut eo usque concedat, si forte invenietur aliqua levatio. De *Guillelmo* [4]) videbimus. Colloquuti sumus inter nos. Sed quoniam adest *Allenius* et *Sanprivatus*, nihil adhuc habemus constitutum. Pius vir nihil recusat. Sed nolui frustra ablegare. Lausannam etiam prius redibit quam profectionem illam suscipiat.

Si fidum nuncium fueris nactus, velim quascunque a me literas habes ad me mittas. Idem facturus est *Virelus*. Remittam cum certis notis, si quae sint quas non expediat ab omnibus legi. Utrique suas mittam quum licuerit, ut similes addatis notas. Curabo ut illae sint sepositae. [5])

Christophorum nondum vidi. Nunc apud me est D. *Fallesius* [6]) quem hic hyematurum spero. Feci ut [*omnem*] [7]) quam ex sermone tuo concipere potuerat dubitationem abiiceret. Quo magis te amat, et quo plus tibi defert, eo magis erat anxius ne quid aliud sentires de sua pietate quam res habeat. Sed hoc est scilicet quod dicis. Quum exigeres ab eo quae in ecclesiae aedificationem fore putabas, suspicatus est id ipsum in se desiderari quod petebas, ac si hactenus non praestitisset. Salutant te peramanter ambo, simul collegae mei et uxor, quae ex diuturno morbo decumbit. Ego his diebus luctatus sum cum capitis dolore et torminibus ventriculi usque ad graves insultus. Vale, frater et amice, una cum familia et fratribus, praesertim hospite meo *Fatono*, cui ego tesseram remitto, nisi aliquando nos invisat. 27. Augusti 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1067.

HOTOMANUS CALVINO.

Desiderio amici ardet absque causa suspiciosi eiusque literas exhortatorias sibi saepius scribendas exoptat.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 25.)

A Monseigneur Monsieur Despeville.

S. Si quid esset quod ad te scriberem, facerem id perlibenter. Utinam autem non istis scriptionibus, sed sermone potius uteremur: id facerem lubentius. Nunc quum tot e nostris ad vos abeant, *Robertus, Passeliolus, Barbierius, Magius,* [1]) et alii innumeri florentes ac beati homines, ego deseror, nec quid sim facturus scio: adeo multa sunt quae animum meum misere excruciant. Cuius rei quum te toties certiorem fecerim, nihil erat quod ad te scriberem, nisi quod iterum te orare, perque tuam in me benevo-

---

1066. 1) *Apogr.* videamus an sibi permittant Ul. repente (*sic*) propinari. *Pro quo Anglus:* to be circumvented by the artifices of Ulysses.

2) lassabit *Apogr.*

3) Toussain is not grieved by the matter (!). *De Tossani angustiis vide N.* 1063 *not.* 8.

4) *Holbraco.*

5) subjoined *Angl.*

6) *Genevae, relicto Vegiaco, saltem pro tempore. Cf. Ep.* 10. *Aug.*

7) *In autographo voc. deletum est, in caett. servatum.*

1067. 1) *Viri nobis ignoti, quorum nomina quidem et alibi occurrunt ex parte, ut Barbierii Antonii regis cancellarii: verum an huc trahendum incertum. De Magio v. infra N.* 1082.

lentiam obtestari volui, ut me tuis precibus Domino commendes.

De tuis ad me humanissimis et doctissimis literis immortales ago tibi gratias, agamque dum vivam: et si quid ὑπόληψις morbus ut fertur amicorum, animum tuum offenderit, peto abs te ut memineris quod ille dixit: omnes quibus res sunt minus secundae, magis sunt nescio quomodo suspiciosi, et mihi hoc pro tua singulari humanitate, mi pater ignoscas. Etsi autem ea mihi suspicandi epistola materiam praebuerit, in qua me de tua diffidentia convincebas, tamen sic se profecto res habuit, ut alia nulla tum apud me tum apud alios quam plurimos aeque profecerit. Quare abs te peto, mi pater, ut, quod commodo amplitudini tuae facere possis, saepe de rebus eiusmodi, hoc est de periculis quae nobis miseris usque quaque imminent, ad me scribas. Praesertim autem quam non utilis modo, verum etiam necessarius sit omnibus sacramentorum usus, et praedicatio verbi, quae subsidia non sine multis iisque gravibus causis Dominus suis in hac misera vita reliquit. Quod reliquum est ab istis beatis audies, quibus equidem tantam invideo non sine magna causa felicitatem. Dominus Iesus spiritu suo te confirmet, et ecclesiae suae incolumem quam diutissime conservet. Lugd. 27. Aug. 1548.

Tuus tuique observantissimus
HTMNS.

1068.

MYCONIUS CALVINO.

Plura narrat plus minus certa de Caesaris moliminibus et Interim a diversis vel recepto vel adhuc repulso.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 79, Laus. p. 156, Hanov. p. 175, Chouet p. 105, Amst. p. 48.)

Voluit hic commendari per me tibi, ut viro docto et pio. Obtemperavi non invitus, nonnisi ut te meis salutarem. Fac igitur, si qua poteris illi commodare, commodes propter Dominum, cui mihi videtur se devovisse. Calamitates huius tempestatis non potes ignorare: augentur in dies magis ac magis, eoque inquietus ille [1]) nequit cessare, donec ambitioni suae satisfactum sit, vel periit. Rumor est occupasse in Pedemonte oppidum munitissimum: Binerol vocant. [2]) Et constat, praemissis Spiram tormentis, glandibus, pulvere bombardico multo, et ipsum eo intendere animum cum suis, quo, ut ferunt, per Lotharingiam et Burgundiam invadat Regem, et Bernenses propter Sabaudum. Quia vero versipelli vix credi potest (simulat enim ac dissimulat pro occasione omnia) nescio quid credendum vel non credendum. Caesarianum Interim in Suevia obtinuit. [3]) Timetur Constantiensibus. Quod ante malum acceptum noluerunt nunc dicuntur ambire miseri. Neminem habent auxiliantem: et prius neminem habuerunt, et tamen tantam prae se tulerunt constantiam. Potuissent cum parvo damno, temporali dico, tenere, quod nunc non valebunt post cladem et amissionem suburbii, et gravem ignominiam, ut taceam de damno animae. Non curant quidam ex nostris, quod paries ardet proximi. Equidem per dies aliquot fui in hac sententia, per istos futurum, ut Caesar et nos vexaturus esset cum nefario suo Interim: et adhuc haereo, adeo invisus est illis Christus. Quarta Aug. vestes lineae et candidae singulis ministris Augustanis singulae sunt a novo senatu missae, et simul mandatum, ut semper pro sacris concionibus iis utantur. [4]) Ab hoc munere tamen exclusi sunt non uncti prius. Coacti sunt etiam iurare se nihil contra Caesaream Maiestatem, et contra Interim dicturos: quod si factum fuerit secus, condigna poena puniendos esse. Ex quo vides, quaenam libertas sit permissa praedicandi evangelii. Nugae omnia. Apud Norimbergenses [5]) unus tantum dicitur esse qui misset. Is dum ingreditur, vel missat, vel egreditur e templo, stipatus est satellitibus, ne quis noceat: tanto fortiores illi sunt Augustanis. Argentinenses adhuc durant, nescio quamdiu. Ex potentibus multi dicuntur migrare, inter quos et N. [6]) esse fert rumor: numeratur enim inter eos, qui fabricarunt Interim. Nescio quid de eis divinandum: sperant aliqui, nonnulli desperant. Docti dum scribunt, prae se ferunt magnum metum. Mihi videtur Dominum mi-

---

1068. 1) *Carolus Imp.*

2) *Pignerol. Genevam scil. postea petiturus. Sed vanus fuit rumor ut et quae sequuntur.*

3) *Tota ditione ab Hispanis occupata dux Ulricus vi coactus cedere coactus fuerat.*

4) *Quod prima vice fecerunt nonis Aug. Solus Musculus cum duobus aliis protestati recusarunt. (Salig Hist. d. A. C. I. 583).*

5) *Senatus huius urbis Caesaris dicto audientem se praestitit, Osiander obtemperare recusavit et sese Vratislaviam recepit. Vitus Theodoricus prae dolore mortuus est (Salig p. 595.)*

6) *Si, quod vero simile est, hic nomen Sturmii consulis Beza suppressit, haec mera fuit calumnia.*

serturum aliquando suae ecclesiae. Vale fortis in Domino. Basileae, 28. August. anno 1548.

Os. Myconius.

1069.

CALVINUS VIRETO.

Persequitur negotium de pecunia ponenda quod pluribus in praecedentibus tractatum fuerat.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 227, praeter quod adeas sis Cod. 111a, fol. 17, Cod. 111, fol. 192 v., Epp. Bern. VII. p. 922 et Simleri Vol. 68.)

Fidelissimo Christi Domini nostri servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. De pecunia [1]) tibi respondere nequeo sine *Alisii* obiurgatione. Quid enim nobis quaestionem de re movet, quam esse definitam mihi retulit? Vir est moderatus et prudens qui me sui consilii certiorem fecit, nec dubito quin sibi constet. Istic, ut iam mihi scripsisti, non satis inter vos convenit, publicene an privatim debeat summa collocari. Is tamen, cuius res est, nullam hac de re consultationem habebat. Rogo te, hoc scriptum mea manu *Alysio* nostro ostendas. Si alia habet mandata quam quae mihi exposuit, seorsum ea peragat. Si cupit certum aliquid de senatus voluntate habere, priusquam discedat, nemo potest melius asserere quid futurum sit a parte altera quam ipse. Porro incivile est tibi instare ut te apud senatum interponas. Ubi autem responsum fuerit quod volumus, triduo post appareat esse fumum. Et certe *Alysius* male videtur eius honori consulere a quo mandata accepit, nisi forte merito eius constantiae diffidat. Sed ipse viderit. Ego in sententia maneo, non esse a mutatione consilii periculum. *Allenius* et *Samprivatus* Lunae hinc ad vos. *Guillelmus* mox subsequetur. Tunc plura.

Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te semper regat spiritu suo et servet incolumem. Saluta uxorem tuam diligenter et fratres. Uxor mea suo more aegre se trahit. Fratres omnes nostri te salutant. Nam apud me prandebant quum mihi tuae sunt redditae. Genevae 3. Calend. Septembr. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1069. 1) *Vide omnino N.* 1063. 1064.

1070.

SPINA CALVINO.

Calvino commentarios nuper editos gratulatus, plures etiam discupit, admonitiones iam acceptas reveretur, Germaniae tristia fata deflet.

(Ex autographo lectu difficillimo Cod. Genev. 110, fol. 26).

Monsieur maistre Charles despeville
a Lion.

Perlectis literis tuis varie adfectus sum. Voluptatem attulit quod scripseris, et te iis ac tuum illum placidum vultum quodammodo spectandum praebueris: quo spectaculo nullum iucundius. Gratissima etiamnum fuerunt quae de tuo in me amore significas, quem plurimi facio. Et multo adhuc magis quod promittis propediem te reliquos commentarios editurum, et eos qui recens apparuerunt in utramque ad Timotheum [1]) cum aliis fruendos exhibes. Benignam correctionem tuam aequissime fero, tum quod ea quae adfers agnosco, tum quod candido ea te animo adferre intelligam. Utinam saepe nos iis calcaribus urgeas. Nam utrumque experimur, carnis nostrae torporem ac ignaviam, et quanta ad hanc excutiendam vis sit admonitionum vestrarum. Quae nobis subinde venientes in mentem, et verbi Dei memoriam excitantes, ea docent quae adhuc obscura sunt, revocant ab iis ad quae propensiores sumus, denique nos ceu *μύωπες* impellunt ut ea alacrius sequamur a quibus carnis nostrae vitio plus satis desidemus.

Omnia hactenus laeta. Quae praeterea scribis ea nobis molestiam exhibuerunt: crudelitatem et caedes in Germania adversus ecclesiam recrudescere, pios eiici, verbi ministerium abrogari, religionem a magistratu deseri: qui primi videbantur novissimos fieri, et graviora adhuc versutum illum [2]) moliri, ut ex iis initiis coniicimus. Haec nos conturbarunt, eoque magis quo minus sperabantur. Nam prius paulo quam haec ad nos scripsisses rumor huc usque diffusus ferebat de pietate illum recte sentire, et accersitis Germanorum doctoribus omnia ab iis didicisse quae ad hominum salutem pertinerent, tentare iam seriam ecclesiae reformationem, et si qui huic pertinacius obsisterent iis bellum parare. Haec nos, ut existimare potes, supra modum delectabant,

1070. 1) *Quorum dedicatio scripta fuit d. 25. Iulii. Quum recens editos dicat hanc epistolam hoc mense Septembre scribi potuisse coniicimus.*

2) *Imperatorem qui tum temporis vi et armis suum Interim principibus et civitatibus imponebat.*

quanquam non satis firma videbantur, et mihi res eius gestas, et quam vana fides eius semper fuisset attentius cogitanti etiam incerta ac dubia. Pendebamus donec inopinantibus nobis novos tumultus nunciando, et redintegratam ecclesiae dissipationem, animum gravi dolore perculsum de gradu prope deiecisti. Non dubito quin ecclesiae dolorem iis valde augeant qui harum miseriarum coguntur esse spectatores. Nos enim, qui quae caeteri cernunt tantum audimus, cogitationem ab iis aerumnis avertere non possumus. Pervellem ex te scire quo ministri relegati sint, et an in illos quidquam gravius exsilio statutum sit. Audivimus enim foedum consilium datum esse Antiocho, cuius autor sibi ipsi etiam esse potuit, ut eos ac typographos tolleret, ne quos posthac praeceptores habeamus qui nos de salutis nostrae statu ac ratione erudiant. Hic *ἀλάστωρ ὢν καὶ λυμεὼν τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀείδιον τοῦ θεοῦ λόγον ἀνατρέψας* contendit, ut aliis rebus omnibus, sic impietate maiores anteire. Non metuo verbo quod certum est *οὐρανοῦ βεβαιότερον καὶ στερεώτερον εἶναι*. Securus sim si maius damnum huius ministris dare non possit. Committimus tamen omnia Deo, orantes ut gubernet harum rerum exitum et asperitatem mitiget. Interea dum id futurum confidimus, deflemus has ecclesiae calamitates: hanc iacentem et Antichristi tyrannide crudeliter oppressam erigi ac respirare optamus. Et si hanc adhuc exercere, et quam illi virtutem dederit ad ferendas malorum iniurias declarare, filiorum denique patientia et constantia gloriari desideret, ut nos potius ad haec deligat, qui parum prodesse possumus, alios relinquat superstites, quibus sine maximo dispendio ecclesia hoc statu rerum carere non potest. Verbis antehac pugnatum est et ferro. Sed res eo, ut ais frater, adductae sunt ut sanguine ac stigmatibus deinceps nobis certandum sit. Nam et hic iniquissimae leges adversus religionem statuuntur.[3]) Certe mirum, ut est horum furiosa audacia, quod non omnes ad unum in foveas* trudamur. Sed Dominus crudelitatem tyrannorum finibus circumscripsit.

Quae ad me scripsisti de usu ac celebratione coena dominicae, probo omnia: confessionem externam esse necessariam, nec nos, qualescunque simus, caeremoniam quae omnino vitiosa sit emendare posse. Restat mihi hic scrupulus, an hic etiam confessio coram impiis fieri debeat, si res non postulet, et vitiosa sit administratio, in qua convenientibus fidelibus serventur omnia de quibus ad te scripsi. Nam si ita est, non dubito quin religiosius a nostris omittatur, et ego id postea sum omnibus suasurus. Vale, frater et amice carissime. Dominus Iesus Christus te nobis diu servet.

Tuus *ὁ ἀπὸ τῆς ἀκανθῆς*.[4])

3) *Edicta nova in Gallia eo tempore promulgata nulla fuere, sed in genere de legibus antea latis dicere potuit. Alioquin usque ad* 16. *Nov.* 1549 *descendere oporteret, quod minus congruere videtur.*

4) *De autore, alias Acanthio dicto v. ad N.* 870.

1071.

CALVINUS VIRETO.

Serveto ipse amplius non respondebit, Merlino uxorem cupit sed frustra quaerit. De epistolis subreptis securus est, cautius tamen in posterum acturus.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 228, cuius apographa habes Cod. 111ª, fol. 117 v., Cod. 111, fol. 193, Bernae Epp. VII. p. 923 et ap. Simler. Vol. 67.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori.

S. Puto aliquando te legisse quae *Serveto* responderam. Tandem nolui cum desperata hominis haeretici pervicacia diutius certare.[1]) Et sane Pauli monitioni obtemperandum erit. Nunc te aggreditur. Videbis quousque refellendis eius deliriis insistere debeas. A me nihil posthac extorquebit. *Merlino*[2]) nostro electissimam uxorem cuperem, sed dum circumspicio vix una occurrit quam vel spe vel desiderio illi despondere ausim. Si commodum illi foret quovis alio praetextu ad nos profectionem suscipere, dispiceret ipse aliquanto melius, consultaret deinde mecum, tuto et familiariter in meum sinum cogitationes suas deponeret. Forte inveniretur aliqua ratio. Hoc consilio nullum video commodius.

Pridie quam tuae ad *Martyrem*[3]) mihi redderentur, *Molinaeus*[4]) hinc solverat. Non oblatus est statim nuncius qui referret. Quod resignatae sunt factum est inscienter: nam quum nunc tibi responsum daturus tumultuarie evolverem congestas super mensam epistolas, hanc putans unam

1071. 1) *Haec fortasse spectant ad eas responsiones quas ipso postea libro suo contra Servetum scripto inseruit. Opp. T.* VIII. *p.* 482 *ss.*

2) *Cuius nomen iam saepius occurrit. Quo tempore Lausannam venerit non constat. Post Imbertum ibi fuit professor l. hebr.* (*Herminj.* IV. 167. *Buchat* IV. 435), *deinde V. D. M. in vico Genevensium Peney, postremo in Gallia.*

3) *Quem Cranmerus m. Nov.* 1547 *in Britanniam vocaverat, ubi Oxoniae iam theologiam docebat.*

4) *N.* 1049 *et* 1056.

esse ex iis quae mihi scriptae erant, aperui. Primo statim versu animadverti meum errorem. Hoc saltem profeci quod me agnovi in dando testimonio fuisse parciorem.

De literis rumusculi, qui inter malevolos volitant, rancedinem sapiunt, ut appareat eos qui multum nocere cuperent non audere tamen, vel esse adhuc parum instructos. Ego bona conscientia fretus nullum impetum reformido. Quid enim peius morte intentare poterunt? Et tamen, si quando mitigati erga te fuerint Bernatum animi, quemadmodum spes mihi a *Christophoro* iniecta est, aliquid fortassis per occasionem elicies. Quid si per *Zerkintem* id alter nostrum tentaret? Utrum sit utilius futurum cogita.

De negotio *Guillelmi* referent quid nobis visum fuerit *Allenius* et *Samprivatus*. Ambo se, domum, operam, liberaliter offerunt. Et tamen si res vulgata fuerit vix hoc tempore suadebo. *Allenium* iuvabis tua commendatione, si forte Bernam illi eundum censeas. Ego quascunque abs te literas habebam congessi in fasciculum, ut tu ipse legendo quae periculo obnoxiae visae fuerint certa nota insignias.[5]) Quae signatae erunt eas habebo sepositas tuto loco. Idem facturus sum in meis ubi abs te recepero. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te servet ac prosequatur perpetuo sua gratia. Amen. Saluta uxorem et collegam meo nomine diligenter. Uxor etiam mea vos omnes salutat seque vestris precibus commendat. Calend. Septemb. 1548.

1072.

FARELLUS CALVINO.

Multa et varia de Tossano, Coelio, Vireto, Caesare, quae Oedipo opus haberent et quidem sagacissimo.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 115, fol. 81. Legitur praeterea in Cod. 116, fol. 9, in Epp. Bernens. VII. p. 925 et ap. Simlerum Vol. 68. Stilus pro more malus, peior literatura, lectio difficillima.)

Christi admodum insigni servo Io. Calvino pastori ecclesiae Genevensis doctissimo ac pientissimo fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

5) *Cf. quae ad Farellum scripserat N.* 1066.

S. Heri ad *Tossanum* profectus est chirurgus,[1]) cuius uxorem mariti et meo salutabis nomine. Tam enim isti faveo quam prius eram infensus. Recte facit quod Christo sequuta virum omnia postposuit. Non multum mihi laborandum fuit ut *Petrum* exhortarer ut ad *Petrum* iret.[2]) Ex animo id egit, nihil moratus equi claudicationem. Quae petis per hunc misissem si licuisset, ut petis: per alterum ergo mittam, si se obtulerit.[3]) Novas rationes accepi de dissidio. *Petrus* volebat in *Coelium*[4]) stylum acui, et effecerat ut omnes tragicum rogarent. Is provinciam detrectans dicebat, *Petrum* aut alium quemvis melius posse ac potius debere, quum omnium esset peritus et gnarus. Indigne id tulit *Petrus* et subinde infensus omnia tentare coepit ut immerentem perderet profligatum, qui semel atque iterum, imo tertio enixe rogavit, ut liceret redire in gratiam. Sed quanto plus rogabatur, ut est implacabilis *Petrus* — nosti enim viri ingenium, quam durum scilicet sit ac ferum: quos enim non laesit, non modo verbis sed etiam factis? tam immitis agnus lupo aquas perturbans, tanto motu et impetu, ut quae infra erant ad lupum ascenderent, et turbatae ab agno claras apud lupum prorsus turbidas redderent. Hic indignitate rei bonus ille permotus eo rem perduxit ut sine exsilio alterius confici res non possit. Vellet quidem *Petrus* nunc rem non motam sed sopitam, et acquievissem boni viri precibus, qui hactenus molem verebatur maiorem quam quae abs se posset sustineri: sed nunc sibi quam lactissimum pollicetur exitum, quia *Vertumnus* (ita vocat[5]) sese tandem plene aperuit in opere de ministerio, hic plane et plene eum tenet. Vides ut mentitur fabulas. Sed bene habet. Deum habemus apud quem doli et praestigiae nihil possunt. Is pro veritate ius dicet. Si in uno Caesare tam sit difficile quo inclinet cognoscere, quum tam varia varium distrahant, quid tu in pluribus tam varie affectis certi statuas? Pro natura venti quem immittet Deus eiusmodi ferentur aquae facile diffluentes et a sese dissociantes, si exitus pateat fluxui aquarum idoneus. Non enim diu perseverant, nisi profundiori loco et ripis firmioribus contineantur. Mirum sane est iam pridem ruptis omnibus prorsus non evanuisse. Hic fertur Caesar a monte et urbe illius portentis* (quod feriat Christus, ut est dignum) a Claudio inquam Gaium usque viam ster-

---

1072. 1) *Respondet ad Calvini ep. N.* 1066.
2) *Medicum ad Tossanum.*
3) *Scil. epistolas antea scriptas.*
4) *De dissidio inter Tossanum et Curionem aliunde non constat. Minus tamen de Vireto cogitabimus, ob ea quae leguntur in N.* 1016, *quia hunc Farellus profecto non hoc nomine appellasset.*
5) *Viretum.*

nere, non modo equis verum etiam curribus et machinis quibusvis facilem. [6])

Sed haec me non tenent anxium, sed potius mores tam improbi et conscelerata vita pro pura et Christo digna. Et quamvis haec mihi cor in genua decidere faciant, tamen ingens illa misericordia Dei, quae sibi reservavit aliquot millia quibus favet, facit ut sperem frustra Satanam omnia tentare. Non enim prius evertetur Sodoma quam extrusus fuerit Loth. Adnituntur quidem impii ut citius graviusque ruant. Sed non patitur Dominus ut miseri pro nutu Satanae mox pereant, et multo minus feret ut sui cadant in perniciem. Mirum est istam miseram urbem, quum sponte insaniat in sui perniciem, habere semper instigatores. Quoties ego et *Viretus* vos istuc venisse dictitavimus in iudicium et condemnationem? Sed vicit divina bonitas exspectationem quam concipere poteras. Durandum est. Tantum, quod ad me attinet, iube si quid hac vel illa via possit effici. Omnibus deficior et tamen nihil non tentabo, solum ne noceam. Verum quid possum quam obesse, si tam ineptus tibi conferar. Christus quod instauravit per te servet et absolvat. In *Vireto* situm aliquid esse video. At domi ut res habent? hic semper nobis cùditur aliquid, et intempestiva valde fuit *Christophari* peregrinatio. [7]) Neminem habeo per quem resciam quae vel omnes norunt: tantum abest certior reddar occultorum quae in ruinam evangelii machinantur ii qui semper aliquid moliuntur. Sanctus et pius iste hospitis tui [8]) metus utinam in omnibus obtineret, ut omnia summo studio peragentes in gloriam Christi et omnium salutem vererentur, sese non praestitisse iustam operam, et fixis in scopum oculis et quam celerrimo ad metam cursu intueri aliud non sustinerent, et emensum iter non respectarent, sed in ea quae ante sunt et supersunt intenti obliviscerentur. Ego sane, quum nullus sim et nihil praestem, soleo ab optimis longe plura exigere, et qui rectius progressi fuerunt, hi ut plura praestent a me instigantur, idque importunius et supra eorum vires, quos hortor. Si Paulus Macedonas ait supra vires contendisse et effecisse, ego plane non minus: nescio an magis dicere possum de isto Christi servo ac eius uxore, multo magis quam ferrent vires contendisse. Et tamen hoc et sciens et intelligens ita loquutus sum, ut hunc scrupum iniecerim, sed incautus: nec quod displicuit, mihi displicet semper istam conscientiam Dei timentem habere magis perspectam et cariorem in Domino. Quum optime senserim de utroque, nunc sentio quam optime. Faxit Christus ut eiusmodi multos liceat videre et nosse, sed praestat paucos quam nullos. Utrumque salvum esse iube in Domino. Vellem eos qui potentes nec robusti satis sunt apud pontificios, ut crucem ferre possint quae imminet, nisi se polluant exsecrandis profanationibus Antichristi, perpetuo laborare ita ut nihil pontificium ferre possent, et eos rursus qui impugnandae veritati student, adeo ut nihil prorsus possint neque loqui neque scribere, istos vero eximios Dei servos impediri non recta valetudine quin in optatissima intersint et quam apertissime Deum laudent, et tu ne peragas quod indies studes (siquidem interim illud interea, dum laboras tot morbis, in interitum per te deturbandum esset) et uxor hic ministrare, si liceret istis imperare morbis, quam ego id ex animo facerem! Tot habet comicus Caesar perditos qui omnia decoxerunt. Ego vellem illos istos conquere [9]) quos iuges labores et curae non patiuntur concoquere humores. Verum duriora miseros manent, ut quam laetissima vobis sunt parata. Iube uxorem tuam recte valere. Tu insuper vale felix et tota domus tua, tuique collegae et quidquid istic est Christi. Nostri te salutant. Neocomi 2. Septembris 1548.

Farellus tuus totus.

Christophorum rogo ut properet. Non fuit mihi nuncius ad manum per quem *Viretum* commonefacerem eorum quae prius et quae nunc scribo. Dum te purgas quod non scripseris, belle me notas. Sed neque admovere neque amovere manum tabulae possum. Apud me quid istis opus? Scio tuos labores qui me non parum movent. *Fatonus* aderat dum tuas exciperem: quam esset paratus, licet totus sit valetudinarius, si opus esset te invisere, tu ut expedit iube. Is te salutat.

1073.

SULZERUS CALVINO.

Refert quae nuper Augustae, Constantiae, Ulmae, Argentorati, alibi per Germaniam gesta sint, ex rumoribus publicis repetita. Tum privata quaedam addit.

---

6) De insidiis loqui videtur, quas Caesar Genevensi urbi struebat (*Simler*).
7) *N.* 1066.
8) *Fallesii.*

9) *Sic autographon. Vide tu an de industria, pro gallico* conquérir, *i. e. subiicere, domare, compescere. Turretinus et hic:* concoquere.

(Ex Bibl. Genev. Cod. 112, fol. 92. Exemplari aliena manu scripto Sulzerus subscripsit.)

Viro praestantissimo vere eximio Christi servo D. Ioanni Calvino fratri suo in Domino colendissimo.

Genevae.

S. Scriberem libens multa, mi *Calvine*, de rerum germanicarum statu, si certa haberem. Nam ex quo *Bucerus* scribere frequentius apertiusque desiit, nihil fere accipimus nisi quod vagis ad nos rumoribus perfertur. De Constantiensibus [1]) audimus adhuc in dubio esse omnia, apud quos bleps* nimis deiecta ad extrema omnia suscipienda parata esse fertur, magistratus tamen pientissimi autoritate utcunque cohiberi, ut vel consilio et moderatione aliqua de republica agere sustineat. Interea Helvetii per literas ab Imperatore postularunt, uti sequestros eos in Constantiensium causa esse patiatur. Verum quid sint impetraturi nescitur. Augustae abrogatas tribus novamque senatus formam inductam esse, per Caesarem nimirum cognovisti. Qua in re nonnihil falsus tamen esse videtur, quando quos ille in exautoratorum locum substituit non tam a pietatis affectu se alienos esse declarant quam ipse existimavit, nisi forte alios mox induant mores. Templa sex reliqua fecit ministris evangelicis, qui et docent fide qua possunt summa: sic tamen ut ab adversariorum appellatione abstineant, et aliena tantum forma, ut puta Pharisaeorum, scribarum et pontificum exemplis, eorum impietatem describant et traducant. Nam iurare coacti sunt, se non contra sed pro Interim docturos esse. [2]) Voluit eos episcopus suae ditioni subiici, sed id Imperator non concessit. Haec hodie mihi contubernalis Augustanus narravit qui recta illinc ad nos venit. Caeterum Imperator Augusta digressus itidem Ulmae fecit, ubi et ministris omnibus manum intulisse certum est, et in vincula eos coniecisse. Causam aut praetextum ignoramus. Dimissos autem iterum caeteros omnes esse constat, uno *Frechto* excepto, quem alii simul abductum Spiram esse ferunt, alii in carcerem coniectum detineri, donec conditionibus nescio quibus propositis acquiescat. [3]) Argentinenses in metu sunt, et populus 27. Augusti admodum frequens ad curiam accurrit, et tota ea die in tribubus collectus senatum interpellavit, fidei constantiaeque admonuit: promisit senatus omnia se curaturum et ne quid detrimenti respublica capiat diligenter provisurum. [4]) Interea aliquot iam ex urbe migrarunt et ad Friburgum Brisgaudiae concesserunt. [5]) Quid autem Caesar omnino moliatur nemini satis liquere potest. [6]) Sunt tamen qui aliquot indiciis iisque admodum probabilibus colligant Montem Beligardi occupaturum, permutatione cum *Christophoro* duce facta. Hinc autem per Sequanos invisurum Allobrogas, et cumprimis Genevam, si queat. Et quid dux ipse Sabaudius per vicarium apud Helvetios tentet, iam accepisti, arbitror, neque enim ea obscura sunt. Moliminibus ergo plena sunt omnia, et ruinam pietatis religionisque extremam minantur omnia. Sed potens est Dominus cuius imperscrutabili consilio haec aliaque gubernantur. Eius opem implorabimus et exspectabimus in his tam tristibus saeculi nostri fatis.

Quod me meaque attinet, salva sunt omnia. [7]) Quiete enim optata potior fruorque. Nam professione sacrorum in schola fungor ubi catechismi et epistolae paulinae docendae et collegii item Augustani, quod vocant, administrandi provinciam sustineo, in quo mihi convictus cum solertissimis et vere cordatis hominibus non potest non iucundissimus esse. Atque utinam hac in parte ecclesiae Christi operam praestare frugiferam queamus. Agunt iam mecum (quod te ignorare nolui) D. Nicolaus de *Laminiere* et puer ille Antonius Baronis de *Dignyne* filiolus, cum *Iacobo* paedagogo suo, hospites nobis multo gratissimi: id quod per te rescire patrem velim, quem audio singulari pietate virum esse. [8]) Si qui alii huc concesserint, efficiam, quantum in me est, ne favorem piumque studium desiderent. Neque enim surgunt infeliciter rerum optimarum studia et exercitationes in hac academia, et est mediocris scholasticorum coetus, tum inter doctos omnes pax et consensio animorum. *Pharel-*

1073. 1) *Vide supra Bullingeri ep. N.* 1025. *Ruchat* V. 350. *Pestalozzi, Bull. p.* 290.

2) *Iam d.* 8. *Iulii Interim e suggestibus praelectum fuit: sub finem mensis caeremoniae novae praescriptae, pridie nonas Aug. ne contra Interim concionentur edictum.*

3) *Ulmae Interim d.* 23. *Iulii promulgatum fuit. Ex ministris unus Bonav. Stelzerus propter vehementem concionem in vincula coniectus est. Quod etiam de caeteris decrevit Imperator d.* 14. *Aug. urbem ingressus, Frechto minime excepto. Spiram quidem abduci iussit, sed intercedente senatu per sex menses Kirchhemii captivi retinebantur.* (*Sleid.* 141. *Keim, Ref. v. Ulm p.* 397.)

4) *In scabinorum conventu d.* 27. *Aug. Sturmius consul proposuit ut Interim in nonnullis ecclesiis introduceretur, in aliis vero verbum Dei praedicaretur simpliciter. Idem autor fuit ne coram plebe res tractaretur. Ita d.* 30. *Aug. senatus propositiones ratae factae sunt* (*Sleid. p.* 140. *Roehrich* II. 195 *ss.*)

5) *Nempe cives aliquot proceres et senatores, qui sibi a plebe metuebant.* (*Roehrich p.* 197.)

6) *Belgium petiit.* (*Sleid. p.* 145.)

7) *Basileam concesserat uxoris Merianae patriam, ubi per Myconium primum professionem in schola obtinuit, anno sequenti Wolfg. Wissenburgi successor fuit ad S. Petri, tandem a.* 1552 *Seb. Münsteri in docendis hebraicis* (*Ruchat* V. 345. *Hagenbach, in Herzogii Encycl.*)

8) *Galli profugi videntur fuisse, de quibus tamen Haagius tacet.*

um, Viretum salvere iube, et tuos symmystas mnes, quorum precibus me et ecclesiam comendo. Bene vale. Basileae 3. Augusti anno 548. [9]) Salutant te reverenter DD. *Myconius* et octor *Wolfgangus*.

Tuus Sultzerus.

1074.

BUCERUS DRYANDRO.

Status rerum per Germaniam deploratissimus.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argent.)

Ornatissimo viro eruditione et virtute praestanti D. Francisco Driandr[*o*] suo amico sin[*cerissimo*] [1]).

S. D. *Marpachius* [2]) nobis a *Philippo* rediit 21 Augusti, ad quem profectus fuit 24. Iulii. Salvus est hic noster thesaurus corpore, animo excruciatus ut non possit magis propter tam horrendas defectiones. Promittunt tamen mirificam constantiam omnes Saxonicae res publicae cum provinciis *Mauritii* et Electoris. Plures Principes perstant: *Heinrichus* Megalopolensis. *Ioannes* Marchio Electoris frater, *Pomerani* duo et filii capti Electoris. *Cattus* totus defecit et manifestum se praebet *ἰδωλολατρὴν* [3]) *καὶ μιαρολατρήν*. Suis concionatoribus voluit persuadere ut reciperent quae ipse recepit, praescripta de religione Imperatoris. Verum illi in pura Christi haerent confessione, et si non possunt in ea tolerari in *Catti* ditione, rescripserunt se solari eo quod Domini sit terra: si etiam non in hoc mundo, se solari quod multae sunt mansiones in domo patris.

Ministerium meum iuxta tuum infaustum vaticinium videtur hic certe ad finem suum proxime venisse. [4]) Ubi postea incipiat viderit Dominus. Christum pro nobis omnibus diligenter interpellabis piis tuis precibus. Opto te cum tua et patronis nostris, cumprimis reverendissimo patre ecclesiarum et ministrorum eius [5]) felicissime valere. Huic communi patri me, quaeso, officiosissime commendes. Nostri te et tuam diligentissime salutant. 1548. 5. Sept.

1075.

CALVINUS FARELLO.

Trollietus repulsam ulturus iam epistolam Vireto subreptam circumfert, et res ad senatum delata. Coniugium Macrini.

(Ex autographo quod solum exstat, in Cod. Genev. 107 a. fol. 290. — Edidit Beza Genev. p. 368, Laus. p. 203, Hanov. p. 227, Chouet p. 506, Amst. p. 231.)

Pergunt scilicet adversarii suo more, quum tam impudenter in nos retorquent quidquid peccarunt. Sed bene habet, quod ad fingendum sint tam parum acuti. Quid enim ea, quam recitas, fabula puerilius? Video quidem esse qui recipiant: adeo iuvat eos sinistri aliquid de nobis subinde audire. Sed momento hoc evanescet, ut reliqua eiusdem notae: imo quaecunque in officina sua fabricant tales artifices. Mecum ita bellum geritur, ut te ad opem ferendam nolim frustra accersere. Palam enim non pugnant hostes: quia hactenus non successit. Sed clandestinis susurris conantur multorum animos paulatim a me alienare. Qua in re nonnihil proficiunt. *Trollietus* ille, qui ministerium ambiebat, repulsae vindictam quam potest exsequitur. Primus illi actus fuit in suscipiendo cruciatorum patrocinio. [1]) Tunc a me exceptus, ut decuit, et magno cum ludibrio etiam factionis suae vexatus: nunc literas, quas *Petro* famulus est furatus, per cauponas circumfert. Aiunt autem scriptas ante quinquennium fuisse. [2]) Ego, ut ostendam nos non nisi ingenue agere, brevi in lucem protra-

---

9) *Quum fusius narret quae Ulmae et Argentorati usque ad finem mensis gesta sunt, patet in adscribendo die lapsum esse. Tu pro Augusto Septembrem ponas.*

1074. 1) *Inscriptio alienam manum prodit.*

2) *Ab Argentoratensibus ministris Wittebergam missus fuerat a Bucero instructus et commendatus* (*Salig, A. C.* I. 589.)

3) *Sic.*

4) *D.* 30. *Aug. scabini Argentoratenses senatu autore Interim receperunt, hac conditione ut in nonnullis ecclesiis evangelium praedicaretur et sacramenta administrarentur veteri more. Quod dum legati a Caesare postulatum profecti erant, pridie Nonas Sept. episcopus subiectionem absque ulla conditione flagitavit. Inde tristia haec Buceri auguria. Sleid.* III. 140, *Salig p.* 591, *Roehrich.* II. 198.

5) *Utrum Cranmerum an Lascum significet tibi diiudicandum permittimus. Nos priorem potius ei obversatum crediderimus.*

1075. 1) La faction des croisés (Ruchat V. 362). *Sic adversarios appellat, nomine iam pridem Genevae trito, quum iam dudum ante eius adventum sabaudica factio et qui libertatem urbis vindicare studebant, mamelucorum et cruciatorum nomine venirent. Iam hi libertatem aliam affectabant.*

2) *N.* 613.

ham. Hoc pessimum, quod non libenter modo, sed avide audiuntur, qui nos totumque nostrum ordinem perstringunt. Fuit tempus, quum nemo adversus ministros mutire auderet. Nunc nulla prope oratio magis favorabilis. Et Satan novas semper occasiones excudit. In coniugio *Macrini*[3]) coacti sumus eos qui parum alias amici erant valde exacerbare. Pronunciavit senatus nullum esse coniugium, in quo solennis sponsio intervenerat: partibusque liberam fecit alibi contrahendi facultatem. Praetextus est in affinitate satis remota: nam uxor quae illi mortua est, consobrina erat matris puellae, de qua nunc agitur. Rogavi quo iure tantum sibi permisissent. Et de tota causa habita est a nobis in curia gravis oratio: nihil tamen impetratum. Interea regerunt nos in hominis gratiam importunius contendere. Sed haec cum aliis sunt devoranda. Hoc boni saltem habemus, quod, quidquid moliantur, sacrae conciones si quando fuerunt frequentes, nunc sunt frequentissimae. Si quando tibi commodum erit nos invisere, gratissimus erit tuus adventus. Ut venias, nisi pro tua opportunitate, instare non audeo. Si tamen vel minima se offeret occasio, nolim eam praetermittas. Vale, frater mihi in Domino carissime, una cum familia tua, *Christophoro*, *Fatono*, et reliquis symmystis nostris. Dominus vos omnes tueatur perpetuo, vestrisque sanctis laboribus benedicat. 8. Septembris.[4])

Ioannes Calvinus tuus.

1076.

HALLERUS BULLINGERO.

In negotio Bernenses inter et Lausannenses ministros pendente ipse inter sacrum et saxum stat et neutris potest satisfacere.

(Excerpta ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 81. — Simler. Vol. 68.)

Clarissimo praestantissimoque viro D. Heinrycho Bullingero vigilantissimo ecclesiae Tigurinae antistiti domino suo colendissimo.

— — — — — — — — — — — — — — —

Consuluisti tu ut amice me gererem erga *Viretum* et *Calvinum*. Id quod facio, et puto vel ipsam pietatem et caritatem christianam hoc requirere. Hoc tamen certum est, si quidam hic rescirent quod vel ego ipsis scriberem, vel illi mihi, me cum illis haberent suspectum. — — — — Ita ego, colendissime pater, inter sacrum sto et saxum. Hinc me calamitas urit fratrum, cui subvenire cuperem totis viribus: illinc ecclesiae concordia me urget, quam promovere, non disturbare, denuo conor. Interim, quantum Dominus dederit, prudenter simul agam et fortiter, ne vel negligam miseros vel tumultuose agam cum fratribus. Ago enim Domino gratias, quia, ut semper mihi suam concessit gratiam, ita nec hic illam mihi subtrahit, ut utraque pars in mea doctrina quam optime conveniat et consentiat. Nec dubitarem quin brevi inter fratres etiam totius ditionis tolleretur dissidium, si modo suspiciones et veterum memoria iniuriarum cessaret. — — — — —

Mitto simul quaedam excerpta ex literis quorundam ut videbis, ex quibus intelliges quid sentiant.[1]) Talia etiam faciunt nostros acerbiores. Mitto tamen ea lege ut descripta ad me denuo mittas. Non enim mihi tantum otii datum ut denuo describerem. Sed neque aliis libenter describenda credo. A *Zebedaeo* habeo qui, ut bene sentit, ita tamen nimium quoque affectibus duci videtur, et ex invidia et contentione multa agere. Haec raptim quoque congessi. — — — —

Bernae die 11. Sept. 1548.

Ioannes Hallerus
totus tuus.

1077.

VIRETUS CALVINO.

Hymbertus aegrotat. Zebedaeus novas turbas movet. Brentii scriptum contra Interim. Calvino literas ab ipso ad eum scriptas remittit.

3) *Laurentius Meigret (le Magnifique) in matrimonio habuerat Margaretam filiam Petri Scarron de Pregny. Post cuius mortem quum aliam duxisset, consistorium Gaiense hoc coniugium diremit. Calvinus senatum adiit ut apud Bernenses de hoc iudicio reformando interveniret. Sed frustra:* Quant a ce quil a parle de fere responce aut consistoyre de Gex sus le mariage du Magnifique, resoluz que lon demoure a ce quest fayct et si les ministres veullent escripre en particulier quilz le peuvent fere sans blasmer la seignourie. (*Reg. du conseil* 30. *Aug. et* 6. *Sept.*) *Cf. quoque Galiffe not. gén.* III. 435.

4) *De anno constat ex Commentariis senatus.*

1076. 1) *Habebat ipse ut vidisti, plures Vireti et Calvini. Minime hic agitur de unica illa Calvini ad Viretum huic subrepta de qua alibi.*

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 79. Aliud exemplar recentius exhibet Cod. 116, fol. 106 v.; exstat etiam in Epp. Bern. T. VII. p. 918 et apud Simlerum Vol. 68.

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae carissimo.

S. *Merlinus* noster ea tibi copiose referet quae non vacat scribere de valetudine *Hymberti* [1]) et sollicitudine nostra super ea re, de novis turbis *Pyrrhi* nostri, et mea adversus *Mercerium* causa. Velim etiam, si qua via liceret, exquiri diligentius de eo cuius literas dedisti Francisco *Paulino* nobis communicandas, in quibus tam praeclare loquitur de te et *Zwinglio* et sacramentariis: nam negat et apud nos a se scriptas. Iussimus scribere thema quod propositum fuerat quum examinandus esset. Sed manus non videtur omnino similis. Sed admonitus abs te de literis potuit dedita opera manum corrumpere. Audies hac de re plura a *Merlino*, cui dices quid super ea re putes nobis faciendum.

Farellus queritur non esse sibi restitutum *Brentii* responsum ad formam illam caesareanam quam vocant Interim. [2]) Puto esse apud te eius manu scriptum: nam ad te miseram. Fac igitur ut remittatur. Remitto ad te fasciculum literarum mearum quem accepi a *Samprivato*. Relegi omnes. Nullae erant a quibus magnopere nobis esset metuendum. Seposui tamen satis multas, ne vel levissimae cuiquam offensionis materia relinqueretur, si id contingeret de quo sumus admoniti. Quas seposui nullam habent notam anni quo scriptae fuerunt, in suo fasciculo. Reliqui fasciculi habent. Fac ut postea omnes seponas quae vel tantillum habere videbuntur quod in calumniam trahi possit. Saluta uxorem et collegas tuos meo nomine. Nostri te omnes salutant. Uxor te et uxorem salutat, et filiola quae recte valet. Lausannae 16. Septembr. 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1077. 1) *Gentilitio nomine Paccolet appellabatur. Primus fuerat l. hebr. prof. Lausannensis, inde ab a.* 1537. *Ruchat* IV. 435 *nescire videtur eum ultra a.* 1543 *vixisse.*

2) Bedencken etlicher Praedicanten, als der zu Schwäbischen Hall, der in Hessen und der Stadt Nürnberg aufs Interim ihrer Obrigkeit überreichet 1548. (*Salig* I. 585; *Hartmann und Jaeger, Brentz* II. 169.) *Scripsit illud suo et Isenmanni collegae nomine, et hac de causa eum Granvella tam acriter persequutus est.*

1078.
CALVINUS VIRETO.

De Hymberti successore eligendo consilium. Trollietus epistolam Vireto subreptam iam gallice versam producit, et senatus rem evocavit. Vireti praesentia necessaria ut illa epistola ipsi reddatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 229. Exstant pro more exx. Codd. 111 a, fol. 17 v, Cod. 111, fol. 196, Cod. Bern. VII. p. 931, et Cod. Simleri 68. Anglice legitur in ed. Edinb. II. 162.

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri carissimo.

S. Parum abfuit quin *Merlinum* nostrum sine literis dimitterem. Sed quum ad iter iam accinctus esset, tempus mihi a concione ad prandium usque remisit, cuius partem dimidiam quorundam sermonibus consumpsi. De *Hymberti* [1]) successore vix habeo quod consulam. Video quidem pericula quae instant, nisi quam primum aliquis subrogetur. Apud vos non video qui mihi omni ex parte arrideat. Procul accersere non potestis nisi incognitos. Ergo praeferendi in quibus aliquid desideres, modo non desit quod est praecipuum, pietas et mediocris linguae cognitio. Quid, si quempiam eligatis hac conditione ut illi non sit alligatum munus, si paulo post magis idoneus offeratur, idque diserte et homini et senatui curctis dictum?

Ego, quum intelligerem subreptitias literas in linguam gallicam versas a *Trollieto* [2]) circumferri et addi oleum camino, veni in curiam, ostendi quam iniquae essent istae artes, quam perniciosa ecclesiae ratio et quam malum exemplum. Vocatus est ille. In medium protulit. Manum meam agnovi. [3])

1078. 1) *Qui quum de* 16. *Sept.* (*N.* 1077) *adhuc in vivis esset, his ipsis diebus mortuum esse constat.*

2) *Nomen viri variis modis scribitur. Hic e vetere gente Genevensi ortus olim in Burgundia eremitarum more vixerat, a.* 1545 *rediit munusque ecclesiasticum ambiit, quod quum ministri diffidentes ei negassent senatus ei civile aliquod detulit.* (*Reg. du Conseil* 20. *Mart.* 1545 *et seqq.*) *Non audiendus Galiffe Not. gén.* IV. 205 *quum dicit inimicitiam eius adv. Calvinum ex controversia de praedestinatione ortam, de qua demum a.* 1552 *agebatur. Etiam Gaberel* I. 406 *non bene dicit:* Il débaucha le domestique de Viret qui déroba plusieurs lettres à son maître. *Nam ubique unicae illius epistolae N.* 613 *mentio fit, in qua surripienda Trollietus nullas habuit partes. Cf. praeterea N.* 648. *Ruchat* V. 264. *Henry* II. 448. *Hundesh.* 234.

3) *Reg. du Conseil* 14. *Sept.* 1548: M. Calvin sest lamente de quelques lectres (*literae n'en désigne pas nécessairement plusieurs*) que lon veist publiquement par les tavernes specialement par Trolliet: et pource que cella pourroit estre au desavanchement de la parolle de Dieu a prie y avoyer advys et quil espere que telles lectres sont controvees et falciffiees . . . . Resoluz qui soit appelle ledit Trolliet et quil aye a apporter ladite lectre pour icelle visiter. — — Sur ce que Calvin sest lamente auiourdhuy de une lectre laquelle a este deslyvree en conseyl par M. Trolliet, et icelle entendue resoln voyeant que le magestral est par icelle blasme que icelle soyt

Deinde excusavi ut res postulabat. Ita domum remissi sumus. Decretum autem erat ut die Lunae proxime elapso iterum vocarer. Non fuit factum. Quid obstiterit nescio, nisi quod fraudem improborum esse suspicor, ut hoc telo sint armati ad nocendum quoties erit commodum. Nam senatus in eam partem inclinaverat ut tota res sepeliretur. Ergo, si quando opis tuae indigui, nunc maxime vides mihi esse necessariam. Ego enim urgere sine timoris confessione non potero. Si autem huc concedas et conqueraris de iniuria tibi facta, deinde addas, non ita de hac republica esse te meritum, ut literas furto tibi ablatas retineant, postremo eas tibi reddi postules, quin etiam tibi opus esse significes ad furem convincendum, puto rem fore non difficilem impetratu.[4]) Nunc tu quidnam maxime expediat delibera. Totus illic senatus perstringitur. Tempus enim describitur quo se *Corneus* abdicavit quaestura.[5]) Deinde narro quos tunc creasset populus syndicos et qui allecti essent in senatum. Tandem sequitur: *Optima quaeque de se sperari volunt: ego quid sperare debeam nescio, nam Christi praetextu sine Christo regnare volunt.* Quoniam inter eos nominantur Amedeus *Curtetus* et Dominicus *Arlo*, qui nunc sunt in carcere donec aerario solverint, illos adit *Perrinus* cum suis et reconciliata gratia in me instigat. Sollicitantur etiam alii. Denique nihil mali praetermittunt quo me evertant. Ego partim dissimulo, partim libere profiteor, omnes eorum conatus mihi esse ludibrio. Vicisse enim se putarent si quod in me animadverterent signum formidinis: nec sane quidquam est quod magis frangat eorum impetus, et bonos animet ad causam sustinendam, quam mea fiducia. Si venire brevi non liceat, vide annon scribere expediat. Sed nolim nisi per certum nuncium, et qui mandatum habeat responsi flagitandi. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore et filiola. Saluta fratres diligenter. Uxor mea vos etiam salutat. 20. Septembr. 1548. Ioannes Calvinus tuus.

Si[6]) quando fidelem amicum nactus eris optarim semel percurrere quae hactenus ad te scripsi.

monstree audit Calvin, lequel layant veue a recogneu avoyer escripte et a fayct ses excuses prendre les choses a la bonne part et adviser quil naye nulle sizanie en leglise. Ordonne que remonstrances soyent faictes audit Calvin *etc. Vides Nostrum nimis sero intellexisse, se prudentius acturum fuisse si tacuisset.*

4) *Adfuit Viretus in senatu d.* 28. *Sept. et iterum cum Calvino Cal. Oct. sed nihil impetravit pro tempore.*

5) *Iam tandem epistola inspecta novit ipse quo pacto ea sibi fraudi esse poterat. Corneus quaestor se munere abdicaverat, de improvida senatus administratione questus qui decem mille flor. ultra reditus expenderat* (*Roget p.* 151.)

6) *Haec in margine.*

1079.

BUCERUS CALVINO.

Tristis rerum status Argentorati cui Interim obtruditur sine aliquo temperamento. Contra quod an Calvinus scribere debeat ipsi deliberandum permittit.

(Manu scriptam nusquam vidimus. Edidit Beza Genev. p. 93, Laus. p. 157, Hanov. p. 176, Chouet p. 124, Amst. p. 56.)

S. D. in Domino qui vestras ecclesias diu servet, ut vel alicubi vox pura sonet evangelii. Quam pauci domus suas non in arenam aedificarint, dies praesens testatur. Deo plus potentiae perpauci tribuunt, quam sufficere carnis ratio iudicare potest. Pendemus nos hic adhuc consiliis. Petierant nostri ab Imperatore, ut vel aliquas nobis ecclesias relinqueret pro pura religionis administratione: id quod ille pernegavit.[1]) Nunc quid facturi sint, novit Dominus. Nonnisi miraculis servari poterimus. Tu ora nobiscum. De farragine nescio quid faciendum tibi statuam. Optarim, et utile ecclesiis agnosco, consilia et fraudes adversarii detegi: tamen haereo, an ecclesiae utile sit in te irritari singulariter crabrones. Dominus dedit tibi insigne donum illustrandi evangelium suum, cuius praeclarum nobis munus iam iterum exhibuisti commentariis tuis in Epistolas ad Timotheum. Spiritus Domini ipse te regat, et certum reddat de hac re et de omni ministerio tuo. Hic si quid fermenti recipiatur, finem faciet ministerii mei hic Dominus.[2]) Tum forsan dabit, ut, quod expetii toties, videam vestras ecclesias. Salveant sancti istic omnes. Plurimum me recreat subsistere adhuc in sua statione opt. *Viretum* nostrum. Optime vale cum uxore et domo tua tota. Pridie Calendas Octobris 1548.

Tuus totus Bucerus.

1080.

CRANMERUS BUCERO.

Invitat eum ut in Angliam se recipiat patriae vulnera melius absens sanaturus quam praesens.

(Ex authentico exemplari Archiv. Thoman. Argent.)

1079. 1) *Postridie Cal. Sept. legati Iac. Sturm, Matth. Geiger et Lud. Gremp ad Imperatorem missi fuerant, in hunc finem. Quos ille iussit cum episcopo rem tractare. Post longas negotiationes decretum est eam arbitris mediatoribus committere.* (*Sleid.* 143. 159. *Roehrich* II. 198.)

2) *Quod evenit Cal. Mart.* 1549.

Gratiam et pacem Dei in Christo. Legi tuas literas ad Iohannem *Halesium*, in quibus tristissimos Germaniae casus commemorans te in tua urbe verbi ministerio vix diutius praeesse posse scribis. Gemens igitur prophetae illud exclamavi: Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te a resistentibus dexterae tuae. Nec dubito quin Deus hos et similes piorum gemitus exauditurus sit, et veram doctrinam, quae hactenus in vestris ecclesiis sincere propagata est, et conservaturus et defensurus sit adversus omnes diaboli et mundi furoses. Interim saevientibus fluctuum procellis in portus confugiendum est iis qui vela in altum tendere non possunt. Tibi igitur, mi *Bucere*, portus longe tutissimus erit nostrum regnum, in quo Dei beneficio semina verae doctrinae feliciter spargi coeperunt. Veni igitur ad nos et te nobis operarium praesta in messe Domini. Non minus proderis catholicae Dei ecclesiae, quum apud nos fueris, quam si pristinas sedes retineres. Adde quod adflictae patriae vulnera absens melius sanare poteris quam nunc possis praesens. Omni igitur semota cunctatione quamprimum ad nos venias. Ostendemus, nobis praesentia *Buceri* nihil gratius aut iucundius esse posse. Sed cave ne quid ex itinere incommodi accipias. Nosti quos habeas vitae insectatores: eorum manibus ne te commiseris. Est istic mercator quidam Anglus Richardus *Hils* [1]), vir pius et summa fidelitate praeditus cum quo de tota itineris ratione te conferre velim. Praeterea Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro ut in ira misericordiae recordetur, et adflictae ecclesiae calamitates respiciat, et lucem verae doctrinae apud nos magis magisque accendat, apud vos vero iam multos annos praeclare lucentem non exstingui patiatur. Is te quoque, mi *Bucere*, regat et servet et incolumem ad nos traducat. Bene et feliciter vale. Londini 2d. Octob. 1548.

Tui [2]) ad nos accessus cupientissimus
T. Cant [3]).

1081.

BRENTIUS CALVINO.

Narrat fata sua post subactum ducatum Wirtembergensem, item aliarum civitatum et regionum discrimina.

(Describenda fuit ex edit. Bezae Genev. p. 76, Laus. p. 171, Hanov. p. 192, Chouet p. 102, Amst. p. 46.)

Non dubito, amicissime mi *Calvine*, te iamdudum accepisse quis sit status, imo quae sit mutatio ecclesiarum in nostra parte Germaniae: quae ruina etiam me ex ea ecclesia, in qua evangelium filii Dei viginti quinque annis docui, eiecit. Et quum mandato *τοῦ αὐτοκράτορος*, vel ad carceres vel ad mortem petitus fuerim, hactenus divina clementia, et cura amicorum ita defensus sum, ut his diebus salvus ad Basileam pervenerim [1]). Statui autem hic hibernare. Et quamquam invenerim omnia hic commoda, hospitium, urbis amoenitatem, civium benevolentiam, doctorum virorum familiaritatem, et (quo maxime delector) ministrorum ecclesiae humanitatem: tamen quum venit in mentem vastatae ecclesiae, desertae familiae meae, ac periculorum, quae aliis ecclesiis et ministris earum imminere videntur, cogitare ipse potes nihil externarum rerum tam amoenum esse, quod in tali paroxysmo iucunditatem afferre queat. Quare, quae est tua pietas, non dubito, quin coniungas tuas preces cum nostris, ut filius Dei incipiat iterum declarare se sedere ad dextram Dei patris sui, et tueri ecclesiam suam. Nam hoc officium nos vicissim vobis praestamus, et gratulamur, tibi et tuae ecclesiae, quod haec pericula ad vos nondum pertingant, ac precamur Deum patrem Domini nostri Iesu Christi ut vos ita conservet, quo perspicue cognoscatur ecclesiam filii Dei non in coelis tantum, verum etiam in terris suas habere mansiones et hospitia. De Argentorato, existimo te e *Buceri* literis cognoscere quae vel spes sit, vel metus. Adhuc deliberatur ibi de recipiendo vel reiiciendo Interitu [2]). Wittembergum [3]) et reliqua Saxonia ac Misnia fortiter adhuc Interim recusant. Norimberga [4]) agnoscit quidem *τὸ μεταξύ*: sed nihil adhuc ibi mutatum est. In ducatu Wirtembergensi aliquibus in locis, una diei hora missatur, alia evangelium Christi praedicatur [5]). Nec ibi quidquam mutatum est, nisi quod veteres quidam sacrificuli faciant missas, veri autem ministri ecclesiae receperint in administratione sacrorum vestitum, quem vocant choralem, et adiecti sint quidam festi dies ad priores, praeterea esus carnium publicus consuetis hactenus diebus interdictus

---

1080. 1) *vide infra N.* 1113.
2) *manu propria.*
3) *Thomas Cantuariensis archiepiscopus.*

1081. 1) *d.* 24. *Iunii Halam Suevorum fugitivus reliquit ut manibus eorum quos Granvella miserat ad eum capiendum se subduceret.* (*Hartmann et Jaeger* II. 173). *Primum in vicinia Halae in sylvis absconditus, tutius mox refugium per Ulricum ducem habuit in arce Hohenwittlingen prope Uracum, postea Argentoratum, Monsbelgardiam, denique Basileam petiit, ubi a magistratu exceptus apud Grynaei viduam degebat.*
2) *sic.*
3) *Sleid.* III. 132; *Ranke*, V. 54.
4) *d.* 28. *Augusti.*
5) *Heyd, Hz. Ulrich* III. 518 *sq.*

sit. Caetera ita ibi salva sunt, ut pii ministri non solum non exturbentur e suo ministerio, verum etiam ex aliis locis expulsi recipiantur. Dominus det ut princeps eius regionis possit hoc institutum suum conservare et tueri. In quibusdam imperialibus civitatibus restituitur non interitus tantum, sed etiam papatus ipse, hoc est extrema internecio. Optimus noster *Frechtus* [6]) adhuc tenetur captivus cum collegis suis in arce Kircheim, in ducatu Wirtembergensi, quam arcem Hispani praesidio suo tenent. *Τὸν αὐτοκράτορα* aiunt hac hyême rediturum ad Spiram. Qui reditus, quid allaturus sit incolumitatis reliquiis ecclesiarum res ipsa declarabit. Et fortassis suas etiam partes aget in hoc negotio iudicium camerae his diebus Spirae instauratum. Ita vides nihil nobis spei nisi in coelo repositum esse. Age igitur, amicissime mi *Calvine*, conscende, quod facis, nobiscum precibus tuis in coelum, ut excitemus filium Dei ad servandas reliquias suas. Bene ac feliciter vale. E Basilea. Reliqua *Renatus* [7]) ille, qui mihi iucundus fuit comes ab Argentorato usque ad Basileam. 6. Octobris.

Brentius tuus.

1082.

HOTOMANUS CALVINO.

Mittit ei opus suum nuper absolutum.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 163.)

Clarissimo viro optimo parenti meo D. Carolo Passelio.

S. P. Vincentius *Magius* [1]), vir summa fide atque integritate praeditus, de mea valetudine tibi id quod res est narrabit. Tantum affirmo: nihil esse, Dei beneficio, quod vereamur ne et iter a nobis institutum brevi conficere non possimus. Sed exspecto avide tuas literas, quibus me pro tua singulari humanitate certiorem facias, num ipse D. praefectus No. eam summam tibi mea causa, quum primum eo venero, numerare velit, de qua tibi mentionem superioribus meis literis feceram. Alioqui enim, ut aut tibi, mi pater, aut cuiquam alii molestus sim, non possum animum inducere. Utut autem res habitura sit, vehementer abs te peto ut Domino praefecto significes haec celari oportere. Quod reliquum est, mitto ad te libellum Actionum [2]), serius fortasse quam par erat, sed tamen tabellarii penuria: nam I. F. se ipse quoque ab onere excusavit. Eum ego Laudatio inscripsi: sed prolixam praefationem quam ad te miseram, quod operi tam exiguo minus convenire videretur, in eam quam legis mutandam existimavi. In appellando tamen homine consilium tuum sum sequutus. Si quod tibi ex gravissimis tuis curis rarum tempus erit, peto abs te ut quae de iureiurando, de Verrinis et quaestione singulari tradidi, ea legere non recuses pag. 80. 150. 244. Bene vale, mi domine, praestantissime Christi minister. Dominus Iesus spiritu suo te confirmet et ecclesiae suae incolumem quam diutissime conservet. Lugd. 10. Octob.

Deditissimus tibi
HTMNS.

6) *Cf. Sulzeri ep. N.* 1073.
7) *D. Renatus Stadmann a duce ei comes additus fuerat* (*Hartmann* II. 183).

1082. 1) *Vide supra N.* 1067.

1083.

BULLINGERUS CALVINO.

Constantiae triste fatum; urbs dedita, ministri exsules. Turicenses sibi ipsis timent.

(Ex edit. Bezae Gen. p. 79, Laus. p. 157, Hanov. p. 177, Chouet p. 105, Amst. p. 48. Inde descripsit Simlerus tom. 68.)

Tuas, dilecte mi *Calvine*, scriptas in Iulio [1]), in Augusto demum accepi. His serius respondeo: nam nunc negotiis oppressus sum, ita tantum non moerore contabesco propter interitum ecclesiarum in Germania superiore. Pridie defecit etiam Constantia, dedidit sese Romanorum Regi, recepit milites praesidiarios 800 [2]). Cives optimi, inter quos *Blaurerus* Consul, *Zuickius*, *Labhardus*, *Hurusius*, et alii insigniores multi relictis aedibus et immobilibus excesserunt et fugerunt in Durgaviam. D. *Ambrosius* ante 5 septimanas improbitate civium compulsus ad sororem in Durgaviam concessit, et ibi hactenus delituit. Sustinet odium indicibile.

2) Comment. ad titulum Institutionum de Actionibus Lugd. 1548. *De quo opere Nevelet in Vita Hot. ap. Baylium:* Iurisconsultis etiam magnis gratum ob sermonis latini elegantiam et romanae antiquitatis exquisitam scientiam. *Vide et Haagium.*

1083. 1) *deperditas.*
2) *Hoc factum esse constat pridie Idus, quum d.* 13. *Oct. ultima vice cultus evangelico more celebratus fuisset, et iam* 11ª *cives se Austriacis dedere decrevissent.*

Iam concessit ad ipsum etiam D. *Thomas* Cos. et frater [3]), vir incomparabilis. Iam vero malum etiam nobis imminet. Exspectamus quid vel hac hyeme, vel in vere, hostes veritatis contra nos tentaturi sint. Dominus adsit nobis, et confirmet nos in sua sancta veritate, ne quid nostra professione indignum admittamus. Orate pro nobis. Sunt nostri alacres, intrepidi et constantes adhuc, parati quaevis subire pericula: sed nisi vigilaverit Deus, frustra vigilat qui custodit urbem. Peccata nostra, sanguis, ingratitudo, avaritia, contentio, invidia et alia his similia premunt nos omnes qui nomen Christi gerimus: ac meremur ut nos flagello excitet Dominus. Hic tamen clemens est et propitius, si vera fide et sanctis precibus ipsi occurramus. Si placet ei nos ex hoc eripere saeculo, innumeris liberarit malis, vita donabit aeterna. Ipsi gloria semper. Ora pro nobis et saluta fratres omnes. Salutant te D. *Bibliander, Gualtherus, Pellicanus. Werdmullerus,* denique fratres omnes. Tiguri, 15. Octobris 1548.

H. Bullingerus tuus.

1084.

CALVIN A UN SEIGNEUR FRANÇAIS [1]).

Exhortation à la constance dans la vraie religion.

(Copie. Bibl. de Genève. Vol. 107, f. 21, de laquelle dérivent celle du Vol. 111, f. 198, celle de Berne Epp. VII. p. 934 et celle de Simler. Vol. 68. Ruchat V. 535. Bonnet I. 256. Trad. angl. II. 165.)

Monsieur, iay entendu une partie de vostre intention par S. François de *la Riviere* [2]), et loue nostre Seigneur du bon couraige quil vous a donne de le servir iusques au bout. Comme nous devons entierement nous adonner a luy et sans reserve, si nous voulons estre recongneuz des siens, il reste de scavoir comment vous pourrez deuement vous employer a son service. Il est vray que la terre est sienne, et que par tout il nous est licite dhabiter, moyennant que nous ayons le soing de nous conserver impolluz, pour lhonorer tant de corps comme desprit. Quant il nous est dict que toutte la terre est sainte, cela nous admoneste que nous ne la devous nullement souiller en mal vivant. Il ny a maintenant qua regarder si en simulant, comme vous faictes, vous nestes point participant des pollutions que vous condamnez a bon droict aux infidelles. Jentens bien que vostre coeur est bien loing dy consentir, mais en monstrant signe dy communiquer, il ny a doubte que vous ne faciez profession dy consentir. Or comme devant Dieu nous devons detester lidolatrie, aussy devant les hommes il nous convient abstenir de ce qui peult donner a congnoistre que nous lapprouvons. Cest bien raison que le corps soit garde a Dieu tout pur, comme lame, puis quil est temple du S. esprit, et a la promesse de la gloire immortelle qui sera revelee au dernier iour. Or est il impossible [3]) demployer entierement au service de Dieu corps et ame, et ce pendant faire semblant de convenir avec les idolatres, en ung acte que nous congnoissons estre au deshonneur de Dieu! Il ne suffit pas de respondre icy que vous nen faictes nulle declaration de bouche, plustost que vous seriez prest a protester le contraire, si vous en estiez requis, car vous scavez bien que vous ny allez a aultre intention, sinon pour monstrer aux ennemys de Dieu que vous ne reiectez point ce quilz font, car si ce nestoit pour leur gratiffier, et par ce moyen eviter lopinion destre repugnant a leurs sacrileges, iamais vous nen approcheriez. Et cela nest aultre chose, sinon faire hommaige a leur idole par faintise, combien que laffection ny soit pas. Sil vous semble que iespluche les faultes de trop pres, ie vous prie dentrer en vousmesme, et vous trouverez que ie ne vous mectz rien en avant, de quoy vostre conscience ne vous redargue. De la iugez si Dieu ny trouve pas encores a redire beaucoup plus, car il y voit bien plus cler que nous. Parquoy de conseiller a ung homme Chrestien de continuer en tel estat, ie ne puis selon le iugement que Dieu ma donne, et ne scay que dire pour toutte resolution, sinon que celuy qui est hors dune telle captivite [4]) est bien heureux. Ainsy quiconque a le moyen de sen re-

---

3) *Ambrosii scil. Consulis tunc temporis aegroti vices gerebat. Ambrosius ipse iam d.* 28. *Aug. post receptum Interim urbem reliquerat. Soror eius erat vidua Henrici ab Ulm, et sedebat in arce Griessenberg in Thurgovia. Postea ipse cum fratre Vitodurum concessit unde* 1551 *ad ministerium Bielense capessendum vocatus fuit.* (*Pressel, Blaurer* 1861. *p.* 479.). *Etiam reliqui ministri in Helvetiam se receperunt.* (*Vierordt, Ref. in Baden p.* 380.)

1084. 1) ... Peut-être Charles de Jonvillers qui devint, quelques années après, le secrétaire et l'ami du réformateur. Ce fut en effet en 1549, et d'après les conseils de Calvin, que ce seigneur quitta Chartres, sa patrie, pour se rendre à Genève, où il fut reçu habitant en 1550, et bourgeois en 1556. (*Bonnet*). *Nous hésitons beaucoup à adopter cette hypothèse, que M. Bonnet paraît rétracter taciment dans ses Récits du* 16e *Siècle p.* 115, *où il nous montre Jonvillers étudiant le droit à Padoue en* 1550 *avec Louis de Budé. Nous ne trouvons aucune trace de rapports entre Pérucel et Jonvillers.*

2) *Pérucel, voyez N.* 881 *et* 924.

3) si possible *Bt.*

4) contrainte *Bt.*

tirer, ne le doibt nullement mespriser a mon advis. Vray est que iamais homme naura les choses tant a soubhet, quil en sorte [5]) sans difficulte, voire mesme sans beaucoup de fascheries, sans dommage et perte de ses biens. Mais apprenons de preferer lhonneur de Dieu a tout. Quant a vous ientens nostre bon Dieu vous a amene iusques la, que vous estes bien resolu de ne crouppir en lieu ou vous loffensiez a vostre escient, qui est cause que ie me deporte de plus longues exhortations. Seulement advisez de ne point suffoquer ceste bonne volunte quil vous a donne, mais plustost vous inciter, faisant office de solliciteur pour vous reduire en memoire de mettre en execution vostre bon propoz. Car ie scay, et lexperience vous monstrera, combien il y aura de distractions pour le vous faire oublier, ou tant delayer quil se refroidisse. Quant est des moyens [6]) que le sire *Francois* ma mis en avant, ie luy en ay respondu ce quil vous en mandera, comme ie pense. Pourtant [7]) il fauldroit que le partement fust tel que degypte, troussant voz hardes avec vous. En cela ie voy [8]) quil est mestier dung ferme couraige et bien constant. Mais vous pourrez tout en celuy qui vous fortifie. Quant il vous auroit aconduyt iusques icy, vous verrez laddresse quil vous donnera. De mon coste ie my vouldrois employer de bon coeur [9]), selon que iy suis tenu. Jespere que vous ayant tenu la main en plus grandes choses, quil ne vous deffauldroit pas en cest article. Mais il lui plaist quelquesfois dexercer et esprouver nostre foy, en telle sorte quen laissant ce que nous tenons en main, nous ne sachions ce que nous devons trouver. Nous en avons exemple en nostre pere Abraham. Apres luy avoir commande dabandonner le pays, son lignage, et tout le reste, il ne luy monstra presentement rien pour recompanse, mais le remect a ung aultre terme. Viens, dist-il, en la terre que ie te monstreray. Si luy plaist au iourdhuy de faire le semblable envers nous, que nous quittions le lieu de nostre naissance pour nous transporter en pays incongneu, sans scavoir que nous y devons trouver, rendons-nous a luy, quil guide [10]) nos pas, et faisons luy cest honneur desperer quil nous conduira a bon port. Mesme il faut que vous soyez tout adverty que vous neutrerez pas en ung paradis terrestre, pour vous resiouir en Dieu sans aulcune moleste: vous trouverez ung peuple assez rude, vous y aures des tentations assez fascheuses. Brief, ne pretendez de meliorer vostre condition, sinon en tant questant delivre de ceste malheureuse captivite de corps et dame, vous aurez conge de servir Dieu purement. Vous aurez la pure doctrine de sa parolle, vous invoquerez son nom en la compaignie des fideles, vous iouirez du vray usaige de ses sacremens. Mais cela nous doibt bien suffire pour le tout, si nous le prisons comme il appartient. Du reste des commoditez, vous en prendrez ce que Dieu vous donnera, vous passant de ce dont il vouldra que soyez prive. Preparez-vous donc, en suivant Iesus Christ, de ne point fouir la croix, car aussy vous ny gaingneriez rien en la fuiant, pource quelle vous trouvera neantmoins. Mais contentons nous de ce bien inestimable, quil nous soit licite non seulement de vivre en repos de conscience, mais de nous exercer iournellement en la doctrine de salut et en lusaige des sacremens, pour nostre confirmation. Qui bastira sur ce fondement, fera ung bon edifice, et de faict aultrement ne pourriez vous monstrer si vous prisez Jesus-Christ ou non, sinon en estimant aupres de luy tout le monde comme fiante.

Sur ce, Monsieur, apres mestre recommande affectueusement a vostre bonne grace, ie prieray nostre bon Dieu de vous remplir desprit de conseil et prudence pour iuger ce qui sera bon et expedient, et vous fortifier en vraye constance, pour executer ce qui sera selon sa volunte: ce faict qui luy playse vous conduire par la main, benir vostre issue et vostre entree, pour faire [11]) le tout a bonne prosperite. Ce 18 doctobre 1548.

Vostre humble frere et serviteur en nostre Seigneur,

Ch. Despeville.

---

5) qu'il ne soit *Bt.*

6) *Il s'agit évidemment de quelqu'un qui ne vivra pas de ses rentes.*

7) Cependant *Bt.*

8) croy *Bt.*

9) et bonne ame *add. Bt.*

10) gouverne *Bt.*

11) *Le MS. porte:* faire venir, *mais ce dernier mot est effacé. M. Bonnet y a substitué:* [tourner] *comme pour remplir une lacune.*

1085.

CALVIN A LORD SOMERSET.

Adresse exhortatoire sur la réformation de l'Eglise.

(Nous reproduisons le texte de la minute dictée par Calvin et corrigée de sa propre main, Bibl. de Genève Cod. 107, fol. 8. L'exemplaire de la Bibl. nationale de Paris, Coll. Dupuy 102, fol. 7, suivi par M. Bonnet présente de nombreuses variantes de peu d'importance. Il s'y en trouve un autre aux MSS. français N. 22,562 fol. 25, enfin un dernier à Berne, à la bibliothèque A. 46. Imprimé dans Henry, Tome II. App. p. 26 et dans

les Lettres françaises I. 261—281. Trad. angl. de Constable II. 168 suiv. et dans la Collection de la Soc. Parker III. 704. Pour le texte latin voyez la pièce suivante.)

Monseigneur, combien que Dieu vous ayt proveu dune singuliere prudence, magnanimite et aultres vertuz requises a lestat ou il vous a constitue, et aux affaires quil vous a mis en main, toutesfois dautant que vous me tenez pour serviteur de son filz auquel vous desirez sur tout dobeir, ie me tiens asseure que pour lamour de luy vous recepvrez humainement ce que ie vous escriz en son nom, comme de faict ie ne pretenz a aultre fin, sinon quensuivant ce que vous avez commence de plus en plus, vous advanciez son honneur iusques a ce que vous ayez estably son regne en telle perfection comme il se peult veoir au monde. Et aussi vous cognoistrez par la lecture, que sans advancer rien du mien, le tout sera tire de sa pure doctrine. Si ie ne regardois que la dignite et grandeur ou vous estes, il ny auroit point accez pour ung homme de ma qualite. Mais puis que vous ne refusez point destre enseigne du maistre auquel ie sers, mais que plustost preferez a tout le reste la grace quil vous a faicte destre de ses disciples, il me semble que ie nay besoing de vous faire longue excuse ne preface, pource que ie vous tiens assez dispose a recepvoir tout ce qui procedera de luy.

Nous avons tous a rendre graces a nostre Dieu et Pere de ce quil sest voulu servir de vous en une oeuvre tant excellente, que de remettre au dessus la purete et droicte reigle de son service en Angletterre par vostre moyen, et faire que la doctrine de salut ayt lieu, et y soit fidellement publiee pour tous ceux qui la vouldront escouter; de ce quil vous a donne telle vertu et constance a poursuyvre iusques icy contre tant de tentations et difficultez, de ce quil vous a tenu la main forte en benissant tous voz conseilz et labeurs pour les faire prosperer. Ce sont choses qui incitent tous vrays fidelles a magnifier son nom. Mais ce pendant pource que Sathan ne cesse deslever tousiours nouveaulx combatz, et que cest une chose de soy si difficille que rien plus, de faire que la verite de Dieu domine paisiblement entre les hommes qui de leur naturel sont adonnez a mensonge; daultrepart quil y a tant de circonstances qui empeschent auiourdhuy le cours dicelle, et sur tout que les superstitions de Lantechrist aiant prins racine de si long temps ne se peuvent aisement oster des coeurs, il me semble que vous avez bon mestier destre conferme par sainctes exhortations. Et ie ne doubte point que lexperience ne le vous face sentir, qui sera cause de my faire proceder plus franchement. Pource que ma deliberation, comme iespere, respondra a vostre desir, quant mes exhortations seroient superflues, si supporteriez vous le zele et solicitude qui minduit a les faire. Par plus forte raison ie croy que la necessite que vous en sentez, fera quelles soient encor mieux receues. Quoy quil en soit, ie vous supplye, Monseigneur, quil vous plaise me donner audience en quelques advertissemens que iay propose de vous deduyre icy en bref, esperant que quant vous les aurez escoute, pour le moins vous y trouverez goust pour en estre console, et prendre tant meilleur couraige a continuer la saincte et noble entreprinse ou Dieu vous a voulu employer iusques icy.

Je ne doubte pas que les grandz troubles [1]) qui vous sont advenuz despuis quelque temps, ne vous ayent este bien durs et facheux, et sur tout, pource que plusieurs en ont peu prendre occasion de scandalle; dautant quilz estoient esmeuz en partie soubz umbre du changement de la religion. Parquoy il ne se peult faire que ce ne vouz ayt este ung assault bien rude, tant pour les pensees quil vous en pouvoit venir a lesprit, que pour les murmures des malings et ignorans, et aussi pour lestonnement des bons. Certes le bruict que ien ay ouy de loing me cause grande angoisse en mon coeur, iusques a ce que iay sceu que Dieu avoit commence dy mettre quelque remede. Toutesfois pource quilz ne sont point possible encore du tout appaisez, ou que le diable les pourroit renouveller, quil vous souvienne de ce que lhystoyre saincte recite du bon Roy Ezechias, assavoir quand il eust aboly les superstitions en Judee, reforme lestat de lEglise selon la loy de Dieu, que allors il est tellement presse de ses ennemys quil semble bien quil soit homme perdu et desespere. Ce nest pas sans cause que le S. Esprit notamment exprime quune telle affliction luy est advenue, incontinent apres avoir restably la vraye religion en son ordre. Car il sembloit bien puis quil sestoit efforce de faire regner Dieu, quil deust avoir de son coste son Royaume paisible. Ainsi tous princes fidelles et gouverneurs de pais sont advertis par cest exemple, que dautant plus quilz mettront peine a chasser les idolatries, et procurer que Dieu soit vrayement adore, comme il doibt, leur foy pourra estre examinee par diverses tentations. Dieu le permet et veult ainsi, pour declairer la constance des siens, et les exercer a ce quilz ayent a regarder plus hault que le monde. Ce pendant le diable aussi faict son office, tachant a ruiner la bonne doctrine par moyens obliques, comme par dessoubz terre, dautant quil nen peult ouvertement venir a bout. Mais suyvant ladmonition de sainct Jaques, qui

1085. 1) *La guerre d'Ecosse et les luttes politiques intérieures, dont celle avec Lord Seymour le propre frère du Protecteur était la plus violente et mena à une catastrophe sanglante.*

nous dit quen considerant la patience de Job, il nous fault regarder lissue, il nous convient aussi, Monseigneur, getter les yeux sur lissue qui a este donnee a ce bon Roy. Cest que Dieu luy a secouru en toutes ses perplexites, et quil est demeure a la fin victorieux. Sur cela puis que sa main nest point accoursie, et quil a auiourdhuy en aussy grande recommandation la deffense de sa verite et le salut des siens, comme il eust iamais, ne doubtez point quil ne vous veuille subvenir, et non pas seulement pour ung coup, mais en autant de tentations quil vous envoiera.

Si la plus part du monde resiste a lEvangile, et mesme sefforce avec toute raige et violence dempescher quil ne vienne en avant, nous ne le debvons pas trouver estrange. Cest lingratitude des hommes qui a tousiours este et sera de reculer, quand Dieu approche deulx, et mesme de regimber contre luy, quand il leur veult imposer son ioug. Davantaige pource que de nature ilz sont adonnez a hypochrisie, ils ne peuvent souffrir destre amenez a ceste clarte de la parolle de Dieu qui descouvre leur turpitude et honte, ne destre tirez hors des superstitions qui leur servent comme de cachettes pour leur donner umbre. Ce nest doncques rien de nouveau, sil y a grande contradiction [2]), quand on tache de reduyre les hommes a la pure obeissance de Dieu. Et aussi nous avons ladvertissement de nostre Seigneur Jesus, lequel nous dict quil apporte le glayve avec son Evangile. Mais si ne fault il pas que cela nous estonne, ou nous rende laches et craintifz, car en la fin quand les hommes se seront bien mutinez, et auront gette tous leurs boillons, ilz seront confuz en ung moment, et se rompront avec leur impetuosite. Vray est, comme il est dict au pseaulme second: Que Dieu ne se fera que rire de leurs esmotions, cest a dire quen dissimulant, il les laissera tempester comme si la chose ne luy attouchoit point. Mais si estce quen la fin ilz seront tousiours rembarrez par sa vertu, de laquelle si nous sommes armez, nous avons une bonne munition et invincible, quelques conspirations que le diable dresse contre nous, et en la fin cognoistrons par experience que tout ainsi que lEvangile est le message de paix et de reconciliation entre Dieu et nous, quil nous servira a pacifier aussi bien les hommes et par ce moyen sentirons que Esaie na point dict en vain que quand Jesus Christ regnera entre nous par sa doctrine, que les espees seront converties en charrues et les lances en faulx.

Ce pendant iacoit que la malice et rebellion des hommes soit cause des seditions et mutineries qui seslevent contre lEvangile, si estce quil nous fault regarder a nous et cognoistre que Dieu chastie noz faultes par ceulx qui aultrement ne veullent servir que Sathan. Ca este une complaincte ancienne que lEvangile estoit cause de tous les maulx et calamitez qui adviennent aux hommes. Defaict nous voyons par les histoyres que quelque temps apres que la Chrestiente fut espandue partout il ny eut quasi anglet de la terre qui ne fut horriblement affligé. Lesmotion des guerres estoit comme ung feu universel alume en tous pais. Les deluges dung coste, les pestes et famines de laultre, une confusion enorme dordre et de police, en sorte quil sembloit que le monde se deust plainement renverser. Nous avons pareillement veu de nostre temps, despuis que lEvangile a commence destre remis au dessus, beaucoup de povretez, tellement que chacun se plainct que nous sommes en ung siecle malheureux, et y en a bien peu qui ne gemissent soubz le fardeau. Or en sentant les coups, nous debvons regarder a la main de celuy qui nous frappe, et debvons aussi penser pourquoy. La cause qui le meust a nous faire ainsi sentir ses verges, nest pas trop obscure, ne difficile a entendre. Nous scavons que sa parolle par laquelle il nous veult guyder a salut est ung tresor inestimable; en quelle reverence est il receu de nous, quand il le nous presente? Puis donc que nous ne tenons pas grand compte de ce qui est tant precieux a Dieu cest bien raison quil se venge de nostre ingratitude. Nous oyons aussi ce que Jesus Christ prononce, que le serviteur sachant la volunte de son maistre, et ne la faisant point, est digne de double chastiment. Puis que nous sommes si lasches a obeyr a la voulunte de nostre Dieu, qui nous a este declairee plus cent fois que cydevant, ne trouvons point estrange sil se courrouce plus asprement contre nous, veu que nous sommes plus inexcusables. Quand nous ne faisons point profiter la bonne semence, cest bien raison que les chardons et espines de Sathan croissent pour nous poindre et piquer. Puis que nous ne rendons point a nostre createur la subiection qui luy est deue, ce nest point merveille que les hommes seslevent contre nous.

A ce que ientendz, Monseigneur, vous avez deux especes de mutins qui se sont eslevez contre le Roy et lestat du Royaume: Les ungs sont gens fantastiques, qui soubz couleur de lEvangile vouldroient mettre tout en confusion. Les aultres sont gens obstinez aux superstitions de lantechrist de Rome. Tous ensemble meritent bien destre reprimez par le glayve qui vous est commis, veu quilz sattachent non seulement au Roy, mais a Dieu qui la assis au siege Royal, et vous a com-

2) *Elle ne manquait pas à cette époque. A la tête du parti catholique se trouvaient Bonner évêque de Londres, Gardiner évêque de Winchester et la princesse Marie.*

mis la protection tant de sa personne comme de sa maieste. Mais le principal moyen est de faire tant quil sera possible que ceulx qui prennent goust a la doctrine de lEvangile pour y adherer, la recoivent avec telle humilite et craincte quilz renoncent a eulx mesmes pour servir a Dieu. Car ilz doibvent penser que Dieu les veult tous resveiller a ce quilz proffitent mieulx a bon escient a sa parolle, quilz nont pas faict. Ces forcenez qui vouldroyent que le monde se revirast en une licence confuse, sont subornez par Sathan pour diffamer lEvangile, comme sil nengendroit que revolte contre les princes, et toute dissipation en la vie humaine. Parquoy tous fidelles en doibvent souspirer. Les Papistes voulans soubstenir les ordures et abominations de leur idole Romain, se monstrent ennemys manifestes de la grace de Jesus Christ et de toutes ses ordonnances. Cela aussi doibt faire grand mal au coeur a tous ceulx qui ont quelque goust de bon zelle. Parquoy ilz doibvent penser tous ensemble que ce sont verges de Dieu sadressant a eulx. Et pourquoy, sinon dautant quilz ne font point valoir la doctrine de salut, comme il appartient? Ainsi le principal remede pour amortir telles seditions, est que ceulx qui font profession de lEvangile, soient vrayement reparez a limage de Dieu, pour monstrer que nostre Chrestiente ne cause nulle dissipation en la vie humaine, de donner bonne approbation par leur modestie et attrempance questans gouvernez par la parolle de Dieu, nous ne sommes point gens desbordez, ne sans bride: par leur bonne et saincte vie, clorre la bouche a tous mesdisans. Car, par ce moyen, Dieu estant appaise, retirera sa main, et au lieu que auiourdhuy il punit le mespris quilz ont faict a sa parolle, il benira leur obeissance en toute prosperite. Mesme que toute la noblesse et gens de iustice se rengent droictement et en toute humilite a la subiection de ce grand Roy Jesus Christ, luy faisant entier homaige et sans feintise dame, de corps et de tout, afin quil corrige et abbatte larrogance et temerite de ceulx qui se vouldroient eslever contre eulx. Voyla comment les Princes terriens doibvent regner servant a Jesus Christ et faisant quil ayt son authorite souveraine sur tous, tant petitz que grandz.

Parquoy, Monseigneur, entant que vous avez lestat du Roy vostre nepveu cher et en recommandation, comme vous le monstrez bien, ie vous supplye au nom de Dieu dappliquer icy vostre principal soing et vigilance, que la doctrine de Dieu soit preschee en efficace et vertu pour produyre son fruict, et ne vous lasser point quoy quil en soit, a poursuyvre une plaine et entiere reformation de leglise. Pour vous mieulx exprimer mon intention, ie distingueray le tout en trois poinctz. Le premier sera de la facon de bien endoctriner le peuple. Le second sera de lextirpation des abuz qui ont regne par cy devant. Le troisiesme, de corriger soigneusement les vices, et tenir la main a ce que les scandalles et dissolutions nayent point la vogue, tellement que le nom de Dieu en soit blaspheme.

Quant au premier poinct, ie nentendz point vous declairer quelle doctrine doibt avoir lieu. Plustost ie rendz graces a nostre bon Dieu quapres vous avoir illumine en sa pure cognoissance, il vous a donne conseil et discretion pour faire que sa pure verite soit preschee. Ainsi loue soit Dieu, vous nestes pas a enseigner quelle est la vraye foi des Chrestiens et la doctrine quilz doibvent tenir, veu que par vostre moyen la vraye purete de la foy est restituee. Cest que nous tenions Dieu pour le seul gouverneur de noz ames, que nous tenions sa loy pour la seule reigle et regime spirituel de noz consciences, pour ne le point servir selon les folles inventions des hommes. Item que selon sa nature, il veult estre servy en esprit et en purete de coeur. Daultre part que congnoissans quil ny a que toute malheurete en nous, et que nous sommes corrompuz en tous noz sens et affections, tellement que cest ung abisme diniquite que noz ames, estans desesperez en nous, ayant aneanty toute presumption de nostre sagesse, dignite ou pouvoir de bien faire, nous recourions a la fontaine de tous biens qui est Iesus Christ, recepvans ce quil nous donne, asavoir le merite de sa mort et passion, afin que par ce moyen nous soyons reconciliez a Dieu; questans lavez de son sang, nous ne craignions point que noz macules nous empeschent de trouver grace au throsne celeste; questans certains que noz pechez nous sont pardonnez gratuitement en la vertu de son sacrifice, nous mettions la nostre repos et appuy, pour estre asseurez de nostre salut; que nous soyons sanctifiez par son Esprit, pour nous consacrer a lobeissance de la iustice de Dieu; questans fortifiez par sa grace nous soyons vaincqueurs de Sathan, du monde et de la chair; finalement, questans membres de son corps, nous ne doubtions point que Dieu ne nous repute de ses enfans, et que nous nayons la confiance de linvocquer comme nostre pere; que nous soyons advertis de reduyre a ce but tout ce qui se dict et faict en lEglise; cest questans retirez du monde nous soyons eslevez au ciel avec nostre chef et Sauveur. Puis donc que Dieu vous a faict la grace de restablir la congnoissance de ceste doctrine qui avoit este si longtemps ensepvelye par lantechrist, ie me deporte de vous en tenir propos.

Ce que iay touche de la facon denseigner, est seulement que le peuple soit instruict pour estre touche au vif, et quon sente ce que dict lApostre, que la Parolle de Dieu est ung glayve trenchant

des deux costes, transpercant les pensees et affections iusques a la moelle des os. Ie dy cecy, Monseigneur, pource quil me semble quil y a bien peu de predication vive au Royaume, mais que la pluspart se recite comme par lecture [3]). Ie voy bien les necessitez qui vous contraignent a cela: car en premier lieu vous navez pas, comme ie croy, bons pasteurs et ydoynes, comme vous les soubhaictez. Parquoy il vous est besoing de suppleer a ce deffault. Secondement il y pourroit avoir beaucoup despritz volaiges qui sortiroient hors des gons, semans des folles fantasies, comme souvent il se faict en nouveaultes. Mais toutes ces considerations nempeschent poinct que lordonance de Iesus Christ ne doibve avoir son cours, quant a prescher lEvangile. Or ceste predication ne doibt point estre morte, mais vive, pour enseigner, exhorter et redarguer, comme dict S. Paul a Thimothee. Voyre tellement que si ung infidelle entre, quil soit naivre et convaincu pour donner gloyre a Dieu, comme il dict en ung aultre passage. Vous scavez aussy, Monseigneur, comment il parle de la vivacite qui doibt estre en la bouche de ceulx qui se veullent approuver bons et fidelles ministres de Dieu, qui ne doibvent point avoir une parade de Rethorique pour se faire seulement valloir; mais que lEsprit de Dieu doibt resonner en leur voix, pour besoigner en vertu. Tous les dangers quon peult craindre ne doibvent empescher que lEsprit de Dieu nayt sa liberte et son cours en coulx ausquelz il a distribue de ses graces pour edifier lEglise.

Vray est cependant quil est bon et expedient dobvier a la legerete des espritz fantastiques qui se permettent trop de licence, de fermer aussi la porte a toutes curiositez et doctrines nouvelles; mais le moyen y est bon et propre tel que Dieu nous la monstre. Cest premierement quil y ait une somme resoulue de la doctrine que tous doibvent prescher, laquelle tous prelatz et cures iurent de suyvre, et que nul ne soit receu a charge ecclesiastique, qui ne promette de garder telle union. [4]) Apres quil y ayt ung formulaire commun dinstruction pour les petis enfans et les rudes du peuple, qui soit pour leur rendre la bonne doctrine familiere, en sorte quilz la puissent discerner davec les mensonges et corruptions quon pourroit introduyre au contraire. [5]) Croyez, Monseigneur, que iamais lEglise de Dieu ne se conservera sans Cathechisme. Car cest comme la semence pour garder que le bon grain ne perisse, mais quil se multiplie daage en aage. Et pourtant si vous desirez de bastir ung edifice de longue duree, et qui ne sen aille point tost en decadence, faictes que les enfans soyent introduictz en ung bon cathechisme qui leur monstre briefvement et selon leur petitesse ou gist la vraye chrestiente. Ce cathechisme servira a deux usages, assavoir dintroduction a tout le peuple pour bien profiter a ce quon preschera, et aussi pour discerner si quelque presumptueux avancoit doctrine estrange. . Ce pendant ie ne dy pas quil ne soit bon et mesme necessaire dastreindre les pasteurs et cures a certaine forme escripte, tant pour suppleer a lignorance et simplesse daucuns, que pour mieulx monstrer la conformite et concorde entre toutes les eglises; tiercement pour copper la broche a toute curiosite et invention novelle de ceulx qui ne demandement que extravaguer, comme iay desia dict que le cathechisme doibt servir de bride a telles gens. Autant en est il de la facon et maniere dadministrer les sacremens; item des prieres publiques. [6]) Mais ce pendant, quoy quil en soit, que telle police ne soit point pour amortir lefficace qui doibt estre a la predication de lEvangile. Et que vous mettiez peine, tant quil vous sera possible, que ayt des bonnes trompettes qui entrent iusques au profondz des coeurs. Car il y a danger que vous ne voyes pas grand proffit de toute la reformation que vous aurez faite, quelque bonne et saincte quelle soit, sinon que ceste vertu de predication soit desployee quant et quant. Ce nest pas sans cause quil est dict que Iesus Christ frappera la terre par le septre de sa bouche, et occira le meschant par lesprit de ses levres. Cest le moyen par lequel il nous veult dompter en destruisant tout ce qui luy est contraire. Et voyla pourquoy aussi lEvangile est appelle le Regne de Dieu. Ainsi combien que les edictz et statutz des princes soient bonnes aydes pour advancer et maintenir lestat de la chrestiente, si est ce toutesfois que Dieu veult declairer sa vertu souveraine en ce glayve spirituel de sa parolle, quand elle est annoncee par les pasteurs.

Pour ne vous point ennuyer, Monseigneur, ie viendray au second point que iay propose de vous toucher: cest dabolir et extirper plainement les abus et corruptions que Sathan a mesle cy devant parmy les ordonnances de Dieu. Nous scavons que soubz le Pape il y a une chrestiente bastarde, et

---

3) *Allusion au recueil d'homélies composé par Cranmer en* 1547 *et dont on faisait lecture au service.* (*Strype, memorials of Cranmer. Lond.* 1853. I. 211).

4) *Voir les* 39 *Articles.*

5) *Dès* 1547 *Cranmer avait traduit le catéchisme de Juste Jonas:* A short instruction to christian religion for the singular profit of children and young people. (*Strype, l. c.* I. 227. II. 138).

6) *La convocation de* 1547 *institua un comité d'évêques et autres personnes, qui préparèrent le* Book of Common Prayer, *introduit par acte du Parlement en* 1549. (*Strype, l. c. p.* 279. *Parker Society's edition of Liturgies of Edward VI. p.* 18.)

que Dieu la desadvouera au dernier jour, puis quauiourdhuy il la condampne par sa parolle. Si nous desirons de retirer le monde dun tel abisme, il ny a rien meilleur que de venir a lexemple de S. Paul, lequel voulant corriger ce que les Corinthiens avoient mal adiouste a la Cene de nostre Seigneur, leur dict: Iay receu du Seigneur ce que ie vous ay baillé. De la il nous fault recueillir ung enseignement general de retourner au vray commandement de Dieu et naturel, si nous voulons avoir une bonne reformation et approvee de luy. Car tant de meslinges que les hommes ont advance de leur esprit, autant sont ce de pollutions qui nous destournent du sainct usaige de ce que Dieu nous a donne pour nostre salut. Ainsi desbrancher a demy telz abuz ne sera point reduyre les choses en pur estat, car nous aurons tousiours une chrestiente desguysee. Ie dy cecy pource quaucuns, soubz umbre de moderation, sont dadvis quon espargne beaucoup dabus sans y toucher, et leur semble que cest assez davoir desracine le principal. Mais au contraire nous voyons combien la semense des mensonges est fertile, et quil nen fault quun grain pour remplir le monde au bout de trois iours, selon que les hommes y sont enclins et adonnez. Nostre Seigneur nous enseigne bien une aultre facon, car quand David parle des idoles il dict: Que leur nom ne passera point par sa bouche, pour signifier en quelle detestation nous les debvons avoir. Sur tout si nous regardons comment nous avons offense Dieu du temps de nostre ignorance, nous debvons estre doublement touchez pour fuyr les inventions de Sathan qui nous ont induitz a mal faire, comme des macquerellages qui ne servent qua seduyre les ames. Daultre coste nous voyons, encores quon remonstre aux hommes leurs faultes et erreurs, quon les advertisse des obietz tant quon peult, que neantmoins ilz sont si endurcys quon nen peult venir a bout. Quand doncques on leur laissera quelques relicques, ce sera une nourriture de tant plus grande obstination, et ung voyle pour leur obscurcir toute la doctrine quon leur pourra proposer. Je confesse bien quil fault tenir moderation, et que trop grande extremite nest pas bonne, ne utile; mesme quil fault accommoder les ceremonies a la rudesse du peuple. Mais il ne fault point que ce qui est de Sathan et de lantechrist passe soubz ceste couleur la. Cest pourquoy lEscripture saincte louant les Roix qui avoient abatu les idolatries, nayant point racle toua entierement, leur donne une notte que toutesfois ilz nont point abbatu lez chappelles et lieux de folle devotion.

Parquoy, Monseigneur, puis que Dieu vous a amene si avant, faictes, ie vous prie, que sans exception il vous approuve pour reparateur de son temple, en sorte que le temps du Roy vostre nepveu puisse estre acompare a celluy de Josias, et que vous luy mettiez les choses en tel estat, quil nayt qua maintenir le bon ordre que Dieu luy aura prepare par vostre moyen. Ie vous allegueray ung exemple de telles corruptions qui porroient rester, pour estre comme ung peu de levain qui en la fin aigrira la paste. Il se faict de par dela quelque oraison pour les trespassez, quand on communique a la cene de nostre Seigneur. Ie scay bien que ce nest pas pour advouer le purgatoire du Pappe. Ie scay aussi quon peult alleguer la coustume ancienne, de faire quelque memoyre des trespassez afin de unir ensemble tous les membres du corps. Mais il y a ung argument peremptoire au contraire, que la Cene de Iesus Christ est ung acte si sacre qui ne doibt estre souille par nulles inventions humaines. Davantaige quen priant Dieu, il ne fault point lacher la bride a noz devotions, mais tenir la reigle que Sainct Paul nous donne. Cest que nous soyons fondez en la parolle de Dieu. Ainsi telle memoyre qui emporte recommandation, nest convenable a la forme de bien et deuement prier, et est une addition mauvaise a la saincte Cene de nostre Seigneur. Il y a daultres choses qui possible seroient moins a reprendre, qui toutesfois ne sont a excuser comme la ceremonie de Cresme et onction. Le Cresme a este invente dune fantasie frivolle par ceulx qui ne se contentoient point de linstitution de Iesus Christ, et qui ont voulu contrefaire le Sainct Esprit par ung signe nouveau, comme si leau neust point suffy a cela. Lextreme onction quon appelle a este retenue par ung zelle inconsidere de ceulx qui ont voulu ensuyvre les Appostres, nayant pas le mesme don quiceulx avoient. Car quand les Appostres ont use dhuile sur les malades, cestoit pour les guerir miraculeusement. Quand le miracle est cesse, la figure ne doibt plus estre en usage. Parquoy il seroit beaucoup meilleur que ces choses fussent retranchees, tellement que vous neussiez rien qui ne fust conforme a la pure parolle de Dieu, et qui ne servit a ledification de lEglise.

Vray est quon doibt supporter les infirmes, mais cest pour les fortifier, et les amener a plus grande perfection. Cela nest pas a dire ce pendant quil faille complaire aux folz qui appettent cecy ou cela, ne sachant pourquoy. Ie scay la consideration dont plusieurs sont retenuz, cest quilz craignent quun trop grand changement ne se puisse porter, Mesmes quand on a esgard aux voysins avec lesquelz on desire de nourrir amytie, on leur veult bien gratifier en callant beaucoup de choses. Cela seroit a supporter en affaires mondains ou il est licite de conceder lun a laultre, et de quicter de son droict pour rachepter paix: mais ce nest pas tout ung du regime spirituel de lEglise, lequel doibt

estre ordonne selon la parolle de Dieu. Ici il nest point a nostre liberte de rien octroyer aux hommes, ne de fleschir en leur faveur. Mesme il ny a rien qui desplaise plus a Dieu, que quand nous voulons par nostre prudence humaine moderer ou retrancher, ou avancer ou reculer, oultre sa voulunte. Parquoy si nous ne voulons luy deplayre, il nous fault fermer les yeux au regard des hommes. Quant aux dangers qui peuvent advenir, nous les debvons bien eviter en tant quen nous est, mais non pas en declinant du droict chemin. Nous avons sa promesse quil nous assistera quand nous yrons droict. Ainsi il ne nous reste sinon de faire nostre office, en luy recommandant ce qui en adviendra. Et voyla pourquoy les sages de ce monde sont souventesfois frustrez de leur esperance pource que Dieu nest point avec eulx, quand en se deffiant de luy et de son secours ils cherchent des moyens obliques et lesquelz il condamne. Voulons nous dont sentir la puissance de Dieu de nostre coste? Suyvons simplement ce quil nous dict. Sur tout il nous fault tenir ceste maxime que la reformation de son Eglise est oeuvre de sa main. Parquoy il fault quen cest endroict les hommes se laissent conduyre par luy. Qui plus est soit en restaurant son Eglise, soit en la gardant, il y veult le plus souvent proceder dune facon admirable et incogneue aux hommes. Parquoy de restraindre ceste reformation qui doibt estre divine a la mesure de nostre sens, et assubiectir ce qui est celeste a la terre et au monde, il ny a point de propos. Par cela ie nexcluz point la prudence qui est fort requise a tenir tous bons moyens et propres a ne point exceder ne ca ne la en quelque extremite, a gaigner tout le monde a Dieu, si possible estoit. Mais il fault que la prudence de lEsprit domine, non point de la chair, et que ayant interrogue la bouche du Seigneur, nous luy demandions quil nous guyde et conduyse, plustost que de suyvre nostre sens. Quand nous en ferons ainsi il nous sera aise de coupper broche a beaucoup de tentations qui nous pourroient arrester au milieu du chemin. Parquoy, Monseigneur, comme vous avez commence a reduyre la chresticnte en son estat par les pais dangletterre, non point en confiance de vous mesmes, mais destre soubstenuz par la main de Dieu, comme iusques icy vous avez senty ceste main puissante, ne doubtez point quelle vous sera telle iusques au bout. Si Dieu maintient les Royaumes et principaultez des infidelles qui luy sont ennemys, par plus forte raison il aura en sa sauve garde ceulx qui si rengent a luy, et le cherchent pour leur superieur.

Ie viens maintenant au dernier article qui est de chastier les vices, et reprimer les scandalles. Ie ne doubte point quil ny ait loix et statutz bons et louables au royaume, pour tenir le peuple en honnestete de vie. Mais les grandz desbauchemens et enormes que ie voy par le monde, me contraignent de vous prier a prendre aussi ceste sollicitude que les hommes soient tenuz en bonne et honneste discipline. Sur tout que lhonneur de Dieu vous soit recommande, pour punir les crimes dont les hommes nont point accoustume de faire grand cas. Ie le dy pource que quelquefois les larrecins, batteries et extorsions seront asprement punies, pource que les hommes y sont offensez. Ce pendant on souffrira les paillardises et adulteres, les yvrogneries, les blasphemes du nom de Dieu, quasi comme choses licites ou bien de petite importance. Or nous oyons au contraire en quelle estime Dieu les a. Il nous declaire combien son nom luy est precieux. Ce pendant il est comme deschire par pieces et foulle aux piedz. Il ne se peult doncques faire quil laisse telz opprobres impuniz. Qui plus est lescripture nous monstre que par les blasphemes tout ung pais est infecte. Quant aux adulteres ce nous doict estre une grand honte a nous qui nous reclamons Chrestiens, que les payens y ayent tenu plus grande rigueur a les punir que nous: et mesme quelques fois quon ne fait que sen rire. Quand le sainct mariage, qui doibt estre une image vive de lunion sacree que nous avons avec le filz de Dieu, est pollue, que laliance qui doibt estre la plus ferme et indissoluble de ce monde, est desloyaument rompue, si nous ne prenons point cela a coeur, cest signe que nous navons gueres de zelle de Dieu. Touchant la paillardise, il nous doibt bien suffire que S. Paul la compare a sacrilege, dautant que par icelle les temples de Dieu, qui sont noz corps, sont prophanez. Item que les paillardz et yvrognes sont banniz du royaume de Dieu, tellement quil nous est deffendu de converser avec eulx: dont il sensuit bien quilz ne doibvent point estre endurez en lEglise. Et voyla qui est cause de tant de fleaux qui sont auiourdhuy sur la terre. Car dautant que les hommes se pardonnent telles enormitez, il fault que Dieu en face la vengeance. Parquoy afin de prevenir son ire, ie vous prie, Monseigneur, dy tenir la bride royde, et faire que ceulx qui oyent la doctrine de lEvangile, sapprouvent estre Chrestiens par sainctete de vie. Car comme la doctrine est lame de lEglise pour la vivifier, aussi la discipline et correction des vices sont comme les nerfz pour maintenir le corps en son estat et vigueur. Loffice des evesques et curez est de veiller sur cela, afin que la Cene de nostre Seigneur ne soit point polluee par gens de vie scandaleuse: Mais en lauthorite ou Dieu vous a mis, la principalle charge revient sur vous, voyre de mettre les aultres en train, afin que chacun sacquitte de son debvoir, et faire que lordre qui aura este estably soit deuement observe.

Or, Monseigneur, suyvant la protestation que iay faicte cy dessus, ie ne mexcuseray point plus au long, ne de la prolixite deſ mes lettres, ne de ce que ie vous ay librement expose ce que iavoie sur le coeur. Car ie me confie que mon affection vous est cogneue, selon vostre prudence, et comme vous estes exerce en lescripture saincte, vous voyez de quelle fontaine iay puise tout ce qui est icy contenu. Parquoy ie ne crains point de vous avoir este facheux et importun, en vous monstrant, selon que ie puis, le bon desir que iay que le nom de Dieu soit tousiours plus amplement glorifie par vous, dont ie le supplye iournellement, le priant quil luy plaise vous augmenter ces graces, vous confermer par son Esprit en une vraye constance invincible, vous soubstenant contre tous ennemys, vous ayant avec toute vostre maison en sa saincte protection, faisant que heureusement vous administriez la charge qui vous est commise, tellement que le Roy ayt de quoy louer ce bon Dieu davoir eu ung tel gouverneur en son enfance, tant pour sa personne que pour son Royaume. Sur quoy ie feray fin, Monseigneur, apres mestre treshumblement recommande a vostre bonne grace. [7])

1085 bis

CALVINUS DUCI SOMERSETI.

Somersetum Ducem Angliae Protectorem, indignissime (?) postea morte adfectum, accurate scriptis literis eorum admonuit quae, si tum essent in illo regno animadversa, multas fortasse tempestates ecclesiae anglicanae devitassent. (Beza, in Vita Calvini ad ann. 48.)

(Textum latinum propter maximam huius documenti famam, et nonnullas lectiones variantes authentico subiungimus, quamvis de primaria gallici dignitate nulli dubitemus. Exstat a Beza vulgatus Ed. Genev. p. 65, Laus. p. 158, Hanov. p. 177, Chouet p. 86, Amst. p. 39, Tum ap. Gerdes, Ann. ev. IV. 212, et Salig. A. C. VIII. 428. Inde gallice conversus in edit. Berol. p. 88.)

Etsi pro ea provincia quam nunc sustines, Amplissime Domine, Deus te singulari prudentia, fortitudine et aliis virtutibus quas muneris illius magnitudo postulat, instruxit: quia tamen me agnoscis pro filii ipsius servo, cui ante omnia te approbare cogitas, sic mihi persuasi benigne a te susceptum iri, quod ipsius nomine ad te scriberem. Neque enim mihi aliud proposui, quam ut opus coeptum persequendo, magis ac magis ipsius gloria promoveas, donec ipsius regnum in optatissimum illum statum perduxeris, qui in terris exstare quidem potest. Ex ipsa porro lectione percipies quam nihil de meo attulerim, sed ex ipsius scriptura, quidquid hic habes, in usum tuum protulerim. Iam si in unam magnitudinem intuerer, in quam istic evectus es, satis scio quam difficilis ad illam aditus esset tenuitati meae: quum vero non asperneris illius magistri doctrinam cui addictus sum, quin potius singularis privilegii loco ducas te unum haberi ex ipsius discipulis, non est quod pluribus me apud te excusem, quum te satis bene comparatum iudicem ad illud suscipiendum quod ab ipso profectum esse constabit.

Est sane de quo gratias agamus Deo et patri nostro, quod opera tua uti voluerit ad tantum opus ut per te inprimis purum et sincerum suum cultum in regno Angliae restitueret: praestaret etiam ut salutis doctrina audiretur passim, et fideliter annunciaretur omnibus qui aures arrigere dignarentur: quod etiam tantam fortitudinem et constantiam tibi indiderit, ut contra tot insultus et difficultates infracto animo pergeres, ac manu potenti te asseruerit hactenus, ut tua consilia et labores sua benedictione prosequutus sit, atque prosperaverit. Totidem, inquam, illa sunt piis omnibus argumenta, pro quibus ipsius nomen concelebrent. Sed tamen quia Satan totus in eo est, ut novas pugnas perpetuo accendat, ipsaque illa res se omnium difficillima una est, dare operam nempe ut Dei veritas placide apud homines obtineat quum illi natura mendacio addicti sint: quum etiam non desint alia quaedam quae ipsius cursum remorentur, ac nominatim quod superstitiones Antichristi tam altas radices egerunt, ut ex animis multorum aegre revelli queant: tu unus mihi tanto magis visus es ad opus tam arduum sanctis omnino exhortationibus confirmandus, uti ipsa experientia te hoc quoque comperturum non dubito. Atque hoc faciet ut apertius hic et liberius me geram: et sane quia meum consilium voto tuo, ut spero, respondebit, sic statuo te etiam exhortationem meam boni consulturum, ut ipsa non omnino necessaria fuerit, quum zelus et solicitudo quae me huc impulerunt tibi non probari non possint. Ac tanto magis illa quam ipse agnoscis necessitas faciet, ut acceptius etiam hoc apud te meum studium reddatur. Quare a te peto, Amplissime Domine, ut me hic patienter audias in iis de quibus te admonere paucis institui: ac vicissim spero, ubi illa attenderis, ipsa tibi solatium allatura, quo animosius deinde opus illud sanctum persequaris, ad quod Domino placuit te huc usque ministro uti.

---

7) *La date* (22. *Octob.* 1548) *ne se trouve point dans le manuscrit que nous avons reproduit.*

Equidem non dubito quin turbae illae ingentes quae ab aliquo tempore acciderunt, tibi valde molestae et acerbae fuerint: praesertim quum inde plerique offendiculum captarent, quos ex parte mutatio in religionis causa concitabat. Fieri, inquam non potest, quin te illa cernentem varii motus exceperint, sive, ad animum et sensum tuum ipse tum illa referres, sive ad strepitus improborum, sive ad proborum consternationem te ipsum converteres. Et me enim rumor ille tam longe dissitum ita vehementer constrictum tenuit, donec accepi affulgere coepisse auxilium a Domino. Sed quando vel ignis ille nondum plane consopitus est, vel non ita difficile sit a Satana rursus excitari, propone tibi ante oculos memorabile illud piissimi regis Ezechiae exemplum, quod a scriptura tam diserte traditum habemus: qui quum sublatis ex Iudaea superstitionibus purum Dei cultum ex ipsius lege constituisset, tanta subito belli mole exceptus est, ut pro homine perdito et deplorato habendus passim iudicari posset. Sic enim scriptura apposite ista simul convertit, quod quum totus ille in eo esset, ut verum Dei cultum suo loco reponeret, rem illi in speciem quam infelicissime successisse. Plane enim quum ita se cordate in Dei regno erigendo gessisset, regnum quoque ipsius cum summa tranquillitate coniunctum iri sperari poterat. Hinc igitur exemplum sibi statuant pii omnes principes ac provinciarum rectores, quo se animosius gerant, tum ad ableganda omnia idola tum ad verum Dei honorem, uti eo tenentur legitime procurandum, fidem ipsorum nempe per varias tentationes consimili examini subiiciendam esse. Sic permittit Dominus, sic vult denique, ut et suorum constantiam patefaciat, et illos comparatos reddat, ut oculos supra mundum attollere discant. Interea vero Satan sese immiscet, ut quum veram doctrinam aperte evertere non valet, obliquis artibus ac veluti per cuniculos idem moliri non desinat. Atque huc facit illa Iacobi admonitio, ut ad Iobi tolerantiam attenti in illius etiam exitum intueamur. Perinde enim res tandem illi piissimo regi cessit, cui Dominus ita adfuit in summis ipsius angustiis, ut tandem victoriam insigne inde retulerit. Quare quum neque manus ipsius abbreviata sit, neque porro minus illi sit nunc cordi, quam superioribus saeculis veritatis ipsius assertio, non est quod de illius ope desperes quicunque te fluctus excipiant.

Maximam hominum partem Evangelio resistere, et omnes conatus eo conferre ne illud emergat, adeo mirum videri non debet. Ea siquidem est perpetua mundi ingratitudo, ut Deo vocanti tergum obvertat et adversus illum calcitret, ubi iugum suum illi imponere cogitat. Quumque natura homines addicti sint hypocrisi, ferre non possunt, ut ad lumen verbi Dei adducantur, quod eorum foeditatem et probrum revelet: aut ut ex superstitionum suarum latebris extrahantur, sub quarum umbra somnum suum dormiunt. Quare novum non est ubi ab illa parte contradicitur quum de redigendis ad Dei cultum et obedientiam hominibus agitur. Hoc tamen sacere non debet, ut negligentes aut timidi hic deprehendamur. Tandem enim ubi tumultuati fuerint satis ac suum furorem despumaverint, momento confundi et cum suo tumore concidere necesse est. Sane quod ad Deum attinet, omnes illi hominum fremitus et bullae ipsi tantum ludus erunt, ut est in 2. Psalmo, adeoque quasi conniventibus oculis ad illorum aestus ipse conticescet, quasi res ea ad illum non pertineret. . Atqui tandem ipsius potentia comprimentur. Nos vero eadem illa armati invicto praesidio sustinebimur, quidquid adversum nos moliatur Satan, tandemque re ipsa percipiemus, Evangelium ut nuncium pacis affert et reconciliationem cum Deo, ita etiam ad pacem inter homines constituendam pertinere, ubi apud Isaiam testatur Dominus: Ubi regnum Christi per ipsius doctrinam erectum fuerit, futurum ut et gladii in vomeres et lanceae in falces transformentur.

Interea vero quamvis ex hominum improbitate et pervicacia prodeant, quae adversus Evangelium insurgunt seditiones et turbae, in nos ipsos tamen descendere oportet, ac statuere, Dominum ita nos plectere propter nostra ipsorum peccata, etsi utatur illis instrumentis quae vere Satanae mancipia esse constet. Vetus est illa querimonia, qua in Evangelium derivata est omnium malorum causa, quae humano generi pridem incumbunt. Constat siquidem ex historia, iam ab ipso initio quo Christianismus per orbem spargi coeperat, vix ullum fuisse angulum qui non extremis malis premeretur. Bellorum motus exstabant continui cuiusdam incendii instar, quo universa conflagrarent. Diluvies hinc illinc pestes et fames: extrema et rerum omnium et ordinum inversio, quasi orbis terrae in se ipsum commissus plane dissiliret et confringeretur. Idem prorsus accidit hoc saeculo, ex quo Evangelium coepit emergere: miserabilis quaedam exstitit rerum omnium facies, ut passim volitet illa querimonia, nos scilicet infelicissimo saeculo natos esse, ac perpauci non sub tanta mole fatiscant. Atqui dum vulnera illa persentimus, et ad manum ferientis attendere oportuit et ad causam: quaenam illa porro sit neque adeo obscurum est, neque perceptu difficile. Constat verbum Dei per quod ad viam salutis perducimur incomparabilem thesaurum esse: Excutiamus vero nos ipsos, quam reverenter nempe, uti ab ipsius autore oblatum nobis est, ita etiam a nobis admissum sit. Quando igitur ita vilescit apud nos quod est apud illum tanti momenti, quis non iustissimum agnoscat, qui nostram ingratitudinem ita vicissim ulciscatur? Audimus et illud Christi apud Lucam: servum qui teneat voluntatem Domini, neque illam opere praestat,

duplo graviorem poenam commereri. Quum igitur tam negligentes simus ad obediendum voluntati Dei, cuius centuplo uberior exstat notitia inter nos, quam superioribus saeculis, alienum videri non debet, si vehementius in nos excandescat, qui omnium hominum minime excusabiles sumus. Quumque operam non damus ut bonum semen promoveatur et incrementum capiat, merito inter nos spinae et sentes artificio Satanae subcrescunt, quarum deinde punctionibus infestemur. Quum denique creatori ipsi ius illud suum non exhibeamus in nobis ipsis, non minus aequum est hominum contumaciam adversum nos ipsos experiri.

Ut ad te vero me propius conferam, Amplissime Domine, audio esse duo seditiosorum genera, quae adversus Regem ac regni statum caput extulerunt. Alii enim, cerebrosi quidam videlicet, sub evangelii nomine ἀταξίαν passim invectam vellent. Alii vero in superstitionibus Antichristi ita obduruerunt, ut earum revulsionem ferre non possint. Ac merentur quidem, tum hi tum illi gladio ultore coerceri, quem tibi tradidit Dominus: quum non in Regem tantum insurgant, sed in Deum ipsum qui et Regem in regia sede constituit, et te protectorem instituit, tum personae tum ipsius etiam regiae maiestatis. Illud vero hic ante omnia procurandum est, ut quantum fieri poterit, illi qui eo evangelii gustu praediti sunt ut illi iam addictos esse constet, ipsum porro ea animi deiectione ac reverentia admittant, ut et sibi ipsis plane abrenuntient, et sese Deo in solidum ut par est, addicant. Sic enim illos cogitare oportet, Dominum nempe istiusmodi occasionibus ipsos expergefacere, ut magis serio in ipsius verbo proficiant, quam hactenus praestiterint. Frenetici quidem illi qui mundum in supinam quandam licentiam transversum cuperent, excitantur a Satana nominatim, ut per illos evangelium male audiat: quasi evangelium causam praeberet rebellioni adversus principatus, atque meram in mundum dissipationem inveherer. Piorum est vero, ad tam infaustos conatus perditorum hominum ingemiscere, dum lucem Dominus qui illas tenebras serius ocius certissime discussura sit, sustinendo implorant. [1]) Papistae vero dum idoli sui Romani foeditates et abominationes tueri student, apertum odium et beneficii Christi et omnium ipsius mandatorum magis ac magis produnt: quod tamen non potest non extremum moerorem illis afferre, apud quos vel gutta sinceri zeli superest. Quare sibi et ista a Domino destinari pii agnoscant, quae totidem sint ad ipsos castigandos flagella, quia nempe legitimos evangelii fructus non ferant. Summa ratio igitur atque unice apposita esto ad istiusmodi motus semel consopiendos, ut qui evangelio nomen dederunt, vere ad Dei imaginem reformati deprehendantur: atque ita testentur christianismum legitimum ab omni ἀταξίᾳ omnimodo abhorrere: aequabili modestia et temperantia approbent se Dei verbo regi, nedum ut exleges et effraenes habeantur: recta denique et sancta vita os impiorum obturent. Sic placatus Dominus ferulas demum subducet, atque pro vindicta quam in verbi contemptores exserit, illam suorum resipiscentiam certissima benedictione prosequetur. Nominatim vero nobilitas ipsa ac magistratus hic exemplo praeeant oportet, ut primi omnium colla submittant cum summo timore ac reverentia, supremo illi omnium regi Christo Dei filio: ipsi inquam fidem et obsequium animae et corporis sincere praestent, ut et ipse vicissim eorum tumorem et fastum comprimat, qui adversus ipsos iniuste cristas tollunt. Hoc est nimirum summum principum huius saeculi munus, ut ita subditos suos regant, ut primi omnium Christo subesse gestiant, dentque omnem operam, ut illius unius autoritas supra omnes et summos et infimos emineat.

Quare a te peto, Amplissime Domine, per Dominum ipsum et illam qua regnum Nepotis tui complecteris singularem caritatem, uti luculente passim testaris, ut eo unice omnem conatum ac vigilantiam adhibeas, ut et Dei veritas praedicetur cum plenissima autoritate et efficacia, et ut fructus quoque exstent qui coelesti illi sementi respondeant: atque ut illud assequaris, nunquam manum remittas ab incepta plena et integra ecclesiae reformatione prosequenda. Hic vero ut meam mentem facilius percipias, totum istud in tria capita conferam: quorum unum sit de vera ratione populi recte docendi, alterum de exstirpandis abusibus qui hactenus obtinuerunt, tertium ac postremum, de vitiis exacte corrigendis, et adhibenda opera, ne scandala et luxus passim vigeant, ut inde nomen Domini blasphemetur.

Ac quod ad primum illud attinet, non est quod in tradenda doctrinae substantia immorer. Est magis de quo Domino gratias agam, a quo ita illuminatus es purae doctrinae cognitione, ut eandem etiam publice doceri cures. Non es, inquam, mihi docendus quae sit Christianorum fides, et quae illis doctrina tenenda sit, quum per te adeo veritas fidei in ecclesiae coetu restituta personet. Quod si quis obiter comprehensum habere velit, quae sit Dei cultus summa, res nempe eo redit. Ut unum Deum habemus rectorem nostrarum conscientiarum, ad ipsarum regimen quod spirituale est, legem ipsius unicam adhibeamus pro singulari pietatis regula: ne quid ad ipsius cultum ex hominum traditionibus quae vanae sunt conferamus, ipsum porro pro sua natura, spiritus et cordis integritate ab omnibus

1085 bis. 1) *Locus corruptus. Ed. Laus. praebet:* lucem a Domino, *quod nihilo melius. Abest totus a gallico.*

colendum esse. Quum vero in omnibus nobis nihil exstet praeter miserabilem corruptionem, quae tum sensus omnes tum affectus nostros occupet, nostrum esse meram illam iniquitatum abyssum in nobis agnoscere, et agnitam exhorrescere: eo modo nobis probe cognitis, atque in nobis penitus fractis, contusis, perditis, exutis omni dignitatis sapientiae facultatis denique ullius ad bonum praesumptione, tum demum accurrere oportere ad unicum fontem bonorum omnium Dominum nostrum Iesum Christum, ab illo quidquid offert percipere, ac inprimis incomparabilem illum mortis ac passionis ipsius thesaurum, ut ea una ratione Deo patri in solidum reconciliemur: purgatique aspersione sanguinis ipsius certo persuasi simus nullas in nobis exstaturas maculas, quae apud ipsius coeleste solium pudore nos suffundant: sic nobis certo constabit vis illa sacrificii perpetui, qua peccatorum gratuita remissio nobis ita obsignata est, ut illic praesidium et anchoram salutis constanter defigamus. Sic ipsius spiritu sanctificati, in obedientiam iustitiae Dei consecrabimur: ipsius gratia confirmati, victoriam de Satana, mundo, carne reportabimus. Postremo quum membra corporis ipsius simus, non dubitabimus quin Deus in filiorum suorum albo nos recenseat, ut vera fiducia ipsum illo patris amantissimo nomine legitime compellemus. Hic est nempe scopus verae doctrinae quae et in ecclesia Dei habenda est semper et ab omnibus audienda ut in eum scopum omnes sincere colliment, dum sese a mundo sensim subducendo, ad caput illud suum quod est in coelis intento affectu et apertis votis, moribus, institutis singuli sese attollant. Qua te vere pretiosissima sua luce quae tamdiu sub Antichristo sepulta latuerat, quum nunc ita uberrime perfuderit Dominus, pluribus ista apud te non exsequar.

Tantum quod attigi de docendi forma eo pertinet, ut quae sit idonea ratio sequenda in populo instituendo teneatur. Pungendi sunt nempe ad vivum, ut sentiatur in singulis illud apostoli, verbum Domini nempe gladium ancipitem esse qui intima usque cogitationum et affectuum configat, et ad ipsam usque ossium et medullarum compaginem pervadat. Hoc, inquam, inculco nominatim, quoniam vereor ne paucae exstent in regno vivae conciones: maior pars autem in recitationis modum decurrat. Ac video quidem aliquam istius necessitatis occasionem inter vos: quia nempe vobis non sunt ad manum probi et idonei pastores, defectus ille suo quodam modo explendus est. Deinde cavendum est ab erraticis hominibus et temerariis, qui ut in rebus novis accidit, plurimum extra metas abriperentur, ut somnia sua pro Dei verbo effutirent: sed nulla eiusmodi ratio obstare debet, quin ipsa Christi institutio obtineat, quod ad evangelii praedicationem. Porro legitima praedicatio mortua esse non potest, sed viva et efficax ad docendum, exhortandum arguendum, uti ad Timotheum testatur apostolus: adeo ut infidele ingrediente in coetum fidelium, affici illum oporteat et quasi transfodi ipsa verbi auditione ut det gloriam Deo, ut alibi idem apostolus ostendit. Neque etiam te latere potest, quod idem apostolus tradit de vi et energia quae in illis exstare debet, qui se probos et legitimos verbi ministros approbare student: ut abesse ab istiusmodi quidem velit omnem ornatum et fucum eloquentiae, quo se homines theatro venditant: ita tamen ut tanto luculentius in eorum sermone sese prodat vis illa spiritus, quae potentissime agat in animis auditorum. Nulla igitur praecautio facere debet, quominus spiritus ille Dei suam libertatem ac perpetuum vigorem retineat in illorum ministerio in quos sua dona contulit Dominus ad ecclesiae aedificationem.

Expedit quidem prospicere desultoriis ingeniis quae sibi nimium licere volunt: claudenda est etiam ianua curiosis doctrinis. Ratio autem expedita ad eam rem una est, si exstet nempe summa quaedam doctrinae ab omnibus recepta, quam inter praedicandum sequantur omnes: ad quam etiam observandam omnes episcopi et parochi iureiurando adstringantur, ut nemo ad munus ecclesiasticum admittatur, nisi spondeat sibi illum doctrinae consensum inviolatum futurum. Exstet praeterea communis formula catechismi in usum puerorum, et si qui erunt rudiores in populo: sic ipsa veritas illis familiaris reddetur, ac simul eam ipsam discent ab imposturis et corruptelis discernere, quae sensim apud cessantes irrepere solent. Plane enim tibi persuasum esse oportet, ecclesiam Dei catechesi carere non posse: illic enim verum semen doctrinae contineri, ex quo demum messis pura ac proba constatura, ac deinceps multiplicanda sit magis ac magis. Quare si aedificium eiusmodi instituere cogitas, quod et diu stare possit, et a ruina tutum maneat, da operam, ut pueri nominatim introducantur ad fidem catechismo ad eam rem edito, unde discant breviter et pro suo captu, in quo situs sit verus christianismus. Neque vero in puerorum institutione stabit tantum catechismi utilitas. Accedet enim et illa altera, ut tum populus per eum edoctus melius ad proficiendum in ordinaria verbi auditione comparatus sit, tum vero ut si quis inflatus novum aliquod dogma inveheret, ad catechismi examen revocatus statim deprehendatur. Quod ad formulam precum et rituum ecclesiasticorum, valde probo ut certa illa exstet, a qua pastoribus discedere in functione sua non liceat, tam ut consulatur quorundam simplicitati et imperitiae, quam ut certius ita constet omnium inter se ecclesiarum consensus. Postremo etiam ut obviam eatur desultoriae quorundam levitati qui novationes quasdam

affectant, uti eo pertinere catechismum ipsum ante ostendi. Sic igitur statum esse catechismum oportet, statam sacramentorum administrationem, publicam item precum formulam. Sed non hoc eo pertinet ut istius politici ordinis in ecclesia occasione, vigor ille nativus praedicationis evangelii ullo modo consenescat. In illud potius incumbendum est tibi, ut idonei et sonori buccinatores conquirantur, qui ad intima usque cordium vocis evangelii clangore pervadant. Periculum est enim ne multo tenuior fructus exstet institutae reformationis, nisi cum illa sese etiam exserat praedicationis verbi potentia quam efficassissima. Non frustra de Christo scriptum est: Percussurum illum terram sceptro oris sui, ac percussurum impium spiritu labiorum suorum. Haec est nimirum vera ratio, qua nos sibi perdomitos sistit, dum verbi sui virtute evertit ac deiicit quidquid ipsius gloriae obstat in nobis ipsis. Atque inde etiam constat evangelio nomen illud quod regnum Dei appellatur. Quare quum edicta et constitutiones principum christianorum magnum pondus habeant ad promovendum et asserendum christianismi statum, Deus tamen singulari modo praecipuam illam vim suam exserere vult in gladio spirituali verbi sui, quem pastoribus exserendum mandat in ecclesia.

Venio ad caput alterum de abolendis et evellendis radicitus abusibus et corruptelis, quas invexit Satan superioribus saeculis in Dei ordinationem. Constat christianismum papatus plane esse nothum et adulterinum, et qui Dei iudicio ultimo illo die damnandus sit quum iam ipsius verbo tam aperte repugnet. Quare si ab illa voragine plebem educere est animus, exemplo apostoli utendum est. Ubi enim agit de restituendo vero usu coenae Domini apud Corinthios, ut quae obrepserant additamenta valere iubeat semel, quod, inquit, accepi a Domino, hoc et tradidi vobis. Inde colligenda generalis doctrina, quum de legitima reformatione et quae Deo accepta sit agitur, ad ipsum purum Dei verbum redeundum nobis esse. Quot enim supererunt mixturae ex hominum ingenio prolatae, totidem exstabunt pollutiones, quae homines distrahant a recto eorum usu, quae Dominus in ipsorum salutem instituerat. Proinde dum istiusmodi sentina ex parte tantum exhauritur, res suo loco vere restituta dici non potest, ubi christianismus larvatus pro sincero et nativo deprehenditur. Atque illud a me ideo dicitur, quod multos longe aliter iudicare intelligam: tolerandos esse nempe abusus neque attingendos, dummodo crassissimae corruptelae sublatae dici possint. Atqui ex opposito ipsa experientia edocuit, quam fertilis sit mendaciorum seges humanum ingenium: ut vel minutulis granis conspersum, in altissimum cumulum assurgat, uti totum natura eo ferri constat. Longe alia vero est ratio, quam tradit scriptura. David enim de idolis agens, ne ipsorum quidem nominis se recordaturum testatur, ut ostendat quam illa sibi omnibus modis detestanda iudicet. Praesertim ubi attendimus quam graviter eo nomine peccaverimus in Deum, quum in ignorantia versaremur, illud nos tanto magis serio afficiat oportet, ut ab omni Satanae fermento quam longissime pedem referamus. Quid enim illae caeremoniae aliud fuerunt, quam totidem lenocinia quae miseras animas ad malum perducerent, uti ad ipsas illa queandas omnino positae erant? Iam si de cautione agitur, monebuntur homines scilicet, ne ad illas nunc impingant, quum superioris vitae peccata hac in parte illis retegentur. Quis tamen non videt, obdurari ipsos nihilominus, nihil ut infelici illa cautione obtineri possit? Quare si quid istiusmodi intactum relinquetur, certissimum erit gravioris obfirmationis in malum fomentum, idemque velamen appositum ne sincera doctrina quae proponetur admittatur ut par est. Fateor quidem moderationi locum esse oportere, ut extremitates nimis abscissae neque hic utiles sint, neque simpliciter usurpandae, adeoque caeremonias ipsas ad usum et captum populi esse accommodandas: sed non minus constanter affirmo videndum esse, ne sub illo praetextu toleretur quidquam quod a Satana vel Antichristo profectum sit. Quo pertinet illa scripturae loquendi ratio quae in historiis regum Iuda non uno loco exstat: in plerosque nempe qui quum idola sustulissent, omnia tamen ad vivum non resecuerunt, hanc inquam illis aspergit notam, quod nihilominus excelsa quae nos sacella dicimus, et loca illa stultae devotioni dicata non abstulerint.

Quum igitur eousque te Deus provexerit, Amplissime Domine, da operam obsecro, ut veri templi ipsius reformatoris nomen referas, ac saeculum hoc sub rege nepote tuo piissimi Iosiae saeculo respondeat: atque ita omnia suo loco reposita cures, ut Regem deinde una solicitudo ordinis bene positi conservandi maneat. Proferam tibi istiusmodi corruptelarum exemplum, quod instar fermenti esse possit quo massa integra sanctae coenae quodammodo acefieret. Audio recitari istic in coenae celebratione orationem pro defunctis: neque vero hoc ad purgatorii papistici approbationem referri satis scio. Neque etiam me latet proferri posse antiquum ritum mentionis defunctorum faciendae, ut eo modo communio fidelium omnium in unum corpus coniunctorum declaretur: sed obstat invictum illud argumentum, nempe coenam Domini rem adeo sacrosanctam esse, ut ullis hominum additamentis eam conspurcare sit nefas. Praeterea ubi Deum invocamus non est indulgendum nostris affectibus, sed potius regula illa retinenda est quam tradit apostolus, ut verbum Dei pro fundamento habeamus: illa vero defunctorum commemoratio quae ipsorum ve-

nerationem vel commendationem coniunctam habet, non respondet verae ac legitimae recte orandi institutioni, ac proinde assumentum est, quod in coena Domini nullo modo ferendum sit. Sunt et alia non perinde damnanda fortasse, sed tamen eiusmodi ut excusari non possint, chrisma videlicet et unctionis caeremonia: siquidem chrisma illud inventio est frivola illorum qui iam olim in Domini institutione per ignorantiam non acquieverunt, et qui novo illo signo spiritum sanctum in baptismo ita sibi repraesentandum duxerunt, quasi aquae signum ad illud non sufficeret. Extrema unctio vero ab illorum inconsiderato zelo emanavit, qui apostolos aemulari voluerunt, quum eodem cum ipsis dono non pollerent. Quum enim apostoli oleum in aegrorum sanatione adhibuerunt, illud eo pertinebat ut sanationis miraculum ea tessera quasi exhibitum obsignaretur. Cessante demum miraculorum dono, usum quoque externae illius unctionis cessare oportuit. Quamobrem illa omnia abscindi semel praestiterit, ut nihil in ecclesia Dei usurpetur, quod non et ipsius verbo conforme sit, et ad ecclesiae aedificationem pertineat: ita vero tolerandi sunt infirmi ut et confirmentur sensim et ad meliora promoveantur. Neque interea stultis immorandum est, ut illis satisfiat quibus hoc vel illud arridet simpliciter, quum nulla idonea causa subest.

Scio qua consideratione plerique ulterius progressi non sint: quia nempe veriti sunt ut maior rerum mutatio ferri non posset, praesertim ubi vicinorum ratio habenda visa est, quibuscum pax fovenda esset connivendo ad plurima. Habeat sane hoc locum in rebus istius vitae, in quibus licet de iure suo tantum remittere, quantum pacis studium et amor requiret. Atqui alia prorsus est ratio regiminis ecclesiae quod spirituale est, in quo nihil non ad Dei verbum exigi fas est: non est inquam penes ullum mortalem quidquam hic aliis dare, aut in illorum gratiam deflectere, quum non alia res Deo magis invisa sit, quam ubi humana illa nostra prudentia calculum hic suum apponere audet, ut vel moderemur vel rescindamus vel retroferamur praeter ipsius unius coeleste arbitrium. Ergo nisi illi displicere volumus, ad omnem carnis intuitum oculi nobis semel claudendi sunt: et 'quod ad pericula attinet quae instare videbuntur, sic illa nobis declinanda erunt quantum erit in nobis, ut tamen a recta via discedere semper sit nefas. Exstat Domini promissio, qua se nobis adfuturum statuit rectam insistentibus viam: superest igitur hoc unum, ut partibus nostris strenue fungendo, eventum illi commendemus. Neque enim aliunde est, quod sapientes huius saeculi suae spes frustrantur ut plurimum, quam quod Dominus recedit ab illis, quatenus ipsius auxilio diffisi sese ad media obliqua et quae Deo minus probantur convertunt. Quare si Dei ipsius potentiam a nobis stare volumus, sequamur simpliciter quod iubet: atque imprimis hoc fundamentum statuendum nobis est, reformationem ecclesiae singulare manus ipsius opus esse, ut hac in parte homines sese illi in solidum regendos tradant: quodque etiam maius est, solere Dominum ut plurimum, tam in restituenda quam in conservanda ecclesia sua operari ratione quadam plane admirabili, et quae omnium hominum captum omnino superet. Proinde nullam rationem sinere opus illud reformationis ecclesiae ad humani sensus modulum exigi, et quod coeleste est, ad terrae et mundi formam compositum habere velle. Neque tamen ita exclusam rectam illam prudentiam velim, cuius maximus hic quidem est usus, ut non apositae rationes ineantur, ne in hanc vel illam partem nimis propendeatur, dum omnes Domino lucrari volumus: sed prudentiam hic spiritus non carnis regnare cupio, dum os Domini interrogabimus, ac precabimur ut nostro sensu valere iusso, unus ille nos in omnibus dirigat atque manu perducat. Ubi nos ita geremus, facile erit ansam praecidere variis tentationibus quae nos in medio cursu remorari possent. Tu igitur, Amplissime Domine, uti feliciter illam christianismi restitutionem integram in regno Angliae instituisti, non innixus tibi sed potenti Dei manu, quae te hactenus sustinuit et mirabiliter confirmavit, sic etiam in eadem illa fiducia tibi pergendum esse existima. Ac sane quum Dominus ipse tot passim principatus sustentet sua providentia qui tamen ipsi adversantur, multo magis illos respiciet qui et in illum sunt defixi et toto suo conatu supremum illum herum sibi asciscere cupiunt.

Venio ad tertium caput quod est tum de vitiis coercendis tum de scandalis comprimendis. Ergo vero non dubito leges et edicta posita isthic esse, quae recta et laudanda sint, et quibus populum in honestis moribus contineri conveniat: sed ingens illa *ἀταξία* quam in mundo animadverto me cogit ut te hic etiam appellem, ut in illud incumbas ut homines sub bona et honesta disciplina habeantur. Imprimis ut Dei honorem in eo asseras dum illa crimina ulcisceris, quorum persequutio apud homines insuper haberi solet. Quum enim furta, caedes, rapinae severissime plectantur, quia ad homines iniuria pertineat, connivetur interea ad scortationes, adulteria, ebriositates, blasphemias nominis Dei, tanquam ad res licitas, aut non ita graviter vindicandas. Atqui Deus longe aliter iis de rebus pronunciat: ostendit enim quam pretiosum ipsi sit nomen suum, dum apud homines proscinditur et pedibus proculcatur. Neque vero fieri potest, ut tam horrenda probra diutius inulta sinat:[2]) nam et ex

2) *Sequentia a gallico absunt.*

scriptura colligi potest vel una tantum Benhadadi et Sancheribi profanorum regum in Deum contumelia, horrendum Dei iudicium ipsos cum suis omnibus tantum non adobruisse. Et quod ad adulteria attinet, quis pudor est, nos qui christiano nomine censemur, in illis vindicandis ethnicis ipsis longe molliores deprehendi, quum adeo ioco etiam eiusmodi scelera transmittantur? Tanti est scilicet sacrum ipsum coniugium, imaginem inquam illam vivam sacratissimae nostrae cum Dei filio coniunctionis impune pollui: arctissimam vero supra alias humanas omnes confoederationem perfidissime diffringi? scortationes vero (si apostolum audimus) non alio quam totidem sacrilegiorum loco habebimus, quatenus templa Dei nostra corpora nimirum manifeste ita polluta, a Dei spiritu et Christo ipso indignissime abscinduntur. Unde et illud subiicit: Scortatores et ebriosos ad Dei regnum non pertinere, ut et istorum commercium fidelibus nominatim interdicat. Ex quo consequitur in ecclesia Dei tales ferri nullo modo oportere. Atque his omnino malis accepta ferenda sunt flagella Domini quibus orbis terrarum concutitur: fit enim ut dum enormia ista scelera homines inter sese condonant, manum Dei vindicem in se ipsos accersant. Quamobrem ut Dei iram averti procures, a te peto, Amplissime Domine, ut fraenum hac in parte serio adhibeas, desque operam ut qui se istic Christianos profitentur, illud demum re ipsa et moribus qui sanctae vocationi respondeant, exprimant atque commonstrent. Quemadmodum enim doctrina ipsa est instar animae ad ecclesiam vivificandam, ita etiam disciplina et vitiorum correctio nervorum loco haberi debent, quibus corpus integrum ac vegetum foveatur atque conservetur. Episcopi et parochi in illud praecipue intenti sint ne coena Domini polluatur, si ad illam ii admittantur quorum vita propter scandala male audiat. Te vero pro eo in quem te Deus evexit loco curare inprimis par est, ut alii omnes subditi pro suo quisque loco et vocatione manum operi admoveant, singuli partes suas impleant, ut ordo legitime positus perinde etiam observetur.

Hic vero, Amplissime Domine, in excusanda epistolae prolixitate non ero prolixior, neque valde deprecabor offensionem quod ita aperte animi mei sensum tibi aperuerim: confido enim exploratum esse tibi animum meum pro tua prudentia, ac pro eo usu scripturae quem habes, facile agniturum ex quo fonte hauserim quae superius comprehensa a me hic habes: Quare non est quod metuam, ne fastidium tibi attulerim aut importunius egisse videri possim, ubi ostendi pro mea tenuitate sincerum illum affectum, qui eo fertur unice ut Dei nomen per te semper quam amplissime glorificetur. Hoc ab illo supplex in dies postulo, ac precor ut sua in te dona cumulate adaugeat, suo te spiritu in vera et invicta constantia confirmet, tueatur et sustineat contra omnes adversarios, te tuosque praesidio suo tegat, tuam illam administrationem ita prosperet, ut Regi argumentum inde exstet ipsius concelebrandi, cui tam opportunus et sui rector et regni in illa aetate contigerit. Tandem igitur, perquam demississime salute a me tibi adscripta finem scribendi faciam. Genevae 22. Octobris 1548.

Tuae Excellentiae deditissimus
Ioannes Calvinus.

1086.

VIRETUS CALVINO.

Negotium epistolae surreptae indies maiores turbas creat, minaeque variis e castris exsurgunt non omnino spernendae. Ideo reconciliationem suadet cum Perrino ineundam.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 80. Apographa habes in Cod. 116, fol. 107; Bernae Epp. VII. p. 940 et ap. Simlerum Vol. 68.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino
Genevae.

S. Cupio iam pridem ad te scribere, sed nullus hactenus occurrit tabellarius cui literas fuerim ausus committere. Hic mihi notissimus est. [1]) Consuluit me super quodam negotio, de quo ut te consuleret admonui. Audies igitur hominem, et quod iustum ac aequum videbitur significabis. Sed venio ad ea quae te nolui ignorare. Transiit hac, non ita pridem ex quo a vobis redii, [2]) filius *Sabaudi*, [3]) qui tam male patris respondet moribus. Effutiit multa, aut potius evomuit in nos, et hic et Morgiis. Dixit te aut eiectum aut eiiciendum e ministerio, aut saltem aliquid non dissimile: te Genevae pro *Calvino* vocari *Cainum*, aut si mavis eius verba: *Caïn, non pas Calvin.* Meas conciones [4]) multis

---

1086. 1) *Pharmacopola Paterniacus, vide infra* N. 1088.
2) *N.* 1078, *not.* 4.
3) *Claudius Savoye vir consularis reformandae ecclesiae patronus postea patria relicta civitatem Bernensem amplexus fuerat* (*Galiffe, not. gén. I.* 225). *Cuius filius Petrus* (*quem Hundesh. p.* 234 *ein gewisser Sabaud vocat*) *in Libertinorum castra transiit, et tandem supplicio affectus est* (*Gaberel* 405).
4) *Inter alia iam Genevae in senatu vituperatus fuit ob concionem in qua de dissensionibus Genevensium loquutus fuerat.*

modis calumniatus est, additis locis in quibus concionatus eram, aut potius vociferatus. Nam odiose recitabat, me ad vos concessisse ac vociferatum esse. Deinde adiiciebat: Sed nos eum ablegabimus Orbam concionaturum. Expende quam haec sint hic apud quosdam plausibilia. Multos autem habemus horum testes.

Praeterea *Sonnerius* quaedam collegae meo et aliis aliquot bonis viris et verbi ministris me absente narravit, se audisse a *Crantio* multa de literis illis tuis quae ad Genevatium manus pervenerant, quas gravissimos motus excitaturas minabatur. *Corneum* mox, suo munere quod nunc sustinet quum absolutus esset, in carcerem coniiciendum, cum aliis multis. Articulos plurimos *Corneo* esse proponendos: proinde satius esse multo ut antequam eo ventum sit his occurratur tempestatibus in tempore. Viam esse commodissimam si tu cum *Perrino* redeas in gratiam: hanc esse tentandam concordiam: consultissimum fore, si huic ego dedero operam: se vero et ad eam esse paratissimum: omnem moturum lapidem. Suas aedes huic negotio peragendo offerebat, in quas si te recipere velles, curaturum ac effecturum facile ut et *Perrinus* eo adducatur et pax et concordia concilietur. In hanc paene sententiam haec mihi renunciata sunt *Sonnerii* nomine, qui valde consilium probare videbatur. Intelligis quorsum ista spectent, et quid efficere nostris literis tentarint. Reliqua tibi coniicienda relinquo. Mira etiam hic de te et illis literis a mulierculis quoque narrantur. Gaudeo rem secus quam ipsi sperabant cecidisse, et *Farello* ac toti ecclesiae tam feliciter successisse hanc profectionem. [5])

In mea quam ad Orbanos et Neocomenses suscepi mira audivi de *Pyrrho* nostro. [6]) Non possum satis mirari hominis impudentiam et calumnias. Accepi a quibusdam, quibus sua familiarius communicavit, alias habere literas tuas ad me, eas scilicet quibus tuum mihi consilium aperiebas de edenda adversus *Carolum* apologia *Gallasii* nomine. [7])

Hoc ipsum ut arripiat in calumniam, et quibus modis exaggeret tuos et nostros dolos, praecipue vero quod sub aliena persona et titulo tuas ebuccines laudes et glorias, tibi relinquo cogitandum, qui hominis ingenium nosti. Hodie habetur classis conventus. Audimus hominem resipiscentiam polliceri et se ad reconciliationem nobiscum comparare. Exspectamus quid futurum sit. Dominus eius misereatur et nos omnes suo spiritu dirigat in suam gloriam. Te nostri omnes salutant. Saluta collegas et uxorem meo et uxoris nomine, quae te etiam salutat. Vale. Lausannae 24. Octobris 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1087.

CALVINUS VIRETO.

Cur reconciliationem ambiret, maxime extra urbem et in aedibus suspecti hominis, non videt. Ad concordiam paratus est, sed sciant caeteri se nullo metu frangi.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 230. Turretini apographon reperies in Cod. 111, fol. 197, Bernense in Epp. VII. p. 943, Simleri Vol. 68.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. *Sonerius* etiam mecum de reconciliatione egit.

---

5) *Non Guilielmi, supra saepius laudati, ut Simlerus vult, sed ipsius Farelli, qui Idibus Oct. senatum adierat, ubi orationem habuit de Calvini meritis, de iniuria sibi ipsi illata, deque epistola illa Vireto reddenda. Qua id effecit ut postquam Calvinus peculiari scripto se defendit, epistola Vireto redderetur, cuius tamen apographon senatus apud se servavit, Calvinus vero cum benigna officii sui admonitione dimitteretur. Hic negotii finis (Reg. du Conseil).*

6) *Zebedaeus diu Orbae minister fuerat.*

7) *Hic utiliter conferes quae habet Bolsecus in Vita Calvini, Col.* 1580, *p.* 64: Scribebat subinde literas et opuscula suas ipsius laudes in eis egregie cumulans, nihilque eorum quae ad honorem gloriamque suam amplificandam facere possent praetermittens. Haec opuscula tanquam alio autore scripta sic edebat ut sub alieno et ementito nomine perque subdolam hanc et occultam fraudem famam ipse suam longe lateque propagare illustrioremque facere posset. Calumniam hanc esse aliquis dixerit nisi probare queam per eius epistolam quandam quam P. Vireto Lausannensi ministro direxit. Nam quum tales literae et opuscula, quae nomen cuiusdam Galasii, qui etiam D. de Saule cognominabatur, praeferebant, et alia insuper aliorum etiam nomine in lucem emissa in Vireti manus pervenissent et is stylum Calvini optime agnosceret, multum non solum admiratus sed et hac eius tanta ambitione mirifice fuit offensus, neque facere minus potuit quam ut suam de hac praxi sententiam per literas exponeret. Cui Calvinus respondit causas aliquot commemorans valde frivolas et leves quibus motus hoc faceret, ut alterius nomen ementitus dignitates suas et merita extolleret laudesque celebraret: suum consilium esse tantundem facere ad honores laudesque Farelli et Vireti etiam procurandas, ut sic eorum autoritas stabiliretur et crescèret, qui quasi tres columnae essent quae Dei honorem et religionis christianae reformationem sustinerent. Hae literae cum multis aliis in ipsius Vireti conclavi et scriniis Lausannae repertae fuere quum Bernensi provincia excessisset et missione vel a Bern. primoribus, vel a Laus. praefecto, vel a populo ne petita quidem nedum impetrata, ut commeritam ignominiam evaderet, magna festinatione profugisset. Quo tempore haec et aliae plus minus quadraginta epistolae ad Bern. proceres allatae fuere . . . . . *Quo modo vero ex archivis Bern. in suas manus pervenerint, dicere supersedit.*

Minas Thrasonis illius[1]) quem nosti, quia frivolae erant, fortiter ut par erat contempsi. Quia etiam neque locus neque ratio placebat,[2]) rem totam ut absurditate plenam repudiavi. Quid enim absurdius quam locum alibi quaerere, quasi nos capere urbs nequeat? deinde arbitris cognitionem mandare? Iam quales arbitros nominabat? *Crantium* et simines. Respondi uno verbo ad omnia: neque me hactenus colloquium fugisse cum *Perrino*, neque fore posthac minus paratum, si mecum vellet congredi. Quin etiam aliquando urbe fuisse egressum, quum boni viri idem tentassent quod nunc satagere se *Crantius* fingit. Nos omnes tunc habitos fuisse ludibrio. Posthac ergo me non commissurum ut insaniam hominis magis accendam. Vis scire cur me tam rigidum ostenderim? Subolfeci quid agitaret *Crantius*. Nihil exspecto ab eo sincerum. Nec tu secus, opinor, iudicas. Ergo non, quod serio acturus esset, mentionem iniecit reconciliandae gratiae, sed pericula tam propinqua denunciando experiri voluit numquid terrorem mihi incuteret. Quanto sensisset timidiorem, tanto illi magis et factioni crevisset audacia. Praestat igitur omnes istos intelligere, ita nos concordiae esse studiosos, ut nullo tamen metu fracti simus. De Petro *Sabaudo* cuperem, si te nostri ad coenam aut prandium invitaverint, graviter te apud ipsos, ut res meretur, expostulare. *Zebedaeum*,[3]) quando nihil quam improbitatem suam, nullo nostro damno, prodit, sinemus latrare donec se frangat. Vale, frater et amice. Dominus tibi perpetuo adsit. Salutant te omnes nostri. Tu saluta fratres et uxorem. Genevae 27. Octob. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1088.

VIRETUS CALVINO.

Quantum ad Sabaudum et Zebedaeum usque eadem. Nova legatio Bernensis de disciplina severius exercenda.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 172.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Scripsi nuper ad te per pharmacopolam Paterniacensem de praeclaro elogio quod hic nobis reddidit *Sabaudus* et de *Crantii* studio ad pacem componendam. An tibi literae redditae fuerint, fac me primo quoque tempore certiorem. Quae scripsi de *Sabaudo* mihi rursum magna ex parte ab aliis quibusdam confirmata fuerunt. Dispicies quid censeas super hac re faciendum. *Pyrrhus* noster eos fefellit quibus spem fecerat poenitentiae. De hac re nullum nobis verbum fecit. Gerit se modestius in nostris conventibus solito: a quibus se frequenter subducit quia videt nullum sibi amplius locum esse relictum et spem ademptam obtinendorum quae contra reliquorum fratrum voluntatem molitur, et ecclesiae profectum.

Sum denuo a fratribus electus ut eorum nomine cum *Tornaco* apud Bernenses legatione fungar. Lubens hoc labore et molestia caruissem. Sed fratribus uno consensu ita visum est, quibus nolui repugnare. Summa nostrae legationis est ut senatum admoneamus prostitutae et concultatae ubique religionis, oremusque et obtestemur ut hac in re ecclesiae opem eius imploranti succurrat, et qui sint horum malorum fontes exquirat, et quibus remediis opus est opituletur. Acturi sumus et de collegio nostro et de huc advocando, si possumus, *Musculo.*[1]) Audio *Blaurerum* Bernae esse. De rebus Constantiae te non reor esse ignarum. Si quid habes de Germania facito nos certiores.

Hic frater, harum tabellarius, quo se consilio in Galliam conferat patefaciet. Nam illi etiam tuo consilio opus est. Sua mihi consilia communicavit, admonuique ut transiens istac te quoque consuleret, quod ultro facturus erat. Se gessit honeste apud nos, neque quidquam est in eo quod nobis improbari possit. Se rediturum pollicitus est. Spero ecclesiae utilem fore.

Davidem *Verandum*[2]) elegimus praeficiendum proximis pagis quibus praefectus fuerat *Arnulphus* et ante eum *Clemens*, donec ei et ecclesiae melius prospici possit. An successurum sit novit Dominus.

Paro me ad iter ad proximum Veneris diem.[3]) Solvissem maturius, sed collegam *Tornacum* me oportuit exspectare. Salutant te nostri omnes. Conventus classis habitus est maxima cum modestia et

---

1087. 1) *Petri Sabaudi.*
2) *in Crantii aedibus sanciendae conciliationis.*
3) *Qui minatus erat, se alias etiam prolaturum epistolas. Caeterum Calvinus hoc ipso tempore non solum propter hoc negotium a Trollieto sibi suscitatum et recrudescentem Perrinianae factionis inimicitiam vexatus erat, verum magis etiam propter Antonii fratris uxorem adulterii causa damnatam.*

1088. 1) *Qui tum Turici commoratus cum familia ap. Bullingerum (N. 1046) Bernam vocatus est. Mandata legatis ad senatum data proxime sequentur.*
2) *N. 910 et 1029.*
3) *Nov. secunda.*

tranquillitate. Saluta uxorem meo et uxoris meae nomine. Salutat te mea uxor. Filiola optime valet, gratia Domino. Tuae uxori precor fausta omnia et tuis collegis omnibus. Vale. Lausannae, 30. Octob. 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1089.

MINISTRI LAUSANNENSES SENATUI BERNENSI.

Sequuntur hic mandata legatis data Bernam proficiscentibus, tum epistola ipsa Senatui tradenda.

(Ex autographo Vireti in MSS. histor. Helvet. bibliothecae Bernensis III. 34. p. 202. Exstat quoque apud Simlerum Vol. 68.)

Haec sunt capita eorum quae classis Lausannensis Petro *Vireto* decano et Ioanni *Tornacensi* iuratorum uni eiusdem classis commisit magnificentissimis Principibus nostris eiusdem nomine proponenda, literarum sequentes argumentum ab eadem classe scriptarum, quibus ea rogat Principes ut his fidem habeant, et collationem communicationemque consiliorum, quam super hac re habuimus cum huius urbis ministris, qui nostra hac in parte probarunt.

Primum est, postquam tantus est verbi Dei contemptus et tanta confusio in omnibus paene religionis capitibus et hominum ordinibus, iis vero praecipue qui alios in officio continere debuerant iisque bono exemplo praelucere, et statuta quae ad reformationem pertinent adeo negligenter observata sint, et plurimi viri boni non parum turbentur sinistris hisce rumoribus, qui in praesentia longe lateque vagantur, mali vero cornua attollant in tota fere provincia, postquam denique flagella videmus Dei apparata ad castiganda huiuscemodi scelera, ipsiusque iudicium ab eius incipere domo, nec infitias ire possumus praecipuam tantorum causam malorum ex evangelii proficisci contemptione: eadem classis supplex orat magnificentissimos Principes nostros ut advertere dignentur, quemadmodum pios decet christianos principes quibus Domino ratio erit reddenda populorum suae fidei commissorum, quinam ii sunt quorum potissimum culpa sic confusa sunt omnia atque ira Dei in nos provocatur, et an id fiat ministrorum aut eorum qui magistratus funguntur officio, cuiuscumque sint ordinis, aut populi vitio, aut simul omnium, et ut curent horum exactam fieri visitationem, sive per generalem synodum (quae res inprimis necessaria esset et expetenda) aut saltem per classium conventus: ut hac ratione prospici possit offendiculis quae in ecclesia inveniri possunt, et omnia restitui.

Item ut statuta et ordinationes quae ad reformationem pertinent curent renovanda, committantque serio horum curam iis qui publicis officiis funguntur, ac patribus familias, ut hac in re attentius advigelent manumque admoveant quam hactenus factitatum sit, ne adeo habeantur sicut in hunc usque diem neglectui.

Item visitatio fiat collegii Lausannensis, tum ut sumptuum qui in illud impenduntur nota sit ratio et quam utiliter aut secus impendantur, tum ut eorum autoritate si quid peccatur corrigatur.

Metuendissimis potentissimis et magnificentissimis Principibus dominis nostris, Consuli Senatuique Bernensi, gratia et pax a Deo per Iesum Christum Dominum nostrum.

Non postulavissemus, nobilissimi Principes, hunc ad vos accessum et hanc a vobis audientiam hoc tempore, nisi nos Domini iudicium et ratio atque necessitas nostri muneris impulisset ursissetque. Nam quemadmodum nobis satis perspectum est vos maximis atque gravissimis negotiis esse occupatos, sic nos quoque metuimus semper ne vobis simus importuni. Sed quum expendimus Dominum vestra voluisse uti opera ad illuminandum populum sancto suo verbo quocum versamur, atque ipsius vobis commisisse gubernaculo, ut sub vestro patrocinio in eo ipso coleretur, quumque praeterea consideramus ad quam simus vocati provinciam, ac rursum contemplamur maximum verbi Dei contemptum, atque laudabilium vestrarum constitutionum, quas reformandarum ecclesiarum causa statuistis, easque paene eo pervenisse ut penitus exolescerent (quod nostri neutiquam evenire potest citra gravissimam Dei optimi maximi contumeliam vestrique contemptum), invocato Domino omnes in hac fuimus sententia ut hasce ad vos scriberemus sponsorias, quibus vos supplices oramus per ipsum Dominum, et per eam quam semper sancto eius verbo reverentiam exhibuistis qua possumus demissione petimus, ut fidem adhibeatis piis ac sanctis admonitionibus quas vobis Decanus et Iuratus nostro nomine facturi sunt, quod attinet ad eam confusionem quae in nostris conspicitur ecclesiis. Cui non possumus commode succurrere, nisi vestra adiuti ope favore et autoritate. Quibus quum adiuti fuerimus, speramus fore ut Deus, qui adeo ubique et modis omnibus ad iram provocatus est, sic collapsa restituat, ut suam compescat iram, quae tamen velut accensa in nos videtur, nobisque futurus sit propitius.

Proinde, christianissimi Principes, certo persuasum habemus huiusmodi postulationem neque posse neque debere importunam videri, quum procul dubio, si hactenus unquam, nunc praecipue in ea incidérimus tempora quibus ad Dominum converti necesse sit, et quibus si hactenus benedictionem contempserimus qua Dominus hanc beavit regionem, nobis res ipsa postulare videtur ut posthac imminenti furori eatur obviam, utque sic ubique constituantur omnia ut iure nequeant impii os aperire atque iactare: frustra evangelium susceperunt! et ut exterae nationes nostro exemplo ad cultum numinis provocentur. Atque eo hoc tempore haec magis sunt necessaria quo certius est, cogitationes conatus et consilia omnia nullum unquam habitura felicem exitum nisi primum Deo simus reconciliati. Quod vos facturos non dubitamus pro ea pietate fide et studio gloriae Dei quae in vobis iam inde ab initio semper cognovimus, quum aequis animis et abunde intellexeritis quae vobis duo ex fratribus nostris a nobis delegati copiosius et exactius expositurí sunt. Itaque hoc ut faceremus commovit nos tum studium quo tenemur promovendae Christi gloriae, tum ratio nostri muneris, ne canes muti haberemur, celantes atque dissimulantes nefaria scelera quae indies magis ac magis pullulant magno nostro dolore, et ne sanguis populi e manibus nostris requiratur. Atque hic finem imponemus, metuendissimi Principes, invocato patre misericordiarum ut vos suo sancto spiritu dirigat in vestro munere. Lausannae 1 Novembris 1548.

Vestri humillimi atque obedientissimi servi

Franciscus Sanctopaulinus Iuratus
nomine classis.
Brunnetus Peleus Iuratus.
Bertrandus Granerius Iuratus.

1090.

CALVINUS BRENTIO.

Consolatur exsulem, gratulatur tot et tantis periculis erepto, meliora non si nunc, tamen olim speranda monet.

(Servavit Beza edit. Gen. p. 78, Laus. p. 174, Hanov. p. 195, Chouet p. 104, Amst. p. 47. Gallice versam exhibet Edit. Berol. p. 118. Etiam in Cod. Gen. 107a, fol. 328 talis versionis initium saltem reperimus.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi ministro D. Ioanni Brentio, symmystae et fratri in Domino honorando.

Si quid mihi iucundum in his tristissimis temporibus esse posset, iucundae inprimis suavesque fuissent tuae literae.[1] Gratissimae certe fuerunt, multumque solatii attulerunt variis meis doloribus: quod te scilicet, de cuius vita diu anxii fuerant boni omnes, ereptum esse ex mortis faucibus nunciabant. Tametsi enim fieri nequit quin tibi acerba sit vita in praesenti rerum statu, dum ab ea ecclesia te divulsum cogitas quam et genuisti in Christo,[2] et tanta sollicitudine educasti: eamque ut est orbata suo pastore, propemodum expositam vides Satanae libidini: simul tamen reputare debes non te frustra servatum a Domino. Poteras iam in hac tua senecta[3] quamlibet vegeta mori satur annorum: et sane quid nunc est in mundo quod nos aliquo vivendi desiderio sollicitet? Sed ego non dubito quin Dominus qui hactenus ministerio tuo feliciter et uberrimo cum fructu usus est in ecclesiae suae aedificationem, aliquid habeat operis nobis incognitum, in quo te porro exercere velit. Non quod melior spes saltem propinqua nobis appareat, quin potius ita se undique quocunque oculos vertamus novorum malorum signa ostendunt, ut nihil praeter ultimum ecclesiae interitum reliquum esse videatur. Deinde quemadmodum his calamitatibus causam praebuit nostra impietas et ingratitudo, sic etiam nos contumacia nostra hodie urget ut multo plura et atrociora merito timenda sint quam hactenus senserimus. Sed una haec cogitatio nihilominus me sustentat animumque reficit, quod ita mecum statuo, Deum, quum mirificam hanc ecclesiae instaurationem inchoavit, non inanem spem ostentasse quae mox evanesceret, sed opus esse aggressum quod non invito tantum Satana, sed malitia quoque hominum reluctante tuebitur ac stabiliet. Interea purgationem qua nobis opus est, patienter feramus: si semel huc perruperit leonis furor, multo crudelius nobiscum agetur. Et certe hactenus minas magis tentavit quam saevitia grassatus est: sed profundet quod hactenus continuit, simul ac nihil iam sibi obstare cernet. Itaque non aliter nos comparatos esse decet, quam si exsertus gladius esset supra cervices, et ignes accensi. Caeterum, ut dicebam, non dubito quin futurus sit modus aliquis castigationis, ac Deus propediem ecclesiam ex miserrima hac dissipatione colligat. Unum vereor ne prius tam foedam Germaniae mollitiem cum impia perfidia coniunctam severe ulciscatur: quia tamen multas

1090. 1) *N.* 1081.

2) *Inde ab a.* 1522 *Brentius Halae ministerio functus fuerat, a iuvene Halensi quocum Heidelbergae studiis operam navabat civibus commendatus. Qui postea eius collega fuit, Io. Isenmann.*

3) *Decem tantum annis Calvino maior nequaquam senex dici debebat. Natus erat a.* 1499 *in oppido Weil.*

oves innoxias agnoscat ab hircis robustioribus fuisse proditas, earum ut spero pro sua misericordia rationem habebit, ut iustam iram cohibeat. Nos hic quoniam aliud non licet, tui et similium assidue in precibus nostris sumus memores: utinam aliis quoque officiis iuvare te possemus. Sed hoc scilicet praecipuum, nos simul omnes Deum suppliciter orare, ut si nostris peccatis offensus fraena impiorum saevitiae ad tempus laxavit, nunc vicissim eorum ludibriis ac petulantia provocatus se et suos respiciat: Christum deinde rogare ut non tantum apud patrem sit nobis deprecator, sed iustum ecclesiae suae vindicem se ostendat. Vale, eximie vir et frater in Domino mihi semper colende, Dominus cui servis spiritu suo gubernare te pergat, ac sanctos tuos labores benedicat. Amen.[4]) Genevae, Nonis Novembris. 1548.

1091.

CALVINUS ADOLESCENTIBUS QUIBUSDAM.

Quos hortatur ad vitam bene instituendam.

(Edidit Beza nomine suppresso, ita ut de personis, deperdito exemplari manu scripto, ne coniectura quidem fieri queat. Genev. p. 77, Laus. p. 173, Hanov. p. 194, Chouet. p. 103, Amst. p. 47.)

Fieri ut plurimum solet ut quae supervacua sunt, non taedium modo pariant lectoribus, sed etiam non sine stomacho respuantur: atqui ego contra hanc meam exhortationem quo minus necessaria erit, eo aequioribus animis exceptum iri a vobis confido. Nam qui sponte in prosequendo pietatis cursu sunt incitati, non placidi tantum, sed libenter quoque stimulos addi sibi patiuntur: tales autem vos esse quia mihi persuasi, non est quod ad pergendum hortari dubitem. Etsi, ut simpliciter dicam quod res est, non ea vos alacritate pergere arbitror, quin magno adhuc vobis usui sint piae admonitiones: nondum certe eousque estis progressi quin longe ulterius sit enitendum. Semper cavendum est ne pretiosum illud semen quod accepimus, vel suffocetur vel degeneret: etiamsi quotidie magna cura excolamur, res tamen ostendit quam facile spinae succrescant. Quid si neglectus accedat? quid si multiplices obrepant hinc inde corruptelae? Sed omnium pessimum si eas nobis accersimus. Video aliqua ex parte, vos melius sentitis ipsi, quam multa se avocamenta ingerant in eo vivendi genere, in quo fluctuatis. Sic enim de inquieta turbulentaque vita loquendum est, ut maxime acres intentique sitis ad resistendum: difficilis tamen est victoria, quo maius periculum est ne securis et aliud agentibus inducatur Satanae artificiis Christi oblivio, quae vos in mundi abyssum demergat. Assidue in mentem veniat illud Pauli, quosdam a fide excidisse quod alienati fuissent a bona conscientia, ne ipsi quoque horrendi naufragii simus exempla aliis. Ac de vobis quidem nihil tale metuo. Sed quia nunquam possumus nimium cauti esse, hoc quoque dissimulare amor erga vos meus non permittit: et videmus ut sibi hodie plerique fere omnes delitias faciant, quasi impune cum Deo ludatur. Quare nihil melius quam ut subinde quisque se ad torporem expergefaciat, sibi instet, se ad calculum revocet. Nec vero si quis in vobis aliquando fuit ardor, languescere nunc debet ob istas calamitates, quibus ecclesiam cernimus oppressam, ut parum ab interitu distare videatur: potius cogitare vos decet quam miseras populi sui res et afflictas Moyses sciret esse, quum ultro se opibus, delitiis, honoribus Aegypti abdicans, nonnisi probris et aerumnis socium se adiunxit. Quanquam non eadem omnes spiritus magnitudine peraeque excellimus, vocamur tamen ad unum omnes ad imitandi studium. His paucis si non plane testatam, ad saltem indicatam esse volui sollicitudinem quam de salute vestra gero. Valete egregii et nobilissimi adolescentes. Dominus vos spiritu suo gubernet semper, ac spiritualibus divitiis magis ac magis locupletet, quo nomen suum gloriosum per vos illustretur. Nonis Novembris 1548.

1092.

TESTIMONIUM PRO ANTONIO LUDIMAGISTRO.

(Incidimus in hoc qualecunque documentum in Archivis Ven. Coetus ministrorum Genevensium, ubi insertum legitur Volumini A. pag. 57 cum inscriptione: *Pour M. Anthoine.* Recentior manus aliam addidit: *Temoignage pour un M. Anthoine maistre de l'hospital.*)

4) *In cod. Genev.* 107a, *fol.* 328 *legitur initium huius epistolae nescio quem in finem gallice versae:* A Mestre Iehan Brence ministre de nostre Seigneur Iesus Christ mon compaignon et tresayme frere en nostre Seigneur. (D. Calvinus latine dictavit.) Si au miserable temps qui court ie pouvois recevoir quelque plaisir voz lettres mussent este merveilleusement plaisentes. Si esse pour le moins quelles mont este tresagreables et mont fort console en mes passions ayant par elles entendu que vous esties eschappe et par maniere de dire retire de la gueulle de la mort . . . . . .

Ministri ecclesiae Genevensis.

Quoniam hic frater diu apud nos vixit atque etiam in ptochotrophio pueros fere sesquiannum docuit, ne eum boni viri suspectum habeant si forte ad ipsos veniat nullo huius ecclesiae testimonio commendatus, petiit a nobis ut testari vellemus qualiter se toto illo tempore gesserit, quod negandum illi non fuit. Virum ergo pium et Dei timentem cognovimus. Iis quibuscum versatus est vitam suam probavit, nec quidquam animadversum fuit in eius moribus quod non christiano homine dignum esset. Sacris concionibus sedulo semper interfuit. Quum praefectus est nostri ptochotrophii pueris, quum fidelem in eo munere operam navavit, tum homo frugi et integer fuit cognitus, nec ab ea functione abdicatus est, sed ultro ipse locum reliquit, quum vix futurum speraret ut lites quaedam, aliena non ipsius culpa exortae, facile componerentur. Nos certe, quantum iudicare licet, non modo probum hominem esse existimamus, sed etiam ita in pietatis doctrina exercitatum, ut si quod illi munus iniunctum fuerit illud obiturus sit qua decet diligentia. Genevae Id. Novembr. 1548.

Ioannes Calvinus
ex fratrum sententia.

1093.

HALLERUS BULLINGERO.

Prima mentio propositionum a Calvino factarum de consensione in re sacramentaria cum Turicensibus declaranda.

(Excerptum ex Cod. Turic. Archiv. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. p. 2829 autogr. — Simlerus habet Vol. 68.

— — — — — — — — — — — — — —

De propositionibus *Calvini* nesciebam quod non velles rescire reliquos fratres. Dissimulavi egregie apud *Viretum* qui iam ex *Calvino* habuerat omnia ut bene sentiebam. Retinebo talia apud me posthac. — — — — Bernae 10. Novembr. 1548.

Tui semper studiosissimus
Ioannes Hallerus.

1094.

HALLERUS VERANNO.

De literis Beato Comiti commissis, ab hoc autem non traditis.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 164.)

D. Davidi Veranno [1]) Lausannae agenti suo dilecto fratri.

S. D. Accepi tuas ex quibus intellexi nobilem illam matronam literas a sorore ipsius ex Tiguro missas nondum recepisse. Id quod supra modum miror. Nam integrum fasciculum D. Beato *Comiti*, ultro me interroganti si quid Lausannam mittere vellem, tradidi. Dedi simul etiam alium fasciculum literarum pertinentem ad D. *Calvinum*, quem recepisse suum audio. Huius autem ubi deliteat miror. Quaeram a *Comite*: ego ipsum quoque hic observabo, si quando huc venerit, et cui tradiderit percontabor. Tu interea bene vale. Dominus sit tecum. Saluta fratres omnes. 15. Novembris 1548.

Ioannes Hallerus
ex animo tuus.

1095.

VIRETUS GUALTHERO.

Bernae res bene gestas, gratia Deo et Hallero, refert. Librum suum de ministerio ei mittit.

(Ex autographo Bibl. Turic. civicae MSS. F. 41 olim Tom. VI. f. 72. — Simler. Vol. 68.)

Praestantissimo viro D. Rodulpho Gualthero Tigurinae ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae plurimum colendo.

Tiguri.

S. Ut nunc habeant res nostrae non opus est ut longa exponam oratione. Nam spero fore ut a D. *Hallero* fratre nobis carissimo et nostri amantissimo plenius omnia intelligas, et quid nuper Bernae, ipsius et reliquorum suorum collegarum adiuti patrocinio, effecerimus impetraverimusque in gloriam Christi et ecclesiae salutem atque profectum.

1094. 1) *De Veranno s. Verando qui olim Vesaliae fuerat v. N.* 910. 1029 *et* 1088.

Pergimus pro modulo nostro in opere Domini. Quid de rebus gallicis et germanicis acceperimus, ex ipso quoque cognoscere poteris. Misi ad te gallicum librum de ministerio verbi et sacramentorum, quem tibi redditum fuisse a D. *Hallero*, cui ad te transmittendum commiseram, accepi. Si quando vacat aliquot horas in eo legendo male collocare, gratissimum feceris si eorum me libere, ut soles, et amice admonueris quae in eo desideraris. Salutem dicito meis verbis D. *Bullingero*, D. *Pellicano*, D. *Bibliandro* et D. *Gesnero*, veteri amico, et reliquis collegis et symmystis tuis. Salutant te nostri omnes. Vale. Lausannae 16. Novemb. 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1096.

CALVINUS VIRETO.

De futura synodo, Crantio, Perrino, et variis aliis Genevensibus.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 231. Cuius textus in margine passim ex vetustate chartae paululum truncatus facile ex Ionvillaei exemplari Cod. 111a, fol. 18 refingi poterat, ex quo fonte deinde derivata sunt apographa Turretini Cod. 111, f. 200, Bernense Epp. VII. p. 944 et Simleri Vol. 68.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri carissimo.

S. Si tandem vobis dabitur synodus, [1]) quid in ea tractandum erit et quae tractandi ratio, postea deliberabimus. Nunc si omnia nobis ad manum forent, ne promendi quidem opportunum esse tempus arbitror. Nosti enim eorum artes qui impeditum cuperent quidquid a bonis expetitur. De *Crantio* satis intelligebam quid velles, nec unquam mihi venit in mentem quod suspicaris. [2]) Tantum excusare volui ne me iudicares nimis fuisse morosum, si quid ad te de ea re *Sonnerius*. Hic nihil novi nisi quod subito in suam scenam, ex qua explosus fuerat, restitutus fuit comicus noster Caesar. Captarunt eius amici multorum absentiam, qui nullo negotio resistere poterant. Quum vix duodecim essent in senatu, vicit eorum numerus qui restituendum decernerent. [3]) Praetor hodie creatus est *Molardus*, [4]) iudices duo qui assideant Baptista *Balthasar* [5]) et *Rigotius* [6]) triobolaris scriba. Parum abfuit quin obreperet Petrus *Sabaudus*. Vides ut res nostrae habeant. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te familiamque conservet. Salutabis fratres meo nomine, et uxorem. Mea, quae cum diutino morbo aegre luctatur, vos salutat. Scis bonum *Comitem* quas ab *Hallero* literas acceperat suppressisse. Nimia fuit *Halleri* imprudentia qui fidem tali homini habuit. 18. Novemb. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1096. 1) *Celebrata fuit d.* 20. *Martio* 1549, *ibique iura et privilegia ministrorum arctioribus etiam limitibus circumscripta sunt, inter alia colloquia hebdomadaria abolita.* (*Halleri Ephem. Ruchat* V. 382.)

2) *Videtur aliqua Vireti intercidisse.*

1097.

FARELLUS CALVINO.

Bucerus, Tossanus, alii per Germaniam in summo discrimine positi. Constantiam in ruinam pertractam aliae urbes sequentur, Dei vindicta omnes manet. Synodus a Bernensibus concessa.

(Deperdito exemplari authentico textum sumimus ex edit. Bezae Genev. p. 80, Laus. p. 175, Hanov. p. 196, Chouet p. 106, Amst. p. 48.)

Per exemplar literarum [1]) ad *Viretum* missum, existimo te intellexisse in quibus versetur spinis verus Christi servus *Bucerus*, quem merito pii omnes ardentissimis precibus Domino commendare debent. Christus Iesus ei adsit, et plene benedicat illius ministerio, ac omnium qui ecclesiarum salutem quaerunt. Mirum est senatum [2]) tam esse fractum et tam exigua praeditum fide, quod non cupit se totum Domino committere, et quae Christi sunt tueri et Antichristo resistere. Forte habet qui ita suadeant, et audit quosdam agere apud *Wirtembergensem*: nescio an *Schnepfius* sit. [3]) De *Islebio* res est

3) *Perrinus denuo in senatum receptus, mox etiam syndicus creatus fuit.*

4) *Hudriot du Molard cuius ratris Claudii viduam duxerat Franc. Favre. Unde eius coniunctio cum factione adversa. Quem praetorem dicit, eum, nisi fallimur, Genevenses* Lieutenant général *dicebant.*

5) *De familia Michaelis Sept., cuius filii Baptista et Balthasar fuerunt, h. l. cogitari non posse, disces ex proxima Calvini ad Farellum.*

6) *Claudius Rigot ex ducentis.*

1097. 1) *Buceri deperditarum.*

2) *Argentoratensem.*

3) *Quo die Tubingae prima missa celebrata est, Erh Schnepfius ecclesiae e suggestu valedixit. Quinquaginta duo ministri dimissi fuerunt.* (*Hartmann, Schnepff. Tub.* 1870, *p.* 68. *Heyd. Hz. Ulrich* III. 525.)

iotior, nimirum debere fieri Caesaris imperata, et ion licere Interim reiicere.[4]) Dominus Iesus faxit it quod coepisti in Interim, ne quenquam interimat, cribere absolvas.[5]) Nam sane expedit, quum pro-ul a nostris (si vera audimus) non improbetur: iam *Vincentius*[6]) fertur non improbare, et passim ui se putant aliquid esse, et a nonnullis alicuius iunt, illud commendant. *Tossano* eiusmodi, qui per aeremoniarum instaurationem et additionem nego-ium fecerunt, verendum ne per Interim plus nunc aciant. Missatorem unum habent, sed insignem brium, Mombelgardi, et alterum Blancmonte.[7]) Decanus vir pessimus, et qui diu sciens et volens piritui divino reluctatus fuit, iubente Caesare ad-nissus fuit. Hunc visitet Dominus ut meritus est. Nam nisi per Dominum improbitas viri compesca-ur, multum detrimenti ecclesiae afferet. Si *Tos-ano* et *Bucero* quoque timeam adversa, ut opto rospera, et ecclesiis concreditis ipsis: tibi quid non netuam et quid non optem, et isti ecclesiae? non arum anxius ut res istic habeant, quum nihil au-liverim a die quo istac solvi: et in hac anxietate ta respiro, quod male res non habeant, quum si uid mali esset statim vulgaretur, ut nunc fit si nquam fuerit: bona quum rara sint, rarius annun-iantur: mala quum inundent, nunquam non audi-ntur. Ruina inconstantis Constantiae prius audie-atur, quam perfecta esset: et nunc narratur talis sse, ut Sodomam esse dixeris. Nam Bacchantium n morem, choreis, ludis, ebrietatibus et omni spur-itiae ita feruntur operam dare, ut nemo iam iudi-are possit honesti eos unquam rationem ullam ha-uisse, ne dicam Christum et evangelium audivisse t excepisse. Pagi, qui in gratiam Caesaris non olum non fuerunt auxilio Constantiensibus, sed liis quoque fuerunt impedimento, cum reliquis gunt, ut Interim admittant: et quaedam alia. Pro-ediem responsum sunt accepturi. Pecunia et in-entia munera verendum ne foedera omnia rum-ant. Sed quid foederis tenebit is qui se suosque, alutem et fortunas venales habet? Si Satanas am infestus hostis sese pro insigni amico venditat, t id plerisque suadet, ac quaedam in hoc dat, mi-um si illius ministri hoc non persuadeant iis quos upra omne genus hominum oderunt, praecipue dum opiosum dant aurum. Sed erit plus quam Tolosa-um: sane stipendium et munera, ut videntur pro-usius erogata, hami erunt quibus non solum au-rum omne principum acceptum, verum insuper cor-pora et quidquid est capiantur et sint praeda da-tori, qui manibus suorum et sanguine fuso perli-tabit ad satietatem illorum sanguine qui prius fu-derunt. Sera erit poenitentia, frustra tunc sapien-tiam invocabunt quam recipere et audire noluerunt. Quid Gallis immineat, et quo instigatore orti sint motus, et ad quid, et qui proditioni servierint a proavis, iam est videre. Sua iudicia exercebit Do-minus qui nostri misertus corda tangat, ut serio convertamur omnes et vera fide diguos fructus eda-mus verae resipiscentiae. Dominus Iesus te servet incolumem et diu ecclesiae suae inservientem. Vale cum coniuge et collegis et piis omnibus. Servet istos omnes Dominus qui tecum amant Christum, et Satanam perdat. Collega te salutat et mei fra-tres. Neocomi 19. Novembris 1548.

Exsistimo te rescisse synodum tandem concessam et admissam, quamvis dies nondum dicta sit. Chris-tus faxit ut ecclesiis et sancto ministerio recte consulatur, et quae corrigenda sunt ut decet corri-gantur. Tu vide, quaeso, quid in doctrina multo-rum desideretur, et in vita, ut Epicurei secum tam multos non perdant. Per idoneos id opportune curandum est magno cum timore Dei et precibus assiduis, ne Satanas quos fovet et agit suis dolis tegat, et fucis efficiat quominus cognoscantur et impune evadant. Nosti qui sint et quales, et quan-tum detrimenti afferant ecclesiis, quae nos merito ad misericordiam sui invitare debent: sed potissi-mum Christi sanguis quo redemptae fuerunt, qui tam sceleste a tam impiis in domo Dei conculcatur. Rependat illis iudex iustus, idque cito, prout ege-runt tam obstinatis animis et tanta improbitate: et piis perfecte det pergere, vota eorum exaudiens qui Christi gloriam, ecclesiarum aedificationem et om-nium salutem studio multo exoptant.

Farellus tuus totus.

4) *Io. Agricola a Ioachimo Brandeburgensi commen-atus fuit unus autorum constitutionis interimisticae.*

5) *Medio Dec. licentia imprimendi concessa fuit.*

6) *Fuit aliquis Vinc. Ortin V. D. M. in vicis Etobons t Clairegoutte, ditionis Monsbelg.*

7) *Blamont suam peculiare habebat administrationem. Plura de his dabit Goguel p. 47. Decano nomen erat Bertot.*

1098.

CALVINUS VIRETO.

Domestica ut plurimum tractat, maxime perpe-tuum illud negotium de pecunia ponenda.

(Sequitur in omnibus codicibus praecedentem ad eundem Vi-retum N. 1096; scil. Cod. 106, fol. 232 aut., Cod. 111a, fol. 18 v., Cod. 111, fol. 201, Bern. VII. 945 et Siml.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori fratri et amico carissimo.

S. Heri *Corneo* istuc proficiscenti nihil dedi literarum, quia hic erat *Alysius*, per quem tibi scribendum erat necessario. Scribes prima occasione an apud nostros homines de *Sabaudo* verba feceris. Ut video obstinatos improborum animos vix spero fore melius. *Especium* [1]) hic fuisse, non dubito quin tibi quispiam narraverit. Quales et quibus de rebus fuerint nostri sermones, *Alysius* referet. Tametsi ex multis audieram hominem nihil habere solidi, melius tamen hoc ipse mihi probavit. Ubi *Villerius* pecuniam collocari malit ex eius literis intelliges, quas mihi legendas dedit *Alysius*. Congruunt etiam quas ad me scripsit. Ego tamen, quia tam cito emi fundus non potest, potius censebam offerendas Bernatibus, qua dictum erat conditione. Haec me primum ratio movet, ne data sibi fuisse verba existiment. Deinde mirum est quantum dubiis temporibus momenti interdum habeant etiam res minutissimae. Erunt forte in senatu quidam non firmissimi quos animabit hoc exemplum, si reputaverint non terreri rumoribus bonos viros, quin ultro in societatem periculi aliqua sui parte accedant. Ad haec non iacebit otiosa pecunia, et facilior patebit aditus si quid ab ipsis emere libeat. Periculum quod veretur pecuniae dominus nullum est. Timet ne, si negotium sit cum potentiori debitore, solutio futura sit difficilis. Ego vero expeditum nomen fore confido tam in usura quam in sorte. Iam dum regionem totam circumspicio, nullos video magis idoneos venditores. Quia partim ab ecclesiae praediis abhorrent tam *Alysius* quam *Villerius*, partim suspicantur non fore tutam emptionem, eligi poterit alius proventus. Quanquam supervacuus est eorum timor, meo iudicio: nam si qua erit evictio, optimos habebunt assertores. Religio autem adeo hic nulla est, ut sit hoc quodammodo exempli causa appetendum. Quid enim rebus in melius corrigendis aptius erit quam si post triginta annos audiant posteri, fuisse qui sua pecunia redimeret ecclesiae quod illi ablatum erat. Ego tamen non multum hanc partem urgeo. Tu de omnibus statues ut visum fuerit. Si mecum senties non refragabitur *Alysius*: sin quid se offeret vobis melius, ego libenter sequar. Imo iam subscribo. Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus vos omnes servet. Collegam et reliquos fratres salutabis meo nomine diligenter, simul et uxorem cum filiola. Uxor mea vos omnes salutat. Genevae 25. Novembr. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

Alysius in crastinum profectionem suam differet ut audio: quare uno die serius quam putaveram ad te pervenient meae literae.

1098. 1) *Margo Turretini commendat:* Espencaeum. *Sed de illo theologo gallico minime cogitandum esse facile tibi persuadebis.*

1099.

VIRETUS FARELLO.

In mittendis literis maximam adhibendam esse cautionem Comitis exemplo demonstratur.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. II. N. 1.)

Guilielmo Farello.

Neocomi.

S. *Holardus* [1]) Berna rediens nunciavit te literas dedisse ad me biduo quam ad te veniret, atque idcirco te non habuisse quod amplius scriberes. Vide cui literas dederis. Nam nullas abs te accepi post illas quas cum *Buceri* literarum exemplari misisti. Certe prudenter dispiciendum est quibus hodie committantur. Idem paene usu venit *Calvino* quod *Senarcleo*. *Comes Hallero* se obtulerat, si quid Lausannam mandare aut mittere vellet. *Hallerus* rogat ut fasciculum literarum quem habet a Tigurinis ad *Calvinum* et *Plessiacum* curet transmittendum. Recipit se facturum, sed ita stat conventis ut ne *Plessiaco* quidem, qui Lausannae est, curarit quae ad ipsum scribebantur reddendas. Alias vero quae ad *Calvinum* mittebantur nemo attulit. Interea *Plessiacus* accipit literas ab *Hallero*, quem super hac re sollicitus de suis literis percontatus erat, num aliquid accepisset Tiguro literarum ad se. Miratur *Hallerus* non esse redditas, atque eo magis quod intellexerat *Calvinum* suas accepisse. *Plessiacus* lectis *Halleri* literis se confert in *Comitis* aedes. Agit de hac re cum uxore *Comitis* quam domi invenit. Ipse vero aberat. Ita agit ut et *Bullingeri* ad *Calvinum* fasciculus, et literae ad *Fallesium* et eius uxorem et suam, ad suas manus pervenerint, sed non citra indicia resignationis quarundam literarum. *Calvinus* putabat esse sibi suppressas. Eas hodie ad eum misi. Vides qua nobiscum agatur fide. In postremis tuis quas abs te accepi querebaris quod per vestros nihil ad te scripsissem. Sed arbitror nulla nunc mihi super hac re apologia opus esse, quum non ignores me

---

1099. 1) *V. D. M. in Bex N.* 412.

unc abfuisse, quum hic erant vestri — — — — — — Lausannae 25. Novemb. 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1100.

CALVINUS FARELLO.

Electionum nuper Genevae factarum relatio. Perinus restitutus. Nova et tristia tam ex Gallia uam ex Germania. Libellum contra Interim scripum an Genevae edi possit adhuc dubium est.

Autographon exstat in Cod. Genev. 106, fol. 233. Habet uoque Turretinus Cod. 111, fol. 201 v., Bernensis Tom. VII. . 948 et Simlerus u. s. Anglice legitur Tom. II. p. 184.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. Negligentiae meae imputare non debes, uod, ex quo hinc solvisti, nullae tibi a me literae enerunt. Neminem enim habui qui istuc proficiseretur. Circumferri autem per varias manus hoc empore non satis tutum est. Deinde quid ad te cribam vix scio, quia nihil est quod non multo lus tibi molestiae sit allaturum quam gaudii. Praectum [1]) habemus *Molardum*, cui adiuncti sunt ssessores maximus natu ex filiis *Balthazari* et *Riotius* quidam ex eadem factione. Itaque hoc anno nalis a severitate iudicum nihil fore periculi vides. Exspectabimus autem quorsum prorumpat eorum icentia. Eodem die Caesar noster comicus soccos terum induit: nunc ferocior aliquanto redditus inter histriones suos se thrasonice suo more iactat. Denique nulla spes apparet propinquae correctionis, uidquid nos tentemus: nec dubium quin magnam n republica conversionem moliantur proximis synlicorum comitiis. [2]) Sed Dominus e coelo vigilat. Burdegalae compositi sunt motus vel saltem ad empus sopiti. [3]) Edita enim sunt extremae crudelitatis exempla, quae forte brevi ebullient in maiores tempestates. Xantones insulis se tenent abditos. *Bucerus* nuper ad me scripsit Antiochum exspectari ad purificationis. [4]) Quantum ex literis eius intelligo, nihil illic est cordis in senatu. *Bullingeri* quoque literas heri accepi. Ubi respondero omnia intelliges. Si forte permiserit senatus noster hic excudi quae adversus Caesarianum Interim oblata sunt, primo quoque nuncio exemplar ad te mittam. [5]) Sed quia *Trollietus* inter suos disputat, non opus esse tot libris aut concionibus, vereor ne tanti sit eius autoritas ut alibi quaerendum sit prelum. Vale, frater et amice integerrime, una cum collega, *Fatono*, *Michaele*, *Thoma*, reliquisque symmystis. Dominus vos omnes regere pergat spiritu suo. Totam familiam salutabis meo nomine et uxoris. Collegae omnes urbani vos salutant. Alii se gerunt pie et sincere, exceptis duobus, *Philippo* [6]) et *Ludovico* Seliniaco. [7]) Iacobus *Bernardus* [8]) nuper certamen cum *Vendelini* nepote habuit, quod illum nobis propius coniunxit. Frater eius nudius tertius alio migravit. Genevae festinanter. 27. Novemb. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

1101.

BULLINGERUS CALVINO.

Calvini propositiones de sacramentis autori remittit adscriptis brevibus annotationibus.

1100. 1) *Sequentia nuper quoque ad Viretum scripsit N.* 1096. *Anglus*: The prefect M. is here.)

2) At the next assembly of syndics. *Imo in comitiis de electione syndicorum habendis.*

3) *De his motibus a.* 1548 *in provinciis Saintonge, Angoumois et Guyenne exortis, propter nova vectigalia de sale exigenda, vide Thuani l. V. vers. gall. Bas.* 1742 I. 451 *ss. Mémoires servant à l'hist. de Henry* II. p. 167 *ss. Hist. des choses mémorables avenues en France depuis l'an* 1547. p. 3 *ss.*

4) *I. e. Argentorati ad initium Februarii. Quod tu videbas vel non monitus. Sed iste:* Antiochus was looking forward to a day of purification.

5) Le 29. Nov. un imprimeur ayant présenté la réponse à l'Interim de l'empereur composée par Calvin, le Conseil décide que le syndic P. Vandel et le conseiller Cl. Roset doivent appeler Calvin pour connaitre s'il n'y a point quelque blâme contre les princes; et si c'est seulement la remontrance des abus papaux, la requête lui sera octroyée. (*Roget l'Egl. et l'État p.* 46.) *Anglus:* What has been adduced against the Interim of the sons of Caesar. (Reference to the partisans of the imperial alliance.)

6) *De Ecclesia, V. D. M. in Vandoeuvre et Cologny.*

7) *Lud. Treppereaux V. D. M. in Céligny et Crans. De utroque vide Gaberel p.* 360.

8) *Iac. Bernard tunc temporis in Peney et Satigny. Frater eius Ludovicus, olim sacerdos, inter primos reformationi calculum adiecit Genevae. Senator fuit a.* 1545. *Quod dicit eum alio migrasse, significat mortuum esse. Quae et Galiffii est sententia, Not. gén.* III. 49. *Caeterum quid sibi velit certamen Iacobi nescimus. Cf. responsum Farelli N.* 1105.

(Ex autographo Bibl. Turic. MSS. F. tom. XLV. olim LXXX. fol. 242, edidimus Opp. Tom. VII. p. 693 seqq. Contulimus etiam exemplar Parisiense Coll. Dupuy Vol. 268, fol. 14 et Simleri Vol. 68. Incipit a verbis: *Gratiam sacramentis alligari* etc. Mense Novembre scriptam esse certissimum, fortasse iam ante medium. Cf. N 1104 et 1039.)

1102.

LASCUS CALVINO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 72. Edidit Kuyper, Tom. II. 620 ex nostro apographo.)

Doctissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis doctori amico observandissimo.

Nihil magis cuperem quam hunc nobilem[1]) istic aliquamdiu esse, siquidem nusquam tutius (iam enim, ut accepi, a suis diligenter perquiritur) nec cum maiori utilitate. Et quamvis antea dederam ei ad te literas, tamen quia verebatur ne antiquitate suam amitterent autoritatem, libenter et has ei misi. Vehementer enim eum amo, nec eo nomine tantum quod gentilis meus est et principibus carus, sed quod non dubito eum profuturum multum ecclesiae Christi. Verum solida confirmatione eget. Posteaquam igitur omnia meo consilio facit, velim, mi D. *Calvine* observandissime, tibi persuadeas, nihil me maiore studio a te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quam si eum omnibus tuis consiliis et auxiliis, sicuti id res illius postulaverint, iuveris. Ego istis diebus gravissimo morbo decubui, necdum vires recuperavi. Vale. Saluta tuos omnes meo nomine. Commendo me vestrae orationi. Vomsoriae[2]) iij. Decembris 1548.

Tuus quantus est
Ioannes a Lasco
manu ex morbo tremula.[3])

1102. 1) *Ex alia ep. Lasci d. d.* 24. *Apr.* 1549 *disces quis hic fuerit.*
2) *Quum ex ep. Cranmeri ad Melanchthonem d. d.* 10. *Febr.* 1549 *constet Lascum hyemem in Britannia transegisse, Kuyperi coniecturam, hic de Windsoria cogitantis, minime respuimus* (*v. Parker Soc.* I. 21).
3) *imo sueta elegantiore.*

1103.

BUSCHETTUS CALVINO.

Fuse narrat quae ipsi acciderint ex quo in patriam reversus est. In quibus maxime iis insistit quae de suo sacerdotio et ecclesiae administratione satis singularia et ambigua refert. Denique Calvino quaestiones de nonnullis fidei articulis proponit.

(Exstat in Cod. Genev. 110, fol. 100, amanuensis ut videtur manu scripta. Non enim omnia quae Aristarcho egent aut ipsi Donato stomachum movere possunt autori tribuenda videntur, cuius tamen latinitas non magis Calvinum magistrum sapit quam pietatis *παῤῥησία*. Asteriscos passim apponimus ne tu typothetae nostro vitio vertas aliena peccata.)

A Mr. Calvin.

Sanctissimo sacrae theologiae doctori D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis administratori dignissimo Io. Petrus Buschettus Cheriensis S. P. D.

Ab eo tempore quo patriae sumus restituti dedi multis ad te literas, qui doctrinae causa se Genevam ituros dicebant; quas quidem si acceperis nec ne, id me latet. Id enim scire et de reliquis ad te scriptis responsum habere, ut utile, ita iucundissimum foret. Etsi progressus et successus meos, a meo a te discessu, iam antea percipere potueris, repetam tamen illos atque eos quos te nondum scivisse opinor, quo vitae meae rationem teneas, et quidquid in ea aut probandum aut corrigendum censueris ex tuis literis significare digneris. Nam ab ipso discessu egi Lutetiae apud Robertum *Stephanum* per aliquot menses, qui intercessione D. de *Senarcle* (cui tuis literis commendatus fueram) me in suam familiam admisit. Bello deinde adventante emanatoque propter hoc regis edicto quo iubebatur* omnes alienae ditionis homines solum vertere, coactus ab eo discedere Lugdunum veni. Ibi dum deliberarem de itinere aliquo ad studia suscipiendo, allatae sunt mihi matris literae quibus iubebat me quamprimum domum advolare, si illam viventem cupiebam * videre, antequam gravi morbo quo laborabat opprimeretur. Ego etsi nihil minus quam domum redire tunc statuissem, ut tamen pietati maternae filiali officio responderem, non venire non potui. Illa biduo post meum adventum dies suos obiit, relictis mihi seniori fratribus duobus totidemque sororibus, a quibus quidem quum me explicare tentarem, eosque omnes una cum facultatibus alicui ex coniunctis committere voluissem, quo expeditius ad studia redirem, id nunquam impetrare potui. Imo quasi parum esset quod me ad curam familiarium abigerent, onusque illud administrandi imponerent, et me retinendo a studiis

vocarent, urgebant praeterea ut sacerdotium quod ntea habebam, eo tempore a malevolis quibusdam ccupatum recuperarem. Aiebant enim magnum se in me pusillanimitatis aut impietatis argumen- m sacerdotium deserere, quod recuperare facile e ac iuste possem. Promittebant mihi in eius ecuperationem omnium ducalium senatorum bene- olentiam ac favorem. Quid plura? Illis quamvis ivitus acquievi. Sacerdotio sum restitutus: imo ihi restitutum est sacerdotium. Nec tamen hu- anae unctionis sum effectus sacerdos, ne defec- onis tantum suspiceris. Verum hoc ingenue fa- ar,* nos hoc morbo adhuc laborare, quod solitus ultus in nostris ecclesiis adhuc retinetur, missatur ore solito, nec per magistratum nec per superstiosam multitudinem ullo modo liceret habitus illos issarios, sacramenti elevationem, reliqua id genes exterios* gesticulamenta histrionica atque addiamenta ab oculis auferre. Licet tamen (ut etiam iquid dicam de commoditate docendae veritatis uae in ipsa missa haberi posset) inprimis confesonem quam in ea praemittunt Deo facere, alios endam* docere, hanc atque symbolum apostolicum, pistolam, evangelium, omnia vernacula lingua retare et fideliter interpretari, itidem ostendere sacramenti institutionem atque verum usum, et illam acramenti elevationem aut (ut appellitant) oblaonem, quam a sacrificulo fieri vident, vere oblaonis a Christo in ara crucis facta repraesentatoam esse, commemorativam, praeterea sursum corda sse erigenda ut in eiusdem praefatio* monentur, reliqua quae, ut in se sunt optima, ita ad usum finem optimum reduci possunt. Tandem (modo lae hominum inventiones et additamenta non ommutentur aut prorsus deleantur, quae magistraum irritarent et superstitiosam multitudinem admiratione commoverent, aut mali suspicione in his rincipiis incitarent) veritas ipsa, verus Dei cultus t sacramentorum usus per nostram apud magistraum autoritatem et per multitudinis simplicitatem bere atque expedite doceri possunt. Et, quod opmum est, dum non est qui nos a docenda nostra eritate impediat, non est etiam qui suo mendacio redere aut cultui superstitioso nos immisceri imellat. Verum possumus, si quid boni habemus, lis in medium proferre et interim a suo malo idolatriae nos immaculatos conservare. Hanc igitur pportunitatem non negligentes his rationibus adtimur pro ea doctrina, quantacunque sit, qua* Dei gratia vestraque opera atque instrumento conequuti sumus, idola, si non ab oculis, certe a coribus hominum radicitus exstirpare. Nec parum l vobis videri arbitramur, ut nec nobis videtur, i nostro hoc tempore et in hac subdita regione tanum christiani otii habeatur, ut inter ipsos abusus t erroris tenebras veritatis lumen inferre liceat. Non enim perdifficile esse experimur obscuritatem evangelicae lucis claritate opposita discernere: quod ubi discernatur lux a tenebris, veritas a mendacio, vera religio a superstitione, ubi intellecta atque suscepta fuerit, non adeo vigilanter aut odiose observantur homines, quin possint, ubi voluerint, tenebris errore atque mendacio relictis in lucem ambulare, veritatem sequi, veram religionem amplectendo libere pie ac immaculate vivere. Nam si qui sunt observatores qui veritati adversentur, qui adeo pauci sunt infimaeque conditionis ut parum ab eius* conatibus nobis sit timendum. At nos* poenitendum potius quin maiores in Christi doctrina progressus fecerimus, qua ut caeteris rationibus huiusmodi adversariis resistere, adhaerentes vero melius adiuvare valeamus. Sed non iniucundum esse putamus et vobis et quibuscunque fidelibus, si tantum intelligant Christi negotium in nobis, quicunque simus, aliquo modo agitari. Verum quomodocunque de his nostris progressibus sentias, te inprimis oramus ut nobis significare digneris, et interim in orationibus ecclesiarum vestrarum nostri aliquam mentionem faciatis, ut Deus a malis ad bona inducat, et his* quae vobis bona videbuntur ad meliora provehat.

Quia *Brencius* in sua interpretatione XXII. Lucae asseruit novam quandam et novo quodam modo corporis Christi praesentiam in sacramento eucharistiae, nec quidquam eo loco de adoratione atque elevatione sacramenti, de missatoris vestibus ac ordine disseruit, nostri hic concionatores sive impostores nituntur ex eiusdem sententia adorationem, elevationem sacramenti et reliquas missae circumstantias comprobare: imo ausi sunt etiam affirmare, doctores Germaniae primarios se in hac re sacramentaria retractatos,* reliquosque omnes brevi retractaturos esse. Quae res non parva admiratione fidelium animos commovit atque afflixit molestia. Ideo commisimus cuidam ex nostris Lausanna* transeunti ut haec omnia D. *Vireto* renunciaret et de hiis* consuleret. Qui quidem D. *Viretus* super retractatione illa, ut videbis, ad nos scripsit: de reliquis vero, sive ipsi visum non fuerit scribere, sive nuncius narrare nesciverit aut tenorem oblitus fuerit, nullam ab ipso in suis literis solutionem habuimus. Quare te etiam atque etiam oramus, ut tu pro tua pietate et doctrina in his quae *Brencius* in sua interpretatione et D. *Viretus* in suis literis omisit nobis supplere digneris. Nam etsi antea satis abunde in tuis epistolis de rebus huiusmodi fuerimus instituti, tuamque institutionem et doctrinam, quantacunque sit, quam a te consequuti sumus, in hunc usque diem inviolatam servaverimus, et conati simus pro viribus referre (ut hic frater noster, per id quod ex continuo convictu et vidit et audivit, abunde testari poterit), nunc propter nova haec dubia, quae ex interpre-

tatione doctorum Germaniae nobis suboriuntur, a quibus per nos non satis facile nos explicari* possumus, cogimur, etiamsi taediosi tibi videremur, abs te solutionem novae illius interpretationis, et de aliis iam antea ad te scriptis novam confirmationem quaerere, ut tua admonitione et consilio fortiores evadamus. Nobis igitur ignosce et bene in Christo vale. Buschae [1]) VIII. Idus Decembr. M. D. XLVIII.

Pluribus verbis tibi commendarem harum latorem, quum nobis sit frater in Christo perdilectus: at quum perspectum habeam Christi pietatem magis apud te valere quam meas aut omnium hominum commendationes, eum tibi huiusmodique fideles omnes pro sua pietate satis commendatum esse duxi. Quid instituerit, quidve in suo instituto tuo auxilio ei opus fuerit, ipse praesens indicabit.

1104.

BULLINGERUS CALVINO.

De epistola pridem scripta sollicitus est, an revera tradita fuerit. Iuvenem sibi commendatum apud se recipere nequit. Constantiam subditam dolet. Comitia Helvetiorum Turici de concordia celebrata sunt. Scriptum Calvini contra Interim videre cupit.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. vol. 129 ubi legitur ex parte fol. 232, ex parte 206, oscitantia bibliopegi confusis foliis codicis olim Scrin. B. Epp. Tom. 30 signati. Descripsit Simlerus Vol. 68. Edidit Füsslinus Centur. N. 67, p. 266.)

Praestantissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae antistiti vigilantissimo suo in Domino semper colendo domino et fratri.

Jenff.

Salutem D. Valde sollicitum me reddiderunt tuae literae, [1]) *Calvine* doctissime vir et frater carissime, quod indicarent [2]) postremas meas tibi nondum esse redditas. Agam cum D. *Hallero* ut illas exigat ab iis quibus credidit. Nollem illas amissas aut interceptas venisse in manus infideles. Libera me, quaeso, hac sollicitudine, si interea illas recepisti. Respondi illis ad tuas postremas, quibus multis et per propositiones quasdam exponis quid doceatis de sacramentis, praesertim autem de coena Domini. [3]) Inseris quaedam de *Bucero* et de *Iodoco* aliisque Bernensium rebus. Ego vero respondeo ad propositiones illas, non ut tua impugnem, sed ut tibi occasionem dem luculentius sententiam tuam explanandi, si quo modo detur ut idem sentiamus et loquamur. Retinui exemplum, ideoque aliud iam tibi mitto, [4]) nescio quam probe sit descriptum. Propter negotia et festinantiam relegere non licuit. Praeterea fideliter explicavi quid desiderem in D. *Bucero*. Id quod inprimis nollem incidere in manus infideles. Ita etiam miscui quaedam de *Iodoco* et fratribus Bernatibus. Egi gratias pro commentariis tuis in epistolam [5]) Pauli ad Timotheum. Postulavi, mittas et alios commentarios in epistolam secundam ad Corinthios, ad Galatas, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, secundam ad Timotheum et Titum. Non ita impudens sum ut cupiam illos mihi donari. Sed libenter numerabo pretium una cum maximis gratiis. Valde enim tuis delector. Adieci quaedam, si bene memini, de rebus Constantiensium. Et quoniam spero tibi illas iam esse redditas, ad alia transeo.

Propter te et tuam commendationem, mi *Calvine*, libenter suscepissem iuvenem quem commendasti, sed res meae accisiores sunt quam fratrum plurium egestati sublevandae conveniat. [6]) At ecclesia nostra alias satis et plus satis est onerata. Indies [7]) tergoribus nostris nova insident onera. Dominus consoletur oppressos. Alere tamen ipsum statui diebus aliquot.

Actum est prorsus de Germania misera. [8]) Erepta est cum libertate veritas evangelica. Papismus sensim et artificiose alicubi, alicubi terroribus et minis inducitur adeoque obtruditur. Constantia omnium miserrima est: subdita iam est domui Austriacae. Mirareris si legeres formulam iurisiurandi iuxta quam sese regi *Ferdinando* astrinxerunt. [9]) Pollicentur in ea se recepturos sententiam

---

1103. 1) *Ubinam terrarum hic locus quaerendus sit tu videas, item an inter hoc loci et ipsius viri nomen aliqua intercedat necessitudo. Gallus non fuit quippe ut extraneus Lutetia pulsus, et in ducali quadam ditione degens ubi reformatio vix inchoata et quidem timidissime. Aliam eiusdem epistolam leges infra 7. Sept.* 1549.

1104. 1) *Non exstant.*

2) Indicerent *F.* — *Postremae illae ipsius N.* 1083.

3) *N.* 1039.

4) *Quod supervacaneum fuit quum interea priores Genevam pervenissent.*

5) Epistolas *F.*

6) Conveniant *F.* — *Hoc tempore Bullingerus Musculum c. uxore et 9 liberis, Gerv. Schulerum Memmingensem et Rasdorferum Campodunensem domi suae alebat.* (*Pestalozzi p.* 296.)

7) *Hoc comma om. F.*

8) Misere *F.*

9) *Hanc formulam reperies insertam libello: G. Voegeli, der Konstanzer Sturm,* 1846. *p.* 137. *Recitata fuit et iureiurando accepta Idibus Oct. non sine plurimorum lacrymis.*

gis de religione pronunciatam. Iurarunt per eum et omnes sanctos eius. Domine Iesu misere nostri et serva nos a malo. Laboramus iam *Ambrosio*[10]) persuadeatur ministerio Bernensis clesiae sese addicat. Spero illum benigne obtemraturum.

Comitia Tiguri celebrata sunt a quatuor christanis urbibus, Tiguro, Berna, Basilea et Schaffusio. Deliberarunt de concordi responsione danda ptem pagis. Hi enim legatione missa in urbes ngulas haec potissimum proposuerunt: 1. Verisile esse Caesarem, quum insidietur nostrae libertati, praetextu religionis causas belli contra nos aesiturum. Ergo ne iustam videatur habere caum, cupere septempagicos; expendant apud se bes annon commode omnes Helvetii hoc responsi re possint: consensuros se in determinationem ncilii, si illud possit cogi liberum, generale et ristianum. Id vero quum nunquam possit speri, mansuras interim singulas partes in Helvetiis suae religionis professione. Si vero Caesar no id responsi recipere, cordatos tum omnes per niversam Germaniam, imo Europam, Caesaris solentiam et Helvetiorum innocentiam intelligere sse. 2. Ne postulantibus aequum ius,[11]) negous cuiquam. 3. Coerceantur qui in rebus publicis endaciis contumeliis et calumniis dissidia quaeunt, et ut agatur cum concionatoribus ut modete, non immodeste nimis concionentur. De his nnibus deliberarunt, ac pulchre convenit in ombus articulis responsionis quatuor urbibus, no excepto concilio. Nam Basilienses consentire lebant simpliciter in concilium generale, liberum, ristianum. Tres urbes caute agendum putans exponere volunt diligenter in quale contiant concilium. Ut ergo Basilienses etiam in c articulo concordent[12]) cum tribus urbibus, et c ipsum impetretur a Basiliensibus, celebrabuntur . Decembris alia comitia Basileae, postea mittentur gati ad septem pagos qui referant concors illud bium responsum, agantque cum illis quae videnr pertinere ad incolumitatem et pacem totius ecesiae atque Helvetiae. Interea orandus est nobis ominus ut ipse bene fortunet sanctorum conatus destruat atque subvertat impiorum consilia insias et violentiam.

Certe tempora sunt periculosissima. Mirum in odum videre cupio quae scripseris contra Caesanum Interim. Edidit duo folia quidam Saxo[13]) contra Interim, sed ea nihil continent quam convicia. Praeterea non audio quemquam quidquam parare contra Interim. Ego germanice quaedam congessi, sed non eo consilio ut edantur. Habui etiam orationem brevem contra Interim in coetu ecclesiastico: sed talis non est quae mercatur vulgari. Nec satis scio an hic imprimeretur. Ita divexatus est magistratus noster propter editum *Gualteri* Antichristum.[14]) Sed et *Gualterus* ac ego mirum in modum exerciti sumus propter istum libellum, ut in exulcerato isto saeculo et in hoc loco, isto praesertim tempore quum Helvetii comitia celebrant de concordia sarcienda, praestet a me nihil vulgari, ne novo incendio materiam subministrem, et plus diruam quam aedificem. Vale, frater in Domino colendissime. Salutabis fratres, praecipue D. *Farellum*, D. *Viretum* et alios. Salutant te D. *Bibliander*, *Pellicanus*, *Gualterus*, *Werdmullerus*, inprimis autem vicinus ille meus et frater longe carissimus D. *Musculus*. Tiguri 6. Decemb. Anno 1548.

Hein. Bullingerus
tuus et omnium piorum.[15])

10) D. Amb. Blaurerus a senatu nostro ad ecclesiae ius ministerium vocatus est, sed is actis gratiis recusavit nire. (*Haller*, *Ephem. Nov.* 1548.)
11) *F. distinxit:* aequum, ius.
12) concordentur *F.*
13) *Imo non pauci sibi tale aliquid sumpserunt, inter quos ipse Melanchthon. De his v. Bieck, dreyfaches Interim p.* 123, *qui* 37 *enumerat scripta huius generis, plura Walchius in Bibl. theol.* II. 626 *ss. et Feuerlinus.*
14) *N.* 882.
15) *Subscriptionem, ut etiam inscriptionem om. F.*

1105.

FARELLUS CALVINO.

Genevae statum deflet pessima quaeque auguratus, Calvini vicem dolet, Bernensibus Blaurerum vocatum gratulatur, Burdegalenses res suas male gessisse queritur, Trollieti tricas in fumum abituras sperat, Bernardum commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 82. Recentiora exemplaria exstant in Cod. 116, fol. 1, in Epp. Bernens. VII. p. 950 et apud Simlerum Vol. 68.)

Fidelissimo et insigni servo Christi Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis quam doctissimo fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Geneva hactenus multum in sui perniciem laboravit. Deus istius urbis misertus in perniciosos vertit quidquid moliebantur. Sed nunc[1]) tandem,

1105. 1) *post recentes electiones* (*N.* 1100).

posteaquam, ut audio ex multis, res deploratae sunt, si resipiscentia non intervenerit, ruina continget, quae omnibus exemplo erit. Factio Epicurea sentiet, Deum esse et ultorem scelerum quae perditi admittunt, quum patrem habere eum noluerint, protectorem filiorum qui ipsi fidunt. Sane tuam doleo vicem quod tot et tantis tuis laboribus tot tam acerbi accedant dolores, quod tua sensim videas et sentias adeo atrociter discerpi viscera. Quid viscera dicam? Imo tuam tibi toties eripi vitam. Quid enim sunt viscerum dolores et frequentes mortes ad ista quae patrantur indies flagitia in ignominiam Christi et conculcationem evangelii? Feriat Deus feras tam immanes quae ita saeviunt in pietatem, idque destinata malitia, et miseris qui nesciunt quid agant sit propitius. Non solus erat is qui Christum, verbum Dei, et quidquid est pietatis nugas esse iudicabat. [2]) Qui soccos induit priores, [3]) quum iustificet ut Israel Sodomam et Iuda utrumque, quum belligerari in Christum statuerit, et nomen negantibus sit amicus fautor, nescio an autor audendi, mox divinam sentiet manum. Quod etsi mihi dolet, tamen ut ecclesiae bene sit patrem poscam, imo ex animo precor ut acceleret, nec sinat suos a tam perditis avocari ab iis quae serviunt ad illustrationem sui nominis, nimirum ut ecclesia pura pure pergat. Ista etsi te angunt non tamen ideo oblivisci debes bonorum, quorum clementia divina voluit istic iustum esse numerum, quique indies augetur. Istis aderit Dominus, quum ex animo studeant pietati, et dum improbi adnituntur omnia ita parare ut liceat impune quidquid libet. Dum vitant castigationem temporalem et momentaneam, quae hominum manu fit, quis dixerit quam gravem sibi accersant ultionem, eamque aeternam, ut divina erit. Sed miseri quid divina prudentes timerent et vitarent imminentia quum tam sint imprudentes, ut humana quae ob oculos habent non videant nec caveant. Sed non solum hoc morbo isti laborant, passim est videre.

Affulget aliqua spes in Bernensibus, quos audio bene affectos ad meliora. *Hallerus* spem non fefellit. Addat illi Dominus gratiam et ministerium ipsius prosperum faciat, et omnibus qui timent Dominum. Audivi adiungendum esse *Blaurerum*. Si ita fiat, ut Constantiensium defico calamitatem, ita gratulabor Bernensibus tam insignem benedictionem.

Miseri Burdegalenses [4]) rem male coeptam peius composuerunt. Poterant exemplis superiorum intelligere quantum fidei tot et tantis promissis habendum fuisset. Truculentia cum perfidia non manebit inulta. Si qui in homines peccarunt, et non semper iustis iussis parere detrectarunt, ita plectuntur, quid fiet illis qui Deo semper iusta iubenti tam sunt rebelles, ut non modo parere recusent, verum etiam omnes qui Deo parent exstinctos curant? Dum sanguis ita funditur, absente equitum magistro nuptiae apparari feruntur, et pompa parisiaca a coronatione regis. Christus tandem dignetur plenius patefacere quam habeat sponsam et quanti eam faciat, utque apud eos quos suo illustravit spiritu edocuit, ita omnibus palam faciat, et perditum illum lenonem Satanam cum lena romanensi, ob flagitia quae admiserunt in omnia divina, quo sponsam abalienarent a sponso et nihil relinquerent purum et sanctum, sed polluerent et profanarent omnia, ita feriat et perdat cito ut nihil supersit.

Non puto eo amentiae senatum istum pervenisse ut *Trollieto* [5]) tam male de ipsis merito, idque a progenitoribus, plus deferat quam tibi et collegis, qui tam estis meriti, non bene tantum sed quam optime, ut orbis par esse non possit in referenda gratia. Christus faxit ut intelligant plene, nullaque ingratitudo interveniat, potissimum erga Deum qui tam favet istis, nec erga eos quibus usus est et utitur indies. Non possent invidiam maiorem sibi conflare apud omnes pios quam inpediendo, quum avidissime exspectent. Pro tua prudentia tu, vel collegae tui aut bibliopola, potestis efficere ut tua tibi liceat edere. *Bernardus* [6]) quem meo salutabis nomine, tibi non erit inutilis, et ut olim non parvam iniit apud omnes pios gratiam, dum tibi officiose morem gessit, ita nunc, si laboret ut quae tam digna lectu et tam ab omnibus expetita in lucem veniant gratior omnibus fiet: eumque meo ac collegae nomine, imo fratrum omnium, rogato, si quidem rem quam gratissimam omnibus faciet. Nec opus est ut in tui gratiam tantum hoc agat, sed in totius ecclesiae, quam late patet per orbem universum, aedificationem et istius urbis illustrationem. Spero ex misericordia Dei, quanto magis Satanas per suos sese elevat, tanto citius et in imum magis deprimetur. Bono simus animo. Non est nostra pugna. Ducem habemus vincere qui semper didicit, vinci unquam non potuit. Spectatores simus quam potenter percussurus sit hostes. Stationem tantum non deseramus, sed certi de victoria ne quidquam hosti cedamus, et quo magis nos impetit, eo certiores simus, iamiam ducem de illo triumphaturum.

Vale quam optime, et pugna semper strenue,

---

2) *Haec de Grueto dicta esse bene monet Simlerus. Ille enim margini libelli calviniani contra Anabaptistas p.* 145 (*Opp.* VII. 119) *haec verba inscripserat:* Toutes folies (*Galiffe, not. gén.* III. 261).

3) *Perrinus cf. N.* 1100.

4) *Cf. N.* 1100. *Videtur motum illum alia de causa credidisse ortum et alio tendere ac res erat.*

5) *Quem Calvinus suspicabatur impediturum quominus per senatum sibi librum contra Interim Genevae edere liceret.*

6) *N.* 1100 *not.* 8.

et collegae tecum, quos salvere opto cum coniuge et piis omnibus ne praeteream *Fallesium* cum coniuge. Fratres omnes te quam officiosissime resalutant, te que et istam ecclesiam Domino commendant, tuasque preces petunt tum pro se tum pro ecclesia. Nihil accepi ab Argentoratensibus. Timemus ne qui videntur aliquid esse apud *Christophori* patrem efficiant unde *Tossano* et suae fidei commissae ecclesiae detrimenti aliquid accedat. Eum servet Dominus et omnes. Iterum vale. Neocomi 7. Decembr. 1548.

Farellus tuus totus.

1106.

FARELLUS BULLINGERO.

Memoriam recolit itineris sui Turicensis cum laude eorum quos tunc adierat. Cui iam addit Halleri elogium omnibus numeris absolutum. Omnia sueta facundia.

(Autographon Turic. Arch. Plut. VI. vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 328, contulimus cum Simleri apographo Vol. 68 et Füsslini textu minus fido in Centur. N. 68, pag. 271 sqq.)

Eximio tum pietate tum doctrina ornatissimo Heinricho Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae fratri et symmystae plurimum observando.

Tiguri.

Gratiam pacem et misericordiam a Deo. Quod in psalmis legitur [1]) de piis, quod flentes ibant iacientes semina sua sed redibunt [2]) cum gaudio suos portantes manipulos, hodie nimirum est videre, idque perpetuo fiet. Nunc cum fletu seminatur verbum sub gravi cruce ob perfidiam multorum, qui illud produnt et ad defectionem multos instigant. Accedit offendiculorum mare, quod ita urit fidos verbi disseminatores, ut quo se vertant prorsus nesciant, et nisi adesset is qui spe contra spem niti iubet prorsus animis conciderent. Sed Dominus efficiet, quantumvis satis lacrymosa sit, quod messis gaudii plena erit, et longe copiosior quam credere possemus. Dum vos adiremus [3]) et primos vobiscum misceremus sermones, sane id non fuit sine gravi dolore. Causa quam agebamus, quanto plus aequitatis habebat, tanto plus ponderis item habebat. Sentiebamus gravatam esse invidia. Mentem Deus meliorem illis det qui non tantum magistratus inflammare laborant, verum etiam eos qui unum prorsus sunt in Christo, eadem mente, eodem spiritu, abalienare a quam carissimis fratribus enituntur. Si quid [4]) oderit Dominus, illud genus hominum quam maxime. Verum non passus est Christus tanto nos absorberi dolore: dedit enim exitum cum gaudio christiano. Amicum et fraternum in *Viretum* testati estis animum, et humanitati, quam prius experti eramus amplissimae, addidistis omnia in nos pietatis officia, et ne quid deesset mire nos recreastis, dum optime iuberetis nos sperare de *Hallero.* [5]) Spem auxit breve cum illo colloquium, verum aetas me non nihil tenebat. [6]) Eram profecto multis modis arguendus quod post tam amplum vestrum de fratre testimonium et tam amicum cum eo colloquium haererem ob aetatem, nec in mentem veniret *Viretus*, cuius causam, imo Christi, in eo agebamus. Qui quum iuvenis admodum, ob penuriam operariorum coactus in messem Domini [7]) falcem emittere, nihil admisit unquam gravi etiam sene indignum, sed omnia supra aetatem, quod sane non parum ei invidiae peperit, et apud pontificios qui veneno ipsum tollere et aliis viis tam improbe conati sunt, et apud fucos qui sine labore in evangelio quaerunt vivere et in pretio haberi: a quibus longe duriora est passus quam a pontificiis unquam. Hic, inquam, *Viretus* et alii, ut de te taceam, qui nisi totus fallar iunior multo ad munus evangelicum es assumptus, [8]) in quo per Dei gratiam inter tuos ita te gessisti ut aliis semper plus imitandus visus [9]) sis quam qui eos sequi deberes, perficiat in te Deus et servis suis omnibus quod coepit, et in hunc diem auxit, detque veram perseverantiam. [10]) Talis numerus piorum et tam insignium pastorum nonne adigere me debebat ut nihil metuerem de *Halleri* aetate? Et quamvis hic culpam agnoscam, est tamen quod me reddat non adeo Christi amantibus damnandum. Siquidem ecclesias amo, imo colo omnes: sed Bernensem me oportet perpetuo ob oculos habere et in pectore

---

1106. 1) *Ps.* 126, 6.
2) redibant *F.*
3) *Mense Maio, Vireti causa suscepto itinere* (*Kirchhofer* II. 92.)
4) A carissimis fr. enitantur, siquidem . . . *F.*
5) *Nuper Bernam vocato.*
6) Terrebat *F. qui in argumento epistolae praemisso haec sic interpretatur:* Tristis est quod H. tam gravis sit aetate!! *Natus erat a.* 1523 *d.* 18. *Ianuarii.*
7) *Pro:* Domini *F. legit:* est.
8) *Natus m. Iulio* 1504 *Bullingerus iam* 1523 *Cappellis munus scholasticum auspicatus*, 1529 *minister factus Bremgarteniae*, 1531 *Zwinglio successit.*
9) Visus *om. F.*
10) *Quum haec scriberet, Ariadnes filum ei manu excidit, ut passim solet.*

gestare, quum huius officia senserim innumera et domi et foris. Praeterea quantum in ea situm est, vix certe [11]) credat qui non noverit. Ideo non tantum ego tot tantaque expertus, verum unusquisque qui Christi [12]) aliquid habet pro ecclesia tali et tanta summo studio eniti debet, ut quam optime habeat. Experientia siquidem sumus edocti quantum huic ecclesiae et cum ea plurimis obfuerint non solum pestilentes viri [13]) malis exagitati affectibus, verum etiam parum attenti et non omnia magno agentes iudicio, qui sibi sapere videbantur, qui toties in eundem impegerunt lapidem, dum mala admittunt et bona reiiciunt. Sed iam ope Domini [14]) liberatus sum a metu, quandoquidem *Hallerus*, ut [15]) boni ominis hoc nomen est, Bernensibus praestat, quod prior ille [16]) aedificando per Dominum effecit, conservando et instaurando. Partes non fovet neque coniunctionem solvit, sed, ut pastorem pium decet, omnes ut unum sint adnititur coniungendis animis studens: praecipitanter nihil agit, non facile nebulonum [17]) credens delationibus sese durum bonis praebet, et nisi omnes me fallunt (quod fieri non potest, si quidem pii omnes de eo certe [18]) loquuntur), sanctus est Dei minister, qui multa fide, studio, cura ac probitate et puritate versatur in domo Domini, et ut ingenue fatear, optime *Bullingere*, totus videor in gaudio essè quam laetissimo, nec post *Hallerum* priorem ita sperare potui de Bernensi ecclesia ut nunc.

Verum hoc meum gaudium interturbavit unus tantum qui non sine animi sui dolore non modico, meo vero quam maximo, referebat: instaurationem Bernensis ecclesiae, quam mire depraedicabat, mox perditum iri, quod *Hallerus* brevi abiturus esset, [19]) quum istinc a vestris Tigurinis revocetur. Ego moestus animi quid agam, quo me vertam, cogito. Video me nihil prorsus posse, quum aliqui totis viribus laborarint me apud omnes gravare invidia, ut [20]) *Hallerus* omnium olim mihi conciliarat [21]) favorem hac via excluso. Tu unus hodie relictus es qui potes ecclesiam Christi adiuvare, si ita habeat quod iste tam pius senatus, qui Bernensi ecclesiae tam officiose semper astitit, *Hallerum* repetat. Quod vix mihi persuadere possum. Non enim ignotum [22]) est quo in loco fuerint res illius ecclesiae, nec quam utilis sit illi *Hallerus* adeo ut omnes hortari senatum et ecclesiam Bernensem deberent ut tam appositum retinerent. Sed si ita habeat, tu misertus illius ecclesiae et omnium quae gallicae sunt studeas quominus *Hallerus* pedem moveat, sed perduret. Nam hodie non puto plagam maiorem alicui infligi posse ecclesiae, si quisquam adimatur, quam Bernensi, et cum illa plurimis. Quare te per Christum Iesum rogo et obtestor, si ita habeat quod revocetur, tu cum collegis omnia age apud istum praeclarum senatum ut in gloriam Christi, et talem et tantam omnium aedificationem, patiatur, etiamsi grave isti sit, privationem, et usibus Bernensis ecclesiae libere det, si quidem caritas Christi populum evangelicum adigere deberet, [23]) ut aliorum saluti succurreretur, se privare admodum utilibus et necessariis. Ego malui, quamvis incertus, te rogare potius quam exspectando diu [24]) ut aliter fieri non potest, certior demum factus graviter ingemiscere re perfecta quam ego expavesco. Et tu boni consules metum meum si vanus sit: sin vero iustus, me quaeso liberabis ab eo, et a gravissimo dolore, qui coniunctus acerbissimis cruciatibus ex ruinis ecclesiae, non dubito quin me et mecum aliquot conficeret.

Quam est horrendum vel audire ita pectora esse fracta ut liberi quod nunquam tulerunt iugum plus quam serviliter admittant. At id parum est si cum iugo Antichristi comparatur, [25]) quod olim reiectum nunc pessime a Christo deficientes iterum excipiunt. Quam gravis imminet divina ira! Quis eo amentiae et caecitatis venturos unquam credidisset eos? Qui non ut olim sua venalia ad tempus exponebant [26]) corpora, sed cum illis iam insuper addunt uxores, liberos, facultates et patriam denique totam. Ita aurum illis perstringit oculos, ut infensissimos hostes, modo dent, longe parentibus cariores ducant, et a coniunctissimis fratribus, sine quibus nec subsistere olim potuerunt nec nunc possunt, seiungantur. Nullus unquam piscis hamum maiori damno momordit quam isti aurum exceperunt: [27]) reddent enim [28]) illud magno cum

11) Est *et* certe *om. F.*
12) Christiani *F.*
13) Lutheri partibus faventes et Calvini asseclas persequentes (*Füsslin in marg.*) *Imo potius Zwingliani.*
14) Ope Domini *om. F.*
15) *Haec paulo obscurius dicta F. sine necessitate sic emendavit vel potius corrupit:* ut boni ominis est hoc omne praestat Bern. quod prior aedif. per Deum conservando et instaurando effecit.
16) *Scil. Bertholdus Haller.*
17) Nebulonis *F.*
18) Recte *F.*
19) *Qui scil. non nisi in annum unum a Turicensibus concessus fuerat ecclesiae Bernensi, sed legatione missa huic servatus* (*Vita Halleri in Mausoleo Bernensi* II. 510).
20) Utut *F.*
21) Conciliare . . . . studuit *F.*
22) Ignarus *F.*
23) *Hoc stili Neocomensis specimen non intelligens, quamvis sanus sit textus, Füsslinus suo marte sic emendare conatus est:* . . . . privationem hanc impedivi (*lege:* impediri) et usibus . . . . det eum vivem (*lege:* virum), siquidem caritas C. evangelicum etc.
24) *Pro:* diu *F. legit:* alios.
25) Componatur *F.*
26) Exponunt *F.*
27) Exceperint *F.*
28) Tamen *F.*

foenore, nec unquam liberabuntur, nisi in tempore resipiscant. Sunt aperta et certa Dei iudicia: nam ut[29]) vocem salutis noluerunt audire et multo minus admittere, sed Christum reiecerunt oblatum, ita accurrunt ad perniciem sui, et quidquid ad eam facit avidissime sectantur, et quanto odiosius patrem amicissimum et fidissimum aversati sunt, tanto hostem infensissimum, quo nescias[30]) quid astutius vel perfidius exsistat, summo affectu observant. Serviunt tam horrendae tragoediae, qui Iudae[31]) partes inter nos agunt. Sit nobis Dominus propitius, et quod superest ecclesiarum benigne servet, alias iam adeo foede lapsas erigat, Satanam, Antichristum et omnium[32]) impiorum studia destruat, et omnes ad Christum trahat quem solum regnare faciat.

Vale quam optime, mi *Bullingere* doctissime et diligentissime: Pro ecclesia Bernensi labora. Christus ministerio tuo semper faveat ac felix istud reddat et quam maxime frugiferum. Iube omnes pios salvere et sanctis me[33]) adiuvare precibus: sed inter istos officiosissime saluta sanctum et pium senem et praeceptorem *Pellicanum* cum *Theodoro*, *Gualterum* quoque, quos tecum salutat meus collega *Christophorus*. Neocomi 10. Decembr. 1548.

Farellus tuus ex animo.[34])

1107.

CALVINUS FARELLO.

Genevae res minime procedunt ut in votis erat et multa tacite devoranda. Libelli contra Interim impressio permissa. Argentoratensium et Monsbelgardensium conditio.

(Ex thesauro Bezano Ed. Genev. p. 92, Laus. p. 180, Hanov. p. 202, Chouet p. 124, Amst. p. 56.)

De rebus nostris vix habeo quod scribam: quia mihi adeo sunt obscurae, ut de exitu valde sim perplexus. Fracti sunt eorum animi, qui se aliquos esse iactabant.[1]) Multum se consequuturos esse putant, si ille[2]) non possit omnia, qui nisi eorum ignavia nihil posset. Quotidie novae occasiones eius domandi offeruntur: adeo omnes negligunt, ut dicas sponte sibi iugum accersere. Nam quia sibi mutuo non fidunt, quisque de retinenda sua statione est sollicitus. Interea nulla vox est libera. Nobis liceret tranquillis esse, si nihil moneremus. Sed dum videre cogimur, quae si Romae audiremus fieri, sua indignitate reprehensionem aliquam exprimerent, tacere qui possemus? Ego tamen, ut hortaris, dum retinendae ecclesiae studeo, ipse retineor, ne prosiliam ultra quam expediat. Vix octo dies nobis effluent absque conflictu. Spero Dominum ita mihi adfuturum, ut tibi moderatio et aequitas, vel potius tolerantia mea probetur. Omnia enim oblivione devorabo, modo ne cursum regni Christi interpellent, a quibus nunquam erit postulandum, ut adiuvent: quando eo prolapsi sunt, ut resipiscentiae nulla spes appareat.

Libelli editio,[3]) quum pudorem multis incussissem, tandem permissa. Quin etiam exemplar ad me fuit allatum, ut fide mea iudicioque excuderetur. Sed quum reputo quales insultus fratribus nostris sustinendi sint, videor mihi propemodum sub umbra certare lusorium certamen.

Argentinensibus hoc modo reliquum erat, ut ab episcopo inducias impetrarent.[4]) Bonus *Tossanus* post discessum Principis adhuc cum symmystis haeret, ne locum deserant.[5]) Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus tibi adsit perpetuo, te sustineat, tuos labores benedicat. Saluta diligenter fratres nostros, *Christophorum*, *Michaelem*, *Fatonum Gasparum* et reliquos, totamque familiam. Collegae mei vos salutant, et uxor, quae se vestris precibus commendat. Genevae, 12. Decembr. 1548.

1108.

HALLER AN BULLINGER.

Von Comes und den von ihm zurückbehaltenen Briefen. Von dem Artikel des Nachtmahls mit Beziehung auf Blarers Erklärungen.

(Ex autographo Cod. Turic. olim. Tom. VIII. Epp. in Scrinio B. Archiv. eccl., nunc in Archiv. civicis Plut. VI. Vol. 115

29) Ut *om. F.*
30) Nescio *F.*
31) Ludi *F.*
32) Omnia *F.*
33) Sanctissime *F.*
34) *Subscriptionem et inscriptionem om. F.*

1107) 1) *Calvini asseclae maxime in ipso senatu.*

2) *Perrinus.*
3) *Contra Interim.*
4) *Ex arbitrorum sententia ecclesiae inter catholicos et protestantes divisae* (*Roehrich* II. 199.)
5) *Hic solus, ipso principe autore, non dimissus fuit et cultus evangelicus servatus.*

p. 2832, seqq. Inscriptio adest nulla. Simlerus descripsit in suo V. 68 sed saepissime mutata scripturae forma.)

Gottes Gnad vnd min willige dienst zuvor, Lieber herr Gefatter. Üwer schriben mit sampt *Blarers* brieff vnd Declaration hab ich empfangen 11. Decembris. Darinnen mich fürs erst nit minder dann üch iglet vnd bekümmeret das ich verstan wie *Calvino* üwer brieff durch mich überschickt nit überantwortet syend: hät mich auch ee des tods versehen dann das der dem ichs so mit sonderm trüwen befolhen nitt hett vszgricht, nammlich Beatus *Comes* der mich eben zur selben Zyt als ich üwer brieff hatt selbs ansprach, ob ich nützid gen Jenff oder Losannen schicken welte, wett er mir gern vsrichten, das ich zu sonderm dank an nam, meint ich könt es nit bas versorgen, dann er heiter seit er welt zum wenigsten gen Losannen selbst, dadannen er aber die brieff vff Jenff wol züschicken welte. Daran hab ich mich glassen vnd bin betrogen. Nun wil ich hie vff inn halten wo ich mag, vnd nitt nachlan bis ich den brieffen an ein end komm. Ich vernimm erst sidhar das sitt er sich des Predigammts abthon vnd bschempt sye nitt vil sonderer trüw noch redlikeit mee hinder imm. Ich bitt üch aber vmm gotts willen mich hierinn entschuldiget zu haben. — — — — — —

Den handel des Nachtmals [1]) wie er inn erlüteret möchte ich in gutem Verstand wie auch achten das es *Blarer* alles gut meine wol lassen bliben. Dann ie wir selb nitt haltend noch lehrend das die zeichen wyn vnd brodt von inn selbs wegen da, sondern das sie vns anleitend vnd zeigend Christum desz (das ist alles desz das er uns erworben) wir durch den einigen glauben vehig vnd theilhafftig werdend. Darumm ouch frilich die glöubig vnd dankbar betrachtung Christi Iesu vnd sins lydens im Nachtmal das obrist vnd fürnempst syn sol vnd ob allen dingen getriben werden, dannen wir sonst vnwürdig davon essind. Durch welchen glauben sich vns Christus alweg mitteilt, vnd in vns zünimt vor inn vnd nach dem nachtmal, vnd nüt wyters darinn in dem nachtmal auch den glöubigen, dann so vil die vsser bedütlich action dartzu kumpt, die vnsern augen seliche gheimnus des tods Christi inbildet vnd fürtreit. Denn ie kein ander mittel Christum vnd die gnad durch inn erworben zu erlangen vnd zů ergriffen dann der einig glaub vnd vertruwen in den hingebnen lyb vnd vergossen blůt, das auch *Blarer* selbs bekennt. Selche gemeinsamme schliessend wir nit vsz dem Nachtmal der glöubigen, gebends aber dem glauben allein, vnd nitt dem Nachtmal zů. Deszhalb mich das beduret vnd in vnserer Kilchen nitt luten wird, das wie er im andern §. rett win vnd brod im nachtmal Christi sind nit läre nichtige zeichen sonder wir damitt warlich, wo si mitt glauben gebrucht werdend, geben vnd genossen dasjhenig so dardurch zeichnet vnd angebildet wirt, nammlich der war lyb vnd blůt Christi. Dise wort mögend schlechtlich an innen selbs on vsgelegt mit verletzung viler hertzen nit gebrucht werden, desshalb er wol selcher embure vnd bruchte die so hernach von imm in der vszlegung gesetzt werden. Item auch das dasz er seit: Derhalben man nitt sagen sol das im Nachtmal nichts dann schlecht wyn vnd brot sye, geben und genommen werden, denn also wäre kein vnterscheid zwüschend dem Nachtmal Christi vnd einer andern zäch oder wyn ürten etc. Das treit auch sin suspition vff dem ruggen wo kein andere vszlegung darzů kem, vnd bedörfft mins sinns der krummen ränken nüt. Man weiszt wol das der glöubig sich nitt uff brodt vnd wyn lendet sonder vff Christum. Man weiszt aber auch das ja so vil die vsser action blanget ja nüt anders dann brodt vnd win da ist, vnd ist drum kein purenzech sonder ein heilige gheimnus des heilmachenden tods Christi. Darum man wol als bald gseit hätte der Mensch sol nitt vff brodt vnd win haffte sonder das lyden Christi mit wahrem glauben ergriffen, als das man seit im nachtmal sye nitt schlecht brodt vnd wyn etc.

Nun der andern volgenden stuken bin ich also zů friden das obwol sy alle zů betrachtung des Nachtmals ghörend das doch in keim allein der gantz bruch des Nachtmals usztruckt werde. Lasz auch gern zů das der glaub in den Tod Jesu das fürnempst sye das hiebi erforderet wirt, durch welchen wir in die gemeinsame Christi vnd siner güteren kömmend. Doch dass die gemeinsame dem Nachtmal nitt angebunden oder ettwas mer zůgeben werde, dann ouch den glauben vssert dem Nachtmal. Acht auch nitt das sellichs weder zů kurtz noch zů stumpf von dem Nachtmal geredt oder gehalten sye.

Das es auch das Nachtmal Christi darumb genempt werde das vns Christus etwas darinn gebe, hat nitt vil grundts. Er hat sich einmal vns allen gen amm crütz. Des gebens gedechtnus ist das

---

1108. 1) *Da Bullinger damit umging Blaurern nach Bern zu empfehlen so kam es vor allem darauf an zu wissen wie er in diesem Puncte denke und lehre. Er muss also von ihm eine Erklärung gefordert haben die hier besprochen wird. Oder aber H. spricht von den gedruckten Predigten Blaurers. Der Ruf erfolgte wirklich am* 10. *Nov. Bl. aber lehnte am* 1. *Ian. entschieden ab, und zwar nebst andern Gründen, bes. auch darum weil er die Berner Disputation weder unterschreiben noch beschwören wollte. Er hatte zwar mit Bucer und dessen Unionsbestrebungen gebrochen, aber den strengen Zwinglianismus mochte er auch nicht, und vertheidigte den specifischen Werth des Nachtmahls als die Gemeinschaft mit Christo und seinen Gütern vermittelnd.* (*Pressel, Bl. S.* 488 *ff.*

Nachtmal, vnd vmm der gedechtnus willen der einmal gebnen schenke heiszt es das Nachtmal Christi. Denn so es das Nachtmal Christi hiesse darumm wie er seit, so folgte das er ettwas anders gebe, mer dann den glöubigen vssert dem Nachtmal. Zů dem do es der Herr insetzt seit er vns worumm vnd was wir thůn söllind, seit nitt vil das er sich vns da mer geben vnd mitteilen welle anders dann durch den glauben alle zyt. Darumb es mich ouch zu scharpf vnd spitz, diewyl er meint das ander sye stumpf, dunkt das das Nachtmal Christi Nachtmal darum genempt werde das Christus da vns ETWAS thů vnd gebe, er vns spys vnd tränk nitt allein mit wyn vnd brodt sonder mitt sinem selbs eignen lyb vnd blůt zum ewigen läben, wie er dann seit: nemend essend das ist min lyb etc. *Quod EST dicit pro significat accipi posse, merito quidem facit.* Das er Irenaeum anzücht, thund alle Bucerani, aber gewüsz anderer meinung dann es Irenaeus grett. Zů dem so ist das wörtli: überreicht so gar argwönig, denn wenn man nit dardurch verston wil das überreichen das der diener thůt, sonder die Mitteilung der gnaden gottes den glöubigen, so allweg nitt nummen im Nachtmal gschicht, möcht man imm wol ein bequemer wörtli finden, dann das überrreichen nummen zvil vff den diener luten wil.

Das das wörtli DAS dem glauben vff das himmlisch zeige lasz ich nach. Das byszt mich aber auch das darbi stat: welche himmlische ding den glöubigen nitt minder gegenwirtig sind, auch geben vnd von innen empfangen werden, dann das irrdisch win vnd brodt dem liplichen gesicht handen vnd mund. Ja dise hohe himmlische ding werdend in disem Nachtmal FVRNEMLICH gewicht vnd empfangen. *In summa, videntur aliam et pleniorem in coena statuere exhibitionem quam extra coenam fidelibus.*

DE MODO turet mich das er auch wie andere immerdar seit wie man menschliche fantasyen vssschlahen müss als ob wir selb nitt wüssind das der wahr glaub nitt vz fleisch vnd blůt komm. Ir wüszt aber das man mitt dem vssschlieszen der vernunfft vil ein anders uszgschlossen hat vnd ja für ein fleischliche vernunfft vns zů grechnet was wir je zů erhaltung der waren menschheit Christi gerett, das mag sich vnder dem auch noch verbergen.

Vom wort hand *Sultzer* vnd *Batt*[2]) vil wunder gmacht, alwegen das wort verstanden: *hoc est corpus meum.* Ich verstan aber durch das wort die predig des evangelii.

Vom miraculo bin ich auch zufriden, vnd deste sonderlich das er zum letsten bekennt vsz. Ioannis VI. das essen anders nüt sye dann glauben.

In Summa ich gsich wol das er den handel wol verstat, allein neisz waz gremplens macht das er mitsampt andern wol enbure. Sin bscheidenheit aber gfallt mir. Von *Calvino* lasz ich imm sin vrtheil, ich hab in ouch glesen vnd sag für mich das ich in vil orten *perplexus* bin worden by imm.

Bucers halb bschwert mich fast. Ich lasz inn sin der er ist. Schilt inn nit *temere* weisz aber zguthem theil was er ghandelt. Hie gilt er gar nütt vnd billich. So er inn vil schirmen wett wurd nüt söllen. Ich hör imm so offt der masz zwahen das mich selbs dunkt es gang ettwann gnug grob ab.

Vnd darumb min Herr Gvatter, vff das alles was soll ich rathen? Ich bin in der sach selbs bstanden. Der leer halb versehe ich mich er wurd sich bgen wie er selbs schript: *Loquendi formulas scimus apud alios alias esse. Hic vero singulis ecclesiis suam permittamus libertatem, sic omnia moderantes ut neminem, quoad eius fieri potest, offendamus.* — — — — — — — Bernae, 13. Decembris.[3])

Tuus ex animo
Ioannes Hallerus.

1109.

CALVINUS VIRETO.

Denuo negotio de pecunia ponenda ventilato nonnulla tam extera quam domestica obiter attingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 106, fol. 234, quocum conferri potuerunt Cod. 111, fol. 204, Epp. Bern. T. VII. p. 960 et Simleri Vol. 68.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori fratri et amico singulari.

S. Quando de pecunia, quid faciendum censerem, semel ostendi, videor mihi defunctus. Si *Daniono* et *Alysio* hoc consilium non placet, quin suum potius sequantur, non repugno. Eatenus tamen eorum pertinacia me vinci patiar ut me aliud sentire intelligant. Ulterius nec volo contendere, neque expedit. A *Garnerio* nullas literas accepi.[1]) Liber tamen

2) *Beatus Gerung.*

3) *Eine spätere Hand fügte die Jahrzahl* 548 *hinzu.*

1109. 1) *Io. Garnerius coetus gallici Argentoratensis minister qui Interim recipere recusavit ineunte a.* 1549 *loco cedere coactus est et cultus ille per aliquot annos cessavit.* (*Roehrich.* II. 70. III. 102.)

qui editur[2]) sententiae meae locuples erit testis, ut alia responsione opus non sit. De *Sabaudo* nuper scripseram, ipsum negando absolutum esse. Haec enim ratio est ut uno verbo poenam effugiant qui nobis maledicunt. Si de testimoniis colligendis nihildum egisti, praestabit forsan et hanc indignitatem cum innumeris aliis devorare.[3]) Senatus enim frigidus et piger ad vindicandam improborum audaciam: fautores vero malorum hac tarditate ad impedienda omnia abutuntur. Decernitur quidem interdum aliquid, sed anima legis dormit. Noster[4]) restitutus, quum nihil habeat virium, muliebriter insanit. Vale, frater integerrime. Dominus Iesus te servet una cum fratribus uxore et filiola, quos omnes salutabis meo nomine. Uxor etiam mea vobis plurimam salutem dicit. 18. Decembr. 1548.

Ioannes Calvinus tuus.

Quia *Antonius*[5]) noster spe sua tardius discessit, interim multa acciderunt quae literis complecti necesse non est, quando brevi istic me futurum confido. Summa est: fucosis reconciliationibus operta quasi emplastris vulnera esse, non purgata. 25.[6])

1110.

FARELLUS CALVINO.

Iterum Genevensium rerum faciem depingit, adversariis funestum exitum praesagit, specialia diversorum negotia ἐν παρόδῳ repetit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115 fol. 83. — Descriptum reperitur in Cod. 116 fol. 2, in Epp. Bernens. T. VII p. 955 et apud Simlerum Vol. 68.)

Insigni servo Domini Iesu Ioanni Calvino pastori fidelissimo doctissimo et admodum pio Genevensis ecclesiae fratri et symmystae quam carissimo Genevae.

S. Scribebam ad *Hallerum* literas querimoniarum plenas.[1]) Respondit ille admodum amice operamque pollicetur omnem. Queritur quod turbata fuerint omnia discordi illa concordia, dum *Lutheri* sententia potius arguenda, et is huius gratia admonendus magis quam adulatione probandus, tantum non obtrusa fuit. Verba sane *Lutheri* et loquendi ratio minus probanda veniunt, et ex te poterat id *Hallerus* intelligere, qui prae caeteris rationibus et argumentis solidioribus id evicisti: nec scripsit aliquis minori invidia nec maiori fructu. Id puritas eloquii divini apud pios omnes obtinet. Sed quum haec ad me scripserit, nec vulganda voluerit, apud te contineto. Et quum quaedam addat quae plurimum faciant in ecclesiarum aedificationem, et ea ex me petat, et tu, qui prae caeteris sentis improborum mala, si quidem scelesti quos vicinos habes istam mire labefactant ecclesiam.[2]) Quamvis enim qui istic sunt aliquot deplorati sponte insaniant, tamen acriter instigantur per pestes quae pastorum loca occupant. Cuperem eos notos qui magis nocent, quique fontes sunt malorum, et tuum etiam consilium habere, qua mihi pergendum sit ratione siquidem ecclesiae commodis et aedificationi deesse nolim, etiamsi vitam devovere oporteat: et rursus per ea quae expertus sum didici, dum conor prodesse mihi, sed multo magis ecclesiis obfuisse. Bis, imo pluries in eundem lapidem impingere non est animus. Tu consilio et auxilio mihi aderis. Et quum facilius *Viretum* horum certiorem facere possis quam ego, fac ut inter vos dispiciatis et recte consulatis, idque soli.

Placet mihi *Halleri* ingenium. Recte pergere ac pure in opere Domini videtur. Deus dona illi adaugeat, et fructum copiosiorem adferre faciat. Soccatus[3]) iste senatus et plebs parum abest quin viam arripiant, quam cucurrerunt ii qui nos amandarunt.[4]) Sed nisi resipiscant, longe gravius sentient iudicium quam priores[5]): etsi illud nondum finem habet in autoribus et eorum liberis, sed adhuc pergit manus Dei ultrix tam miseros, quum non resipiscant, caedere. Mirum sane est senatum tam ignavum esse, quum laqueum habeat quo vinciat feras et ita domet ut nocere non possint, quumque malos, ut meriti sunt, male perdere possit et debeat,

2) *Interim adultero germanicum.*

3) *Cf. N.* 1096. *Videtur Viretus testimoniis collectis Sabaudo litem de calumniis intendere voluisse.*

4) *Perrinus. Contra quem d.* 14 *Dec. coram Senatu questus quatriduo post persuasus fuit reconciliationem cum eo publice sancire, quae mera fuit comoedia. Perrinus simpliciter promisit se coenae sacrae proxime participaturum si quidem bene fuerit dispositus.* (*Reg. du Conseil.*)

5) *Fratris Calvini uxor adulterii rea cum Io. Chautemps iuvene commissi tum temporis causam coram iudicibus sustinebat. Divortium multis annis post ob simile delictum decretum fuit.* (*Galiffe, quelques pages, p.* 101.)

6) *i. e. Decemb.*

1110. 1) *Neque haec epistola exstat, neque Halleri responsum. Egisse putamus de statu ecclesiarum Vadensium.*

2) *Haec tibi extricanda permittimus.*

3) *Alludit ad nomen comici Caesaris quo isti Perrinum designare consueverant, iam dignitati suae senatoriae restitutum.*

4) *i. e. eiecerunt, a.* 1538.

5) *a.* 1540 *capitis damnati vel exsules.*

malit feris laqueum tradere et omnia improbis cedere, ut malis praeda sint, sitque istorum anima et populus pro vita tam perditorum, et pro iis qui eos sequuntur. Dominus Iesus miserorum tangat corda et oculos aperiat. Sane scientes et valentes sese perdunt. Tu nosti ut palam et seorsim omnes ac singulos olim eorum quae illis contigerunt admonuimus, sed frustra. Non dubito quin isti eadem audiant et plura. Digni sunt qui graves dent poenas. Dum tam deploratos ob ignaviam istos video, et quam deploratissimos improbos, qui se et secum omnes penitus disperdere adnituntur, plane omnem abiicerem spem: sed dum reputo quam clemens sit Dominus, et quantum istic habeat populum qui indies tam multiplicatur, cogor contra spem spe niti. Faxit Christus ut tam eximia dona tam indigna tamque ingrata urbs agnoscat et vere resipiscat. Nam quae est hodie, in qua Deus tam illustri luce per totum orbem ita fulgeat, unde omnes possint purius Christum intueri? Sutores, imo minus quam sutores, supra crepidam, quam ne norunt quidem. Quid enim exacte ab eis speres iudicari, nisi forte de poculis? Remisisse aliquid de supercilio nec sapere percepisse* res ipsa coegit.

Exspectamus, ut expetitam ab omnibus, ita et amplius utilem, tractationem pernicialis Interim, quod cum Satana autore et deploratis omnibus interimat Christus! Qui tibi istam reddat ecclesiam adeo compositam et tranquillam, ut plus tibi sit otii in tam sanctis operibus absolvendis, vires addat corpori tot ferendis laboribus idoneas, domique et foris omnia pacata, et Elymam meum vel potius Simonem tandem ita domet, ut intelligat eum regnare in coelis quem metuere omnes merito debent.

Tossanum servet Dominus, et potissimum *Bucerum* cum tota illa ecclesia.[6]) Vinctis sit propitius. *Saxonem* reducat is qui Manassen exaudivit: fessis adsit et oppressis, quorum sane quam durissima est sors hodie. Et, ut scribis, sub umbra agimus magis quam iustum praelium sustinemus, et tamen haec actio quae vires nostras superat, nisi adesset Dominus, mox mox in ea deficeremus. Dominus Iesus omnibus adsit.

Blaurerus detrectat vocationem[7]) cuius graviter est arguendus. Aetatem tanto officio non congruam,[8]) quum tanta in eo sit difficultas. Petit *Hallerus* certior fieri de probis et improbis. Videte, per Dominum te rogo, ut dum hunc dat Dominus sancte eo utamur in gloriam sui nominis et ecclesiarum aedificationem: alioqui sanguis requiretur e nostris manibus. Adesto, ut vere omnia explicem. Mitto exemplar literarum *Halleri*, qui tantum ad anni spatium concessus est Bernensibus.

Vale quam optime cum coniuge et collegis. Saluta omnes quam officiosissime, et *Fallesium* cum caeteris piis. Collega te salutat. *Gaucherius* quoque et puerpera. Optarem omnes pios pastores solennes preces cum ecclesia habere contra eos qui toti sunt in perdendis ecclesiis, quique domestici haberi volunt: nam eiusmodi maxime perdunt ecclesias. Rursum vale. Neocomi, 18. Decembris 1548.

De iis quae scripsi nuper de uncto boni[9]) consules, agesque omnia ut te Dominus direxerit, qui tuum semper illustrat ac fructum quem uberrimum producere facit ministerium, et omnium servorum Christi. Nihil habeo de Helvetiis[10]) certi. Mirum si imparitas illa animorum poterit eos coniunctos vere ferre. Caesar, ut scis[11]) laqueis aureis plures sibi reddit servos quam gladiis ferreis. Perdito Gallo quidquid in nidis fuerit praeda fiet.

Is in sui perniciem ruit et alii salutem aspernantur. Iudex est Dominus qui suos fovet ac servabit.

1111.

VIRETUS FARELLO.

Postremis eius literis motus aliquid novi Genevae accidisse suspicatus est, absque causa ut nunc videtur.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae quam carissimo

Neocomi.

S. Fecerunt postremae tuae literae ut suspicarer te aliquid sinistri rumoris aut tristis nuncii de rebus Genevatum accepisse, quasi aliquid denuo illic esset turbatum. Sed quia nihil ea de re scribis nisi in genere, et quia *Calvinus* nihil scripsit, neque quisquam eorum qui inde huc ad nos se conferunt verbum fecit, existimavi te, quum illa scriberes, ad ea respicere quae non ita pridem, ut a *Calvino* acceperam, tibi literis significaram. Mirabar tamen quod tantopere videreris urgere ut eo

6) *Quorum illi Monsbelgardiae manere permissum a duce, hic a civibus iubente Caesare dimissus fuit.*
7) *N.* 1108 *not.* 1.
8) *Turretinus add.* excusat.
9) vincto brevi *Cod.* 116, S.
10) Helacyo *Apogr. omnia.*
11) in suis *Apogr. Ex quibus exemplis quam difficilis lectio viris doctis apparuerit coniicere potes.*

concederem ad res componendas, et serio eam curam susciperem, quum *Calvinus* ne verbo quidem horum apud me fecerit mentionem. Audivi eum huc adventurum post has Christi nativitatis ferias: quamvis nullam mihi hac de re literis spem fecerit, aut per proprium nuncium. [1]) Sed ut tale aliquid sperem facit praeter ea quae audivi quod rarius et parcius iam ab aliquot mensibus ad me scribit. Quod si brevi nos non inviserit, propediem eo me recipiam. Si non venerit, non dubito quin de rebus Genevensium et suo statu me faciat copiosissime certiorem. — — — — — Lausannae, 27. Decemb. 1548.

Tuus Petrus Viretus.

1112.

INVENTAIRE.

des meubles mis à la disposition de Calvin par l'administration de la ville de Genève.

(Archives de Genève. Pièces historiques N. 1426, en deux exemplaires. — Cette pièce a déjà été publiée par feu M. l'archiviste Heyer. Nous marquons d'astérisques les mots douteux.)

Inventayre des meubles de bois estantz en la mayson ou de present habite M. Iehan *Calvin* ministre de leglise de Geneve, faict et edict Inventayre ce vingt et sept de decembre lan prins a la nativite de nostre Seigneur mil cincq cens quarante huictz par nobles Iehan *Chaultemps* conseillier et Pernet de *Fosses* tressorier general de Geneve deputes par nous redoubtes Scigneurs et superieurs scindiques et conseil de la dicte cite. Lesquieulx meubles sont de la ville et luy sont estés dempuys laisses pour son usage: toutesfoys en debvra tenyr compte quand requis sera. [1])

Et premierement ung chalict de noier non poient minuse.

Item une table de noier carree ferree.
Ung banc tornier de plane* au pres dicelle table.
Und buffet de noier ferre.
Le bois dung lavemain de noier.
Un aultre chalict de plane minuse.
Ung couffre de noier ferre.
Une chaire a dos de noyer minusee.
Une table de noier carree.
Ung buffet de plane sans ferrure. [2])
Ung couffre a bahu.
Ung long bang tornier* de plane.
Une aultre table de noier carree.
Ung chalict de noier.
Ung vieux couffre de noier.

Quattres longues tables avecq leurs bretheaulx de sappin, et une autre longue table de noier.

Une dozenne descabelles tant bonnes que meschantes. [3])

Ung popitre a livres.

I. Calvin. — (*Signature illisible*). [4])

1111. 1) *Neque Genevam reliquisse videtur, quum d.* 4 *et* 7. *Ian. eius praesentia in Actis Senatus commemoretur. Caeterum cf. N.* 1121.

1112. 1) *En marge est écrit:* Rendus les presens meubles ce 25. de Septembre 1564.

1113.

HILLIS CALVINO.

Liber eius duci Somerseti redditus est et bene exceptus. De Anglis bene sperandum.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 128.)

D. Ioanni Calvino amico mihi carissimo dentur hae literae.

Gebennae.

Laus Deo.

S. P. Quod literas tuas [1]) mihi gratissimas Gebennae 25. die Augusti datas acceperim, iam dudum tibi significavi, mi domine colendissime, in meis quas ad conterraneum meum Thomam *Gibson* [2]) ante tres menses [3]) dedi. Dolebam etiam profecto quod propter absentiam meam non potui tibi in reddendo tuo libello [4]) (qui illi pergratus, ut audio, fuit) domino Protectori duci de *Summerset* inservire. Gaudeo tamen quod alium invenerunt qui

2) *En marge*: ne cest point trouve.
3) *En marge*: Rendu neufz.
4) *Ces signatures ne se trouvent que sur l'un des deux exemplaires. — On lit dans les Registres du Conseil Vol.* 43 *fol.* 186 *au Ieudi* 6. *Sept.* 1548: Et des meubles estans en la moyson out habite M. Calvin: Resoluz que le menage de boys soyt laisse en ladite moyson et des aultres meubles soyent laysses audit Calvin iouxte le prys taxe par les Srs. de Fossez et Chaultemps et largent dicyeulx luy sera rebattu quartemps pour quartemps et que les verrieres necessaires soyent faictes en ladite moyson aut despens de la Seigneurie. *Il faut convenir que ces Messieurs ont pris leur temps pour dresser un pareil inventaire.*

1113. 1) *deperditas.*
2) *Hic vir in indice soc. Parkerianae non occurrit.*
3) *Haec nos ad finem anni deducunt, nisi malis ultra.*
4) *Comment. in epp. ad Tim.*

statim, postquam liber huc allatus est, nobilissimo illo[5]) viro curavit dari in manus. Porro tibi maximas ago gratias pro tuis tam piis precibus, quas in tuis praedictis literis pro me et uxore ad Deum opt. max. fundis, atque propterea quod in eisdem polliceris nos semper in memoria tua futuros etc. Precamurque patrem nostrum coelestem, ut nos dignetur ita, ut tu orabas cum pro nobis, in hoc mundo vivere ac Deo in sanctitate servire, ut post hanc vitam una tecum vivamus cum Christo in gloria patris. Amen.

Uxorem tuam piissimam nomine mei et coniugis meae salutabis affectuose. Speramus etiam eam de morbo de quo scribebas iam dudum convaluisse.[6]) Sin minus, doleremus utique: voluntas autem fiat Domini nostri servatoris Iesu qui diligentibus eum facit omnia cooperari in bonum. Non dubitamus tandem puriorem Christi religionem hic undique floreturam[7]), modo instemus precibus assiduis. Adversarii enim sunt hic multi adhuc et pertinaces. Vincet tamen procul dubio Christi veritas in fine.

De novis quae hic habemus, si modo adhuc tibi ignota sunt, commode poterit tibi referre istius epistolae lator. Vale et vive diutissime feliciter in Christo Iesu spe nostra. Quum haec scripsi, D. Ioannes *Utenhovius* et D. Franciscus *Rifius* bene valebant, hic in hac civitate[8]) fuerunt, cupiebantque a me ut eorum nomine tibi multam precarer salutem etc. D. Nicholaum de *Ferr* et D. Ioannem de *Sancto Andrea*.

Tuus Richardus H.[9])

5) *sic.*
6) *Hoc quoque facit ad definiendas epistolae natales.*
7) *sic.*
8) *Londini puta, aut alia urbe Britanniae. Ex hoc itaque loco efficies Utenhovium tunc et ipsum in Britannia fuisse, quem tamen scimus iam m. Aprile Coloniae et mox Argentorati et Turici versatum esse.* (*v. Zurich letters* I. 56.) *Postea in Anglia redux m. Oct.* 1550, *presbyter cooptatus est ecclesiae extraneorum. — De la Rivière, minister postea coetus peregrinorum.*
9) *N.* 1080: *not.* 1.

1114.

BALDUINUS CALVINO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 56.)

Clarissimo viro D. Passelio patri plurimum observando.

S. Interea dum tu tuum habebis integrum *Rochium*, mi pater, mitto alteram eius ad te partem, amicum hunc meum cuius pietatem et observantiam erga te summam tam tibi gratam fore confido quam is tuam ecclesiaeque tuae consuetudinem religiose ac vehementer expetit. Equidem non alio eum tibi nomine commendabo. Sed dissimulare non possum, quum eius mihi esset suavissima consuetudo, non invitum tamen ea me privari, ut istic vestra fruatur et tu ex unius pietate cognoscas, non adeo profanos hic esse nos qui iuris civilis saxum volvimus, quin ex nostra schola prodire possint melioris doctrinae quam civilis alumni. Ex nostro auditorio ad tum sacrarium esse qui properent, tum demum vere gestiam, ubi moram ipse meam purgavero. Hunc si *Arenaeo* nostro iunxeris addiderisque comitem, utramque *Rochii* partem domi tuae habebis. Dominus te cum grege tuo toto tueatur. Excusabis tumultuarium hoc *κακόγραφον καὶ πεπινομένως καὶ πεπυκνωμένως* exaratum in mediis quibus hic misere iactamur occupationibus molestissimis. Vale.

Rochius tuus.

Uxorem tuam confidentius salutarem si literis illa meis respondisset.[1])

1114. 1) *Ad a.* 1548 *hanc referimus et quidem non ita multum progressum. De Calvini uxore ita loquitur ut sentias eius valetudinem nondum gravius affectam fuisse; tum de adeunda Geneva cogitat, quem tamen scimus eo anno vergente Lugduno relicto ad Bituriges transiisse professionem iuris aditurum.*

MDXLIX.

1115.

FARELLUS VIRETO.

Concitato animo et stilo in plurimos Genevenses maxime ministros invehitur: salutem a synodo propediem habenda exspectat, in utroque nimius. Porro de lite sua cum Triboleto Bernensi et Neocomensium in ipsum male affecto animo quaedam affert. Leveti filium commendat, et alia publica et privata negotia obiter attingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 84; coll. Cod. 116, fol. 3, Epp. Bernens. VII. p. 961 et Simleri Vol. 69. — In tergo Viretus scripsit: *D. Ioanni Calvino Genevae.*)

Christi servo fidelissimo Petro Vireto pastori ecclesiae Lausannensis fatri et symmystae quam carissimo.

Lausannae.

S. Quod tantopere tibi Genevam commendarim non frustra moneor, siquidem *Philippi* [1]) factio, tam illi ecclesiae perniciosa, non ita perdita erat, nec tam nocens, quam comici Caesaris [2]). Ille enim libertatem carnis quaerebat, nec aperte bellum Christo parabat. Verum hic in Christi doctrinam belligeratur et eam pro fabula habet. Debemus hoc pastoribus qui *Gruetum* et huius farinae homines in tam perniciosam sententiam pertraxerunt. Heri audiebam horrenda de *Carolo* [3]) qui praefuit ludo Genevensi. Si vera sunt quam sunt detestanda, in sacris praeter fabulas nihil esse. Quid de Mose? quid de Christo? Clementissime pater, quid tam horrendas perfers pestes! Aiebat is, bonam pastorum partem in ea esse sententia, et aliter non docere Christum quam Arabes Mahumetum. Faciebat cum *Carolo Veronus* [4]), scelestus ille, qui iam abiit mortem se dignam, et illius compotor *Pinetus* [5]): insignes erant *Campinellus, Macrinus* [6]), *Fontanus* [7]) papis[*ta*]. Hinc coniicio non procul abesse *Morandum*, cui tam sunt scelesti omnes grati. Et meministi quid nobis dixerit porcus ille [*qui*] in carcere detinebatur *Faber* [8]): nimirum se cum *Morando* facere, cui prophetae et Iob nihil erant. *Comes* [9]) satis vita testatur quod pridem erat. Sane tam iniqua coniunctio facit ut suspicer multos pessime sentire de Deo et servatore nostro, de fide et vita christiana. Et, ut audio, olim haec tibi indicata fuerunt et *Calvino*. Mirum sane, quum tam aperta sint tam horrendae impietatis signa in plurimis, quod diligentius singula non fuerint perquisita pro salute ecclesiarum. Quid enim non sint acturi tam detestanda monstra? Quam putamus rationem ecclesiarum habere eos qui caput non tenent? Sed obfuerunt viri ambitiosi, per quos eiusmodi pestes non solum fovebantur verum etiam quibusvis praeferebantur. Si synodus habeatur [10]), hoc primum erit tractandum, et obtestandi omnes ut quidquid norint in doctrina quomodocunque diversum aperiant, et omnia addenda quae faciunt ad producenda omnia in lucem. Quam ego cuperem te et *Calvinum*, et quidquid noris

1115. 1) *eius scilicet qui a.* 1540, *quum Guillerminorum factio rebus potiretur, capite damnatus fuit.*

2) *quem iniquius hic tractari vides, Grueto minime aequiparandum.*

3) *Damont, Erasmi Cornerii antecessore.*

4) *Cf.* 498 *not.* 8, 598 *not.* 5 *et* 941 *not.* 6. *Fuerat minister in Bossey, a.* 1544 *Calvino autore dimissus (pour incapacité), a Bernensibus impetravit ministerium in Compesière.*

5) *hunc cum Ant. Pignaeo (du Pinet) olim in thesauro nostro saepius occurrentem minime confundendum putamus.*

6) *De Champerello et Megreto (nam haec eorum vera fuere nomina) supra satis dictum. Cf. etiam Galiffe, nouv. pages p.* 52 *ss.*

7) *Fontani plures passim nominantur. Quum hic papista dicatur fortasse de eo cogitare possis qui N.* 612. *not.* 14 *notari videtur.*

8) *Vel Franciscus pater, vel Gaspar filius.*

9) *olim minister, nunc medicus Lausannensis.*

10) *a Bernensibus promissa et decreta et mense Martio revera celebrata.*

fratrum piorum, quam accuratissime investigare quae tam sunt perniciosa. Sane non possum satis admirari tantam tolerantiam divinae maiestatis, quod non solum horrenda illa monstra iam pridem non deturbarit viventia in profundum inferni, verum etiam omnes non involverit in poenis. Nam quid Achanis sacrilegium cum tanta impietate collatum? O miseros qui eiusmodi emiserunt ad ministerium, et qui rixati assidue unus cum altero in ruinam ecclesiae non visitarunt ecclesias, et si quando inviserint pluris se gloriam propriam fecerunt quam evangelium et gloriam Domini. Videndum erit ut visitationes sint frequentes, et Gallus aliquis sedulus adsit, et non ultra pateat ostium improbis, nec liceat eis in ecclesia agere.

Fui Bernae, sed exceptus ab utroque consule tam amare ut vix unquam magis. Qui nunc praeest tantum non me damnabat et *Triboletum* [11]) iustificabat, refricatione articulorum de quibus toties sermo factus fuit, et toties satisfactum: alter, quod inconsulte agerem quod hic non egissem cum *Francisco* homicida, qui primus hic movit camarinam. *Gironus* amice mecum egit. *Uberus* [12]) dextre proposuit, ut accepi in senatu. Decretae fuerunt literae quibus vocatur *Triboletus*. An venturus sit, nescio. Interea sumptus, temporis iactura et viae molestia mihi perferenda sunt. Quis sit exitus futurus non satis teneo. Mei veteratores gaudent dum vident me premi. *Hallerus* humaniter egit mecum, et tam ipse quam alii me retinuerunt abiturum ut se cum coenarem. Interfuit *Iudocus* et alii qui plebem docent et iuventutem. Non fuit ingrata coena, quamvis nihil in ea actum sit de re aliqua.

Consensio [13]) valde mihi placuit, et quod accepi coenam Domini . . . [14]) fuisse frequentissimam, et compositissimam, adeo ut caeteras superarit: et tibi etiam gratulor successum. Leniunt haec nostrorum retrocessum [15]). Non enim aliis nuper celebrata respondit coena. Sed tamen pacatior fuit quam praefectus [16]) cum. suo homicida, si verum narrant, sperabat. Nam multum laborare dicitur in motu excitando. *Triboletus* fabulae servit, et cum eo non pauci. Sed is qui hactenus nobis tam benigne adstitit nos non derelinquet. Hodie Bernam petam [17]), nescio an aura secundiore. Christus omnium corda tangat. Si tu non tam abesses, nobis non parum conferres, nam cicurandis aliquot literis impediris agere angustia temporis.

Est praeterea cuius te volo admonitum. *Levetus* [18]), ut scis, de evangelio bene meritus et huius uxor non mala reliquerunt liberos aliquot, quorum hic unus est bonae ut videtur spei, verum agit cum admodum improbo contemptore Dei et evangelii. Quod pessimum est, accedit quod oleum ac operam perdet: nam quid discet apud eum qui paene nihil agit? Nescio an *Ferronius* huius fuerit autor consilii. Sane non poterat quis peius consulere puero. Tu fac ut qui curam pueri habent alibi locent ubi possit artem discere et in pietate non periclitari. Hoc debes viro tam bene in te affecto, ut nosti. Fratres qui praesunt in verbo huius sunt admonendi.

Vale bene cum coniuge et *Maria* [19]), collega, *Ribitto*, *Corderio*, et, ut semel dicam, cum omnibus piis quos cupio singulos et omnes salvos. Collega qui mecum est iturus te salutat et uterque frater cum puerpera. Neocomi 2. Ian. 1549.

Farellus tuus.

Basilienses adduci non possunt ut idem responsum dent cum aliis tribus urbibus [20]). Signum non obscurum irae Dei quod tam exiguus qui superest numerus non conveniat: at pauci hoc sciunt nec vulgari oportet, verum orandus Dominus. De Argentoratensibus nihil accepi. *Hallerus* dicebat se daturum operam ut synodus acceleraretur [21]). Tu atque *Calvinus* nihil respondisti ad ea quae

---

11) *Jac. Tribolet patricius Bernensis, olim vexillifer (Venner) reip. postea Gransonii praefectus, Farelli inimicus iam ab a.* 1535 *ob iniuriosum quoddam scriptum Genevae publice affixum cuius autorem ille hunc suspicabatur fuisse. Haec vetus inimicitia iam instigantibus aliis Farelli adversariis denuo recruduerat, ita quidem ut hunc haereseos in articulo de coena insimularent. Farellus Bernam adiit ut Triboletum accusaret ut calumniatorem. Res ab amicis composita fuit. Cf. ep. Halleri proxime sequentem, tum Ruchat* V. 381, *Hundesh. p.* 225 *et Kirchh.* II. 96.

12) *Huberus, senator aliquis, nisi fallimur. Franciscus homicida nobis incognitus; Neocomensem fuisse patet.*

13) *An Calvini cum Perrino? (Reg. du conseil* 14. 18. *Dec.).*

14) *Vox dubia. Cod.* 116 *praebet:* interea, *quod respuendum est.*

15) *Neocomensium a coena abstinentium.*

16) *Georgius de Rive, vetus Farelli adversarius.*

17) *vide infra N.* 1133 — *quae proxime sequuntur stilum produnt pro more impeditum.*

18) *Aimé Levet, a.* 1536 *syndicus, Farelli et Liberteti amicus.*

19) *Vireti filiola.*

20) *Pagi catholici, qui vulgo dicebantur pecuniam a rege Ferdinando accepisse ut eum pro lubitu contra Constantiam agere sinerent, caeteris pagis proposuerant ut Caesari declarationem communem offerrent qua de rebus religionis ad concilium provocantes, interea fidem suam servaturos se profiterentur: quod si ille non receperit, tum pagi omnes contra eum foedere se coniuncturos. Iam m. Octobre Turici, Decembre Basileae de hac propositione deliberatum fuerat; sed Basileenses adduci non potuerunt ut trium caeterorum pagorum reformatorum declarationi subscriberent, diversum quippe responsum commendantes. Sic in Ianuarium novus conventus Zofingae indictus fuit.* (*Haller, Ephem. p.* 81. *Ruchat* V. 355).

21) *v. supra not.* 10.

rogabam. Miseram enim exemplar literarum, et quod ex me petis vix absens literis possum praestare, et praesens parum. *Calvinus* videt apertius. *Tornacensibus*[22]) consilium non fuerit inutile. Alios tu melius nosti: conferendum cum istis esset, et si expediat me adesse totum me impendam ecclesiae commodis. Dominus tam nobis adsit ac nos ita dirigat suo spiritu consilii prudentiae virtutis sapientiae et omnibus, quam ecclesiae ulcera poscunt sedulam prudentem et omni ex parte absolutam curam. *Plessiacum*[23])· iubeo salvere ac con.....[24]) istis: non enim vacat ad literas ipsius respondere.

1116.

HALLER AN BULLINGER.

Farel und Tribolet. Leider überall theologisches Gezänk und menschliche Leidenschaft.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. T. 32, fol. 90. — Simler. Tom. 69.)

Farellus ist diser tagen hie gsin[1]), vil selb mit mir grett: was mich hie truckt will ich anzeigen wenn es zyt ist. Er hat ein span mit fenner *Tribulet*, der hat inn ein Bůben gschulten. Desz vil zů Nüwenburg nitt meer an sin predig gand, er deszhalb vervrsachet das ab jmm zůthůn. Bsorg das es ein wilden handel gebe, dann es fürnemlich vm den Sacramentischen handel zůthůn, wie die warheit heiter sin sol, also welt ich auch gern bscheidenheit darby han, vnd das die vnvernünftigen vnerbuwlichen wort vermitten blibend. Er ist sonst gar vnrüwig, als mich dunken wil, vnd ligt imm der handel nienen recht. —

Datum 2. Ian. 1549.

Üwer gantz williger
I. H.

22) *Unus tantum alibi occurrit Io. de Tournay.*
23) *N.* 1099.
24) *Vox dubia. Cod.* 116: contentum. *Quod omnino falsum.*

1116. 1) *Vgl. den vorhergehenden Brief not.* 11.

1117.

CALVIN A MADAME DE CANY[1]).

Sur les instances de M. de Normandie il prend la liberté de lui écrire pour la confirmer dans ses dispositions pour la pure religion évangélique.

(Copie contemporaine. Bibl. de Genève. Vol. 107 a. f. 323 v. — Copies modernes Vol. 108, fol. 196 v. Archives de Berne Vol. VI. p. 141, Simler. Vol. 69. Imprimée Henry I. 89, Bonnet I. 281, en anglais II. 187.)

Madame, ie neusse pas entreprins de vous escrire, si un homme auquel ie me doys fier entre les aultres ne men eust donne la hardiesse, masseurant que mes lettres vous seroient agreables. Cest Monsieur de *Normandie*[2]), lequel se sentant oblige envers vous, pour laffection que vous luy avez monstree, auroit un singullier desir de vous faire service, quant il en auroit le moyen. Et pourtant a tel soing de vostre salut que doit avoir celuy qui se congnoist avoir este ayme de vous en tiltre et qualite de Chrestien. A ceste cause il ma incite a vous escrire, pencent que non seulement vous prendries plaisir a mes lettres, mais quelles vous seroyent aulcunement profitables, tant a vous consoller aux perplexitez[3]) ou vous povez estre, qua vous exorter a perseverer, comme il en est bien mestier au millieu de tant de tentations. Et plust a Dieu que ieusse plus emple moyen a my employer. Mais puis que son plaisir est que nous soyons separez par si longue distance de lieux, laquelle ne permet plus grande communication entre nous, ie vous prie, Madame, de prendre ce que ien faiz comme ung tesmoignage de la solicitude que iay de procurer vostre salut. Si pour la confession que vous faictes de vostre chrestiente, il se dresse

1117. 1) Péronne de Pisseleu, femme de Michel de Barbançon, seigneur de Cany, un des personnages les plus importants de la Picardie. Bèze, *Hist. eccl.*, t. II., p. 344. De Thou, l. XXV. Madame de Cany, soeur de la duchesse d'Etampes, maitresse de François I., jouissait à la cour d'un crédit dont elle usa toujours noblement. Elle habitait d'ordinaire le château de Varannes, situé sur l'Oise, près de Noyon (*Bonnet*). *Comp. Flor. de Raemond, naissance de l'hérésie p.* 847.

2) *Laurent de Normandie maître des requêtes et lieutenant du roi à Noyon, vint à Genève en* 1549, *où il fut reçu habitant le* 2. *Mai. En* 1551 *il obtint le droit de bourgeoisie et devint plus tard membre du conseil des Deux-cents.* (*Galiffe not. gén.* II. 527.) *Voyez aussi la dédicace du traité de Scandalis.* (*Oeuvres T.* VIII.). *Ses biens furent confisqués et Calvin intervint auprès du roi de Navarre pour les lui faire rendre.*

3) extrémités *Bt. Il s'agit des efforts de M. de Cany par détourner sa femme de ses idées religieuses. Plus tard il les partagea lui-même, et fut chaud partisan de la réforme pendant les guerres de religion* (*Haag*, I. 228),

entre vous des murmures et des menaces, quil vous souvienne a quoy nous sommes appellez, cest que nonnostant toutes contradictions de ce monde, nous facions lhommage au filz de Dieu quil luy appartient. Mesme ce vous doyvent estre aultant davertissemens pour vous preparer a plus grandes choses, car il ny a ne grand ne petit qui se doyve exemter de souffrir pour la querelle de nostre souverain Roy, en laquelle gist tout [4]) son honneur que nostre salut. Sur tout puis que luy mesmes a commence pour nous monstrer le chemin, qui sera celuy de nous qui osast refuser de lensuyvre? Quelle sera la grandeur ou hautesse qui nous poura donner plus grand privilege que luy? Qui plus est, si nous pouvons gouster quel honneur il nous fait, se voulant servir de nous a maintenir sa verite qui est si presieuse, nous prendrons cela a un singullier advantaige, plustost que den estre fachez. Vray est que le sens de lhomme ne le peult aprehander: mais puis que la sagesse infalible de Dieu prononce que ceux qui sont persecutez pour le tesmoinage de lEvangile sont bienheureux, quoy quil en soit, il nous fault acquiescer a ceste sentence. Et deffait, qui sommes nous pour dire que nous defendions la querelle de Dieu? Quelle est nostre suffisance a ce faire, veu que sommes du tout enclins a mensonges? Comment serions nous tesmoings de sa verite, sinon quil nous y recust par une grace singulliere? Daultre part, au lieu que nous meritons de souffrir a cause de noz peches toute vergongne et ignominie, toutes miseres et tourmantz voyre sans [5]) millc mors, si pocible estoit, avons nous a nous plaindre et non plus tost a nous reiouyr, quant, en oubliant noz faultes, il veult que nous soufferions pour son nom? Aureste, dautant que nous sommes si rudes et charnelz que nous ne parvenons point iusques la, prions ce bon Dieu qui luy plaise imprimer en noz coeurs ce que nous trouvons si estrange. Oultre plus confermons [6]) nous en lexemple des apostres qui ont repute a grand honneur lopprobre du monde, et si sont glorifiez. Brief, ne pensons iamais avoir bien profite si nous ne preferons a tous les triomphes du monde, de combatre soubz lenseigne de nostre Seigneur Iesus, assavoir portant sa croix.

Ainsi, Madame, advisez, ie vous prie, si iusques icy vous avez mis paine de servir et honorer un si bon maistre: de vous y efforcer plus que iamais, vous armer contre toutes resistences, prendre courage contre toutes diffigultez pour les surmonter. Car puis que les mondains ont souvant une constance invincible a la poursuyte de leurs vanitez, endurent patiemment tant de travaux, molestes et dangers, se seroit trop grant honte a nous de nous lasser au milieu du chemin de salut. Combien que ce nest pas encore le tout de se montrer vertueux en persecutions: car quand il ny auroit nulz ennemis qui nous feissent guerre ouverte, nous trouvons assez de repugnance en nous mesmes et tout a lentour, pour nous empescher de suyvre nostre vocation. Ce que tous ceux qui ont un vray zelle de se dedier a Dieu, experimentent mieux quon ne leur sauroit dire. Or, pource que ie vous tiens du nombre, je vous prie de vous exercer continuellement en ceste doctrine de renoncer de plus en plus au monde, afin dapprocher de nostre Seigneur Iesus qui nous a une foys acquis pour nous en retirer. Ientens le monde tel que nous le portons en nous, iusques a ce que nous soyons reformez a son image. Et puis que toute nostre nature, selon que par la corruption de peste [7]) elle a este depravee, est ennemie a Dieu, le Royalme de nostre Seigneur Iesus Christ ne peult estre deuement estably, iusques a ce que tout ce qui est du nostre soit abbatu. Et non seullement les vices patentz qui sont condamnez des hommes, mais aussy iusques a nostre raison et sagesse. Ie say que ie ne vous parle point de choses nouvelles, et que par la grace de Dieu vous avez commence de long temps a suyvre ce chemin de la saincte vocation celeste. Mais cest une estude oú il nous fault profiter iusques a la fin. Et comme iay emple matiere de louer Dieu des graces quil vous a donnees, et dont il se magnifie en vous en y faisant reluyre sa gloire, aussi attendu nostre fragilite que nous sentons tous, ie pense que nest pas peine superflue de vous exorter a poursuyvre, comme vous faictes. Et selon que le propre des Chrestiens est de ce submettre en toute humilite a resevoir les admonnitions qui leur sont faictes au nom de Dieu, mesme que les plus savans se rendent voluntairement dociles. Iespere que vous resevrez le tout dun coeur bening et humain. Or pour vray quant ientens que Dieu a besongne si puissamment en vous, et quil vous a donne des vertuz tant singullieres, ie suis daultant plus esmeu a desirer quil augmente son oeuvre en vous, iusques a ce quil ayt du tout acheve, et voyla qui ma poulce a vous declarer plus librement mon desir et affection.

Sur ce, Madame, apres mestre humblement recommende a vostre bonne grace, ie supplie nostre bon Dieu vous tenir en sa saincte protection, vous guider par son sainct esprit en toute prudence et force, vous faire la grace de servir a son honeur,

4) *sic.*
5) *sic.*
6) conservons *Bt.*

7) *sic* (peche?).

iusques a ce quil nous recueille tous a soy. Ce 8 de Ianvier[8]).

Vostre serviteur et humble frere,
Charles Deppeville.

1118.

BUCERUS CALVINO.

Tristissimum statum rerum Argentoratensium depingit, tristiora in posterum auguratus.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 370, Laus. p. 181, Hanov. p. 203, Chouet p. 509, Amst. p. 232.)

S. et annum aevumque omne quam felicissimum precor. Ingentes vero tibi gratias ago de literis tuis ita praeter tuum morem uberibus. Volebam hanc tibi ubertatem compensare, sed intempestiva hora moneor de his mercatoribus. Est enim dies hic, ut recordari potes, quo civitas solenniter iurat [1]), et distrahunt misere permulta alia. Utinam, sicut istud foedus civile, hic aliquando redintegrassemus atque sanxissemus foedus vitae aeternae: quomodo vos conati soli praestitistis. Verum qui spiritus istam tam apud vos religionem pernecessariam dissolvit, idem obstat ne ea hic persuaderi unquam potuerit. Sic igitur sumus modo scopae non dissolutae tantum verum etiam disiectae. Dominus colligat servetque sibi suos. Te stupefacit, animos coetus illius tam cordati adeo subito concidisse. O optime, non idem est corpus illud. Robora eius erepta sunt, quaedam pridem, quaedam nuper. Supersunt et qui velint libenter redimere vita sua reipublicae pristinam colendi Christi libertatem. At dum alii non videntur velle pro Christo periclitari, imo ditiores quique minantur palam se hinc commigraturos, (id quod antea fecerunt supra quinquaginta numero) nisi gratia retineatur Imperatoris, et hic non creditur posse exorari, ut remittat quod edixit, res labuntur eo quo labuntur. Ah mi frater, temporibus martyrum quum ecclesiae severa disciplinae religione erant coniunctae, quam multi tum desaevientibus persequutionibus a Domino defecerunt? Quid igitur miramur si in ista nostra dissolutione pauci perstent? Nemo sane, nisi firma Christi fide sit obfirmatus, poterit crucem eius rem existimare sibi expetendam. At ubi fides in Dominum vera, ibi homines non magis promptis animis praeceptis eius obsequuntur in pace, quam offerunt animas suas pro illis in persequutione. Summum est hoc praeceptum Domini, quod a nobis poscit, uti oravit patrem pro nobis, ut in ipso unum simus, ac nos ipsi omnes in vita nova, vita Dei perpetuis ministeriis instauremur. Ex hypocrisi nimis alte insita in papatu ad qualemcunque Christi professionem nostri traducti sunt: ea hypocrisis perpaucis est plane excussa. Maluerunt itaque videri quam esse Christi. Quum autem et videri ipsorum obest cupiditati, et hoc quoque abiiciunt. Placebat liberatio a superstitionibus et tyrannide papae, et vivendi pro arbitrio licentia: at quia venter Deus eorum in extremum adduceretur periculum, nisi in aliquam se rursum papae traderent servitutem, malunt hanc subire praesertim per nos non parum mitigatam, quam periclitari de summo suo bono. Mendaciis tantum opus est, et paucula stipe, quibus extrema omnium scelerum ac flagitiorum redimitur licentia. Oremus igitur et satagamus, mi frater, ut fratres quorum res adhuc consistere videntur, ex nostrorum casu et de suo sint solliciti. Nisi enim Christo Domino penitius insiti eius quoque disciplinam inter se restituant, et ipsis misere metuo. Nam nisi semen verbi Dei hac ceu occetur, et subnascens herba quum repurgetur, tum sustentetur, video quam facile vel aestu persequutionis exarescat, vel praefocetur una subcrescentibus carnalium cupiditatum spinis.

Sed quid ista ad te, qui ipse haec sicut exactius consideras, ita maiore pridem religione urges? Verum libet apud te vel hoc modo deplorare nostram miseriam et perversitatem, qui ista non pertinaciore pridem studio sumus persequuti. Nunc permulti hic iugo Domini commodissimo sese libenter submitterent totos, sed vereor serum esse. Quamquam etiam in hac ipsa perditione nostra non desunt, et in omnibus ordinibus, qui restitutioni solidae communionis et disciplinae Christi strenue adversantur, tametsi velint non in postremis evangelii sectatoribus numerari. Tam istud adhuc male notum est nostris mysterium corporis Christi. Oretis, ut facitis, diligenter pro hac ecclesia, in qua profecto sunt quamplurimi granarii Christi, quos bonus pastor omnino sibi conservabit: hisque Antiochaeis temporibus moderabitur et potentius et citius, quam multorum ferat opinio.

De scripto quod D. Ant. M. attulit, maximas ago tibi gratias ecclesiae nomine: suum feret fructum indubie uberrimum [2]). Seditionem in Galliis se-

8) *L'année* 1549 *est déterminée par la lettre du* 29. *Avril qui est datée.*

1118. 1) *Der Schwoertag. Die Iovis post novum inchoatum annum senatus eligebatur, die Martis subsequenti magistratus et cives ante portas templi summi olim cathedralis constitutioni a.* 1482 *promulgatae iureiurando se obstringebant.* (*Koenigshofen ed. Hegel* II. 946. *Strobel Gesch. des Elsasses* III. 365). *Hic dies Martis a.* 1549 *incidebat in* 8. *Ian.*

2) *De libro contra Interim loquitur.*

datam gaudeo et opto ut in animis quoque sit sedata. Terret tamen me omen, praesertim quum non sit sedata ea clementia, qua veteres sapientes imperatores uti solebant. Responsum Tigurinorum probo. N. sapientia et nos prodidit.[3]) Antichristi mancipia appellant populum Christi, num velint sui concilii decretis acquiescere. Dent qui vere Christi sunt, dignum Christo concilium, et veniant ad illud ultro Christum quicunque amplectuntur. Meministi quantopere apud nostros institerim, ut ecclesiae Christi aliquando causam susciperent, contra summos eius hostes et pestes, et ecclesiae ab illis iura simpliciter repeterent. At sicuti nostri Christi leges nunquam voluerunt in se ipsi simpliciter suscipere, ita nec ausi sunt eas adversariis christiana fortitudine obiicere. Merito itaque nostro illi reposcunt a nobis quae Christi sunt et eius ecclesiarum omnia. Oro autem Dominum, ut quae nunc fideliter et constanter respondent istic pro Christi regno, periculum dum non est in oculis et in manibus, postea quoque quum ea quae caro metuit in conspectum venerint aut etiam nonnihil afflixerint, retineant. Et nostri enim, quamdiu aliquod habere carnis brachium sibi videbantur, responsa dabant plerumque satis fortia, quorum fracto eo brachio pessime meminerunt. Dominus exserat vel alicubi suum brachium. Hunc plurimum oro, ut tibi uxorem tuam sanet, imo ecclesiae ipsi Christi magis quam tibi, quo tu possis agere pro illa quae agis expeditius et lubentius. Collega[4]) et uxor invicem precantur tibi optanda omnia in annum ingredientem et omnia saecula. Amen. 9. Ian. 1549.

Tuus totus Bucerus.

1119.

CALVIN A UNE DAME.

Exhortations pieuses en réponse aux lettres d'une personne qui ne fait pas encore profession publique.

(Copie contemporaine Bibl. de Genève Vol. 107[a], fol. 330. Copies modernes Vol. 108, fol. 193 v., Archives de Berne Vol. VI. 135. Simler. Vol. 69. Imprimé chez Bonnet I. 286 et en anglais II. 191.)

Madamoyselle ma soeur, ie suis bien ayse que voz lettres mont donne occasion de vous escrire, afin que sens aultre excuse lacces et liberte men soyt donne, et ne fusse que pour vous declairer laffection que iay envers vous, selon que ie my sens tenu voyant les graces que Dieu a mises en vous,[1]) desquelles ien appercoys quelques bons signes et assez evidentz en voz dites lettres, et ie ne doute point que le coeur ne parle la autant ou plus que la bouche. Or vous monstres bien que vous navez point une congnoissance volaige de Dieu, comme ont auiourduy beaucoub de gens, mais que vous estes touchee au vif, et esmue dun desir de vous desdier du tout a luy et a sa volunte. Vray est, comme vous dites, quen aderant pour la crainte du monde aux superstitions qui regnent la, vous estes encore loing de la perfection ou ce bon Dieu nous appelle. Mais encore est ce avoyr bien profite a nous de recognoistre noz vices et nous y desplaire. Il reste de passer plus oultre, cest quen condamnent vostre infirmite vous metties peine a vous en retirer, et sy vous nen povez venir a bout si tost, si fault il persister a y chercher remede, iusques a ce que vous soyez venue a plaine guerison. Pour ce faire il vous est expedient de vous redarguer par chascun iour, et en recongnoissant voz faultes, gemir et souspirer devant Dieu, affin que la deplaisence du mal croysse, tant que vous soyez pleinement confermee et resolue a le renoncer comme il fault, ainsy que deffaict ie me tiens assure que vous y travaillez. Et ce nest pas en vain que vous me priez de conioindre mes orraisons avec les vostres, affin dimpetrer de Dieu quil luy plaise avoir pitie de vous, et vous delivrer de ceste malheureuse captivite. Continuons donc a luy faire dun commun acort ceste requeste, et en la fin il vous monstera que vous naures point perdu vostre temps. Vray est quil nous laisse souvant lenguir, et devant que declairer par effect quil nous a exaucez, il se tient comme eslongne, tant pour aguiser nostre desir, que pour esprouver nostre patience, parquoy il ne vous fault pas estimer que iusques icy vous layez prie en vain, mais plustost prenez couraige a vous efforcer de plus en plus, sachant que si la perseverence est requise en toute nostre vie, elle est singulierement recommendee en oraison. Et pourtant il vous fault aussy mettre paine denflamber a bon escient le feu que Dieu a desia commence dallumer en vous, car toutes les bonnes affections quil nous inspire sont aultant destincelles lesquelles nous ne devons pas laisser esteindre ny assoupir par nostre nonchalence. Ainsy donc, puis que Dieu vous a desia ouvert les yeux, tellement que vous congnoissez quil nous faut estre siens et desdiez a sa iustice pour le glorifier tant en noz corps quen noz ames:

3) *Quum Beza nomen proprium expunxerit, difficile est dictu quid haec sibi velint. Fortasse recurrendum ad N.* 1115, *not.* 20.

4) *Conr. Huber.*

1119. 1) selon que . . . mises en vous. *Cette phrase manque dans les deux éditions de M. Bonnet.*

puis quil vous a aussy touche le coeur, que vous sentez combien nous sommes malheureux en nous allienant de luy, il nest pas question de vous endormir ny abuser a vostre escient: mais comme on attise le feu, quant il ne brule pas, comme il doyt, aussy vous convient il vous inciter de plus en plus iusques a ce que laffection de vous adonner du tout a luy et a sa iustice, surmonte tous les empeschemens de vostre chair et de ce monde. Ie voy ou pour le moyens [2]) ie considere assez les grans difficultez ou vous estes: mais puis que cela ne vous excuse point devant Dieu, quant il est question de suyvre sa parolle, et mesme en chose sy grande comme est de luy rendre la gloyre quil luy appartient, et faire confession de vostre chrestiente, si ie desire vostre salut, comme ie doys, et que Dieu mest tesmoing que ie le faitz, mon office est de vous reveiller tant quil mest pocible: non pas que ie vous enseigne rien de nouveau, mais pour ayder de ma part a faire valoyr ceste congnoessance que Dieu vous a donnee, assavoyr que cest bien raison que son honneur soyt prefere a nostre vie, et aussy que nous tachions doster tous ses supterfuges que nostre chair nous met au devant, pour nous divertyr du chemin quil nous monstre. Pour ce faire, il nous fault aprendre en general de nous oublyer nous mesme, car les allaichemens de ce monde ne sont pas moins dangereux que les combatz manifestez: les plus petis en sentent leur part. Vous, selon la qualite ou Dieu vous a mise, en pouvez experimenter davantaige. Mais pencez que ce vous est aultant dexersice que Dieu vous donne, afin que tant mieux on congnoisse quelle vertu et vigueur a le goust que nous avons de la vie celeste, quant vous aurez surmonte ces grans empeschemens, poursuyvant neantmoins vostre vocasion. Cependant, Madamoyselle, puis que vous sentez une telle infirmite en vous quau millieu des dengers vous ne povez donner gloire a Dieu, ne mesprisez point le remede qui est de vous retirer a lanseigne, ou vous soyez conionte avec le troupeau pour suyvre la voix du pasteur. Et quoy quil en soyt, desplaisez vous destre comme brebis esgaree par les desers. Quant vous aurez telle affection, il ny a doute que Dieu nayt pitie de vous, et quil y prouverra, mesme quant vous ny verrez nul moyen, car cest ainsy quil retire les siens, non seullement de la gueulle des loups, mais du gouffre denfer.

Iay receu les dix escuz que vous avez icy envoye pour subvenir aux pouvres fideles qui ont necessite. [3]) Ie les ay mis en bonne main pour les distribuer selon vostre intention. Dieu veille accepter ceste aumosne de voz mains comme un sacrifice de bon odeur, et face que vous ioyssiez quelque iour des biens spirituelz dont il a fait participans ceux auquelz vous secourez en leur pouvrete terrienne.

Sur ce, Madamoyselle, apres mestre recommande humblement a vostre bonne grace et avoyr prie nostre bon Dieu de vous maintenir en sa protection, vous gouverner tousiours par son sainct Esprit, et vous assister en tout et partout, ie feray fin a la presente. Ma femme aussy desire destre recommande humblement a vostre bonne grace. Ce 12. de ianvier 1549.

Vostre serviteur et humble frere,

Charles Deppeville.

2) *sic.*

3) Pauperum peculium atque loculi eius fidei commissi erant. In eos autem bonae pecuniae summae inferebantur. Nam praeter 4000 fr. quos Navarrae regina eo miserat, etiam dux Ferrariae satis amplam summam, tum plures nobiles viri et feminae suam quique conferebant. Non deerant et mercatorum collationes hoc fine factae. (*Bolsec, Vita C. cap. xj.*) *On se rappelle le legs de Busanton, de Juin* 1545. *Beaucoup plus tard encore il est question de collectes et de dons* (*Grenus, fragm. passim*).

1120.

MINISTRI MOMBELGARDENSES GENEVENSIBUS.

Nunciant Interim in ditione Mombelgardensi promulgatum esse, et quid inter se in hoc discrimine consilii ceperint exponunt.

(Legitur in Volum. A. Commentariorum Venerabilis Coetus ministrorum Genevensium p. 58.)

Exemplar literarum quas ministri ecclesiae Mombelgardensis pastoribus ecclesiarum Genevensis Lausannensis Neocomensis et caeterarum per ditionem Dominorum Bernensium. [1])

S. Colendissimi fratres! Intellexistis nimirum iam ante menses aliquot Caesaris Interim a duce nostro seniore *Ulricho* receptum [2]) et hic palam eiusdem iussu observari mandatum, posteaque missam papisticam, [3]) divorum festa, ciborum superstitionem et alia id genus nobis invitis et reluctantibus

1120. 1) *sic.*

2) *d.* 20. *Iulii* 1548, *et quatriduo post ad Christophorum ducis filium Mombelgardiam missum.*

3) *quae prima vice d.* 16. *Sept. in aedibus S. Mainboeuf celebrata fuit.*

restituta esse. Et quanquam interea non semel admoniti et iussi fueramus, ne quid adversus novum illud dogma concionaremur, et si quid nobis ob conciones nostras incommodi accideret Principem nobis adesse non posse, perreximus tamen communi consensu (gratia Christo) officium nostrum facere, et docere quae ad gloriam Domini et ecclesiarum nostrarum aedificationem iuxta verbum Dei pertinere iudicavimus. Postea vero tandem haec nobis e ducatu ab eodem Principe nostro seniore mandata, quorum apographum ad vos mittimus,[4]) allata sunt. Et quoniam ea nulla ratione recipere possumus, nihil aliud in dies exspectamus quam ut omnes verbi ministerio privemur. Et disputavimus inter nos, fratribus quibusdam ex nobis id proponentibus, an consultum esset, etiam invito magistratu, si possemus, pergere concionari, ut certe libenter omnes hic ad mortem usque durassemus. Tamen quoniam vidimus id fieri non posse, et eum conatum non solum nullum fructum, sed principi nostro iuniori *Christophoro*[5]) et consiliariis et populo nunc erga nos et ministerium nostrum non male affectis manifestam offensionem pariturum, visum est nobis tandem, frustra tentatis aliis remediis omnibus, eiusdem ducis senioris, utpote summi nostri magistratus, postremo et urgenti mandato quantumvis impio cedere potius quam inutili repugnantia maiores hic turbas excitare, et ministerium nostrum illis et aliis multis suspectum reddere. Quae vobis significare voluimus, ut et ecclesias nostras et nos ipsos erga Dominum Deum sanctis precibus vestris commendatos habeatis. Optime valete. Mombelgardi, 10. Ianuarii 1549.[6]).

Vestri in Domino servi et fratres
ministri classis Mombelgardensis.

4) *quod non exstat.*
5) *Qui patris mandatis aegre obtemperans, ea eius legatis Mich. a Bolsenheim et Hug. de Falletans exsequenda permisit. Caeterum cf. N.* 1063, *not.* 8 *et* 1107, *not.* 5.
6) *Genevam allata d.* 15. *Ianuarii.*

1121.

VIRETUS FARELLO.

Fallesii gravis morbus et convalescentia.

(Excerptum ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. III. N. 1.)

Fidelissimo Christi servo Guilelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratrique carissimo
Neocomi.

S. Citius mea opinione Genevam mihi accurrendum fuit *Fallesii* causa, cuius nomine missus est ad me per proprium nuncium equus. Nam me videre audire et alloqui cupiebat, quamvis medicus *Textor* non speraret futurum ut ad meum adventum superstes esset. Gaudemus tamen omnes, ac ipse quoque nobiscum *Textor*, quod sua sit opinione falsus. Etenim Dominus praeter omnem exspectationem hactenus illi vitam prorogavit. Quamdiu autem deinceps prorogaturus sit, in ipsius est solius manu et cognitione. *Calvinus* Niduno hanc ob causam revocatus est Genevam, unde huc ad nos iter arripuerat cum magno honestissimorum virorum comitatu. Intelligis itaque causam quae nos privavit *Calvini* et comitum praesentia.[1]) Quum itineri me reversurus accingerem, visus est mihi *Fallesius* habere melius quam prius: quo fit ut sperem adhuc aliquamdiu supervicturum, quamvis maxima sit totius corporis imbecillitas, et paene deplorata. Is rogavit vehementissime ut se tuis precibus commendarem, qua in re te non dubito tuo officio satisfacturum. Quam praesens illi Dominus adsit, quanto spiritus solatio et quanta coelesti voluptate totus perfundatur, recreetur et reficiatur incredibile est. Nec minor est in rebus domesticis constantia et christiana in rebus afflictis consolatio. *Calvinum* et me instituit et nominavit sui testamenti exsequutores, eamque meam operam sibi ne denegarem rogavit. Faxit Dominus ut tam ea non egeat quam libenter impensurus sum, si id postularit necessitas. Sed de his hactenus. — — — — — Lausannae 12. Ianuar. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1122.

HALLER AN BULLINGER.

Blaureri conciones de coena suspectae. Calvini libellus contra Interim. Item imago quaedam satyrica in eundem finem fortasse edenda. Synodus instans Lausannensium res minime in melius versura.

(Auszug aus dem Original im Zürcher Archiv, Gestell VI. Vol. 115, ehemals Kasten B. Epp. VIII. S. 2845. Ohne Adresse. Simler Bd. 69.)

1121. 1) *Cf. N.* 1111. — *De Fallesii morbo etiam quaedam leguntur in Reg. du Conseil ad* 4. *Ianuar.*

Gnad von Gott etc. Diser wuchen hab ich üch 2 mal gschriben. Zum ersten bi marx *Stapfer* gschikt *Blaureri conciones de sacramento coenae Domini*, [1]) die mir warlich gar suspect sind vnd nit gfallend. Wett gern er müssigete sich dess geschlüders, dann er sunderlich mins beduncken übel vnd nit schlechtlich impingiert, so er sol explicieren den *modum vel communicationis vel praesentiae Christi.* Das möchte man hie gar nitt lyden. So er sich aber des müssigete vnd verstentlich (drumm nitt grob, als ob wenig an der gheimnus glegen, wie ettlich thünd) rette darvon, wett ich inn gern hie han. — — — — — — — — —

Im 2ten schriben bi *Gysslingers* Müter hab ich üch *Calvini* büchlin über das Interim gschriben gschickt. Schick üch hiemit ein *Imaginem* dess Interims, mir von eim guth gsellen [2]) gschenkt. So es heimlich gschnitten vnd truckt wurd, vszglassen die vndern *Carmina* mit den namen, lege nit vil daran. Was üch bedunkt. Es müsz die bübery der Welt verstendiget werden, *sive opportune sive importune.* Doch das es alles buwe. —

Es ligt mir ouch jetz mechtig vff die sorg des Synodi. [3]) Bsorg es werde seltzam zugan. Nun wil ich am karrn han so lang ich mag. Es broket sich ein spil in über die Lausanner dass ich sorg innen werd ein spröde abfertigung. Si könnend zů beiden sythen nüt dann calumnieren, vm ein jeden habdank vor rath einandern zu verleiden. Nimpt sich einer ir nit an so komt er mit innen ins spyl, vnd wird nimmer grech. Nimt sich einer jr nüt an, *insimulant et traducunt nos neglecti officii.* Ich bin irs wäsens gar voll vnd müd. — — — — Bern, 14. Ienner 1549.

Tuus Ioannes Hallerus.

1123.

MINISTRI GENEVENSES MONSBELGARDENSIBUS.

Ecclesiae adversam conqueruntur fortunam eosque ne officio christiano excidant hortantur, sed constanter perferant quidquid evenerit.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 82, Laus. p. 183, Hanov. p. 205, Chouet p. 110, Amst. p. 50. Gallice legitur in edit. Berol. p. 123, anglice in ed. Edinb. II. 194.)

Fidelibus Christi servis ministris Mombelgardensis ecclesiae, fratribus et symmystis carissimis.

Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Iesu Christo. Carissimi et ex animo colendi fratres, tandem accidit quod diu timuimus, ut istic quoque constitutum a Domino ecclesiae ordinem Satan per suos ministros everteret. Hoc tamen solatii, quoad in re tristissima fieri potest, literae vestrae attulerunt, quod inde intelleximus vos omnes in officio ad extremum perstitisse. Nam quod graviter testati estis vobis improbari istas corruptelas, quae ad inquinandam sanae doctrinae puritatem ingerebantur, digna ministris Christi fuit constantia: quod nunc etiam perfidae dissimulationi exsilium praeoptatis, [1]) in eo specimen editis luculentum sincerae vestrae fidei. Nam ubi vos abdicat docendi munere qui hactenus et ecclesiae Christi hospitium praebuerat in ditione sua, et vobis permiserat Christi praedicandi libertatem, ulterius, nostro iudicio, progredi non expedit: praesertim ubi nulla profectus spes apparet, neque oves quibus vos Christus pastores praefecerat operam vestram amplius desiderant. Nam ut proditor est qui volens cedit ac stationem ultro deserit suam, sic resistere, ubi cogimur, nostrum non est, nisi forte nos ad subeundum discrimen nominatim vocaret ecclesia: nam tunc centies mori praestaret, quam frustrari eorum vota qui Christum sequi parati essent. Vestra autem ratio longe diversa est: quamdiu enim fuistis pastores, non defuit gregi vestra sedulitas aut sollicitudo. Nunc quum perseverandi studium nihil profuturum sit, ac ne oves quidem ipsae quibus obstricta est vestra fides, sibi utile esse censeant vos ultra tendere, perfuncti sane estis. Restat igitur ut gubernacula vobis tradita commendetis Christo, ut solus ipse spiritu suo regat, quando iam labori vestro non datur locus. Caeterum satis reputamus quanto moerore sitis oppressi, quibus nihil praeter exsilium et egestatem propositum est: sed praecipuus moeror est ex ipsa ecclesiae clade, cuius maiorem vos habere rationem comprobastis quam vestri. Et nos quidem malis vestris tam publicis quam privatis afficimur ut par est: atque utinam liceret manum vobis porrigere. Nunc quod residuum est, vos hortamur ut in hoc christianae sinceritatis testimonio pergatis ad finem usque. Beatior erit quamlibet

---

1122. 1) *Tales in Adami vitis p.* 197 *non laudantur. Cf. tamen* 1108, *not.* 1.

2) *An ipsius Halleri industria exaratam? Quae et Simleri fuit coniectura.*

3) *d.* 13. *Martii celebrandae, non* 19, *ut habet Ruchat* V. 382. *Galli (Lausannenses) d.* 20. *sederunt.*

1123. 1) *Exsilio nequaquam multati sunt sed simpliciter dimissi. Tossanus ipse munere minime abdicare se coactus est. Uterque dux invitus Caesaris mandatis obsequutus: quocunque potuerunt modo mitius in iis exsequendis progressi sunt. Quae Bonnetus habet ed. angl.* II. 194 *ex parte erronea sunt.*

misera vestra conditio, quam si locum et nomen retineretis unde filius Dei exsulat. Quanquam brevi sentiemus ipsum ita regnare in coelo, ut virtutem suam in terra quoque exserere velit. Nos interea ad militiam paratos esse oportet quando nondum tempus est triumphandi. Valete, optimi et integerrimi fratres. Dominus Iesus vobis adsit, vos consoletur, et in sancta perseverantia confirmet. Genevae, 16. Ianuarii 1549.

Fratres vobis in Domino vere coniuncti
Ministri Genevensis ecclesiae.
I. Calvinus omnium nomine.

1124.

CALVINUS VIRETO.

Monsbelgardensium epistolam transmittit per omnes classes divulgandam; item Farelli, magna et nimia de periculis religionis instantibus declamantis.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 1. Apographa exstant ibid. Cod. 111, fol. 212. Bernae in Epp. VII. p. 967. Turici ap. Simler. Vol. 69.)

Eximio Christi ministro Petro Vireto ecclesiae Lausannensis fido pastori fratri et amico integerrimo.

S. Quum heri post coenam oblatae mihi essent *Tossani* literae, [1]) ita animum meum vulnerarunt, ut gravissimum capitis dolerem contraxerim. Respondi tamen festinanter hoc mane, quia rogaverat *Tossanus* ut cito nuncius dimitteretur. Vestrae partes erunt curare descripta exemplaria quae mittantur in singulas classes. Eo labore non ausi sumus vos levare, ne quid novae autoritatis nos suscipere calumniarentur quia omnia arrodere solent, etiamsi mordere nequeant. Habes etiam hic *Farelli* nostri literas, quibus iterum instat ut sibi consilium demus, quibus de rebus admonere *Hallerum* expediat. Sed bonus vir satagit more suo. Narravit nescio quis totam religionem a *Stephano, Fontano, Carolo, Macrino,* totaque illa factione ludibrio haberi. [2]) Cessare nos miratur, perinde ac si in manu esset remedium. Et nunc ad *Hallerum* quasi rem compertam detulit. Ego, ut facile patior eum acrius tales pestes insectari, ita non arbitror illi obsequendum ut fidem nostram frustra elevemus.

De synodo nihil habeo novi quod scribam. In loco decepti fuimus. Et tamen contendere vos pertinacius nolim, quin Bernae habeatur, quia, si quid obtinebitur, parata erit exsequutio. Senatus quoque vestra oratione movebitur aliquanto plus quam frigidis et perfunctoriis legatorum relationibus solet. Vale, frater in Domino carissime, una cum uxore, cui salutem plurimam ex mea dices. Saluta etiam fratres omnes diligenter. 16. Ianuar. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1124. 1) *N.* 1120.
2) *Haec Farelli epistola non exstat. Similia tamen canebat N.* 1115. *Quae Noster iustiore lance expensa hic aestimat.*

1125.

PROCLAMATION DU SÉNAT DE GENÈVE. [1])

(Original authentique avec sceau aux Archives de Genève. Pièces historiques N. 1431. — Imprimé dans Gaberel, hist. de l'Église de G. Tom. I. Pièces p. 133.)

Exhortation des Syndiques et Conseil pour l'observation des ordonnances religieuses.

Grace et paix de par dieu le pere et de par Iesus-christ son filz nostre seigneur.

Nous syndic et conseil de Geneve a touts noz chers feaux et bienaymez citoyens bourgeoys manans et habitants de nostre cite. Salut en nostre Seigneur. Nous vous faisons scavoir que voyants les grands malheurs et desordres qui sont a present par toute la terre, lesquels sont certains tesmoignages de lire de dieu contre les hommes et que ses verges son desployees pour punir leur ingratitude et les grandes iniquitez qui se commettent iournellement en touts estats et singulierement le mespris de sa saincte parolle et de ses ordonnances, cognoissants daultre coste la singuliere grace quil nous a faicte par sa misericorde, et quil nous luy fault rendre compte du peuple quil nous a commis en charge: Voyants aussy noz mandements et statuts quavons faicts et souvent publiez, suyvant la refor-

1125. 1) Sur ce qua propose M. Calvin premierement de la publication des commandemens pour exhorter le peuple: est arreste luy dire quilz [*les ministres*] adornent ung pety laffaire par escript et quilz escripvent le cas auiourduys et que demain il soit ceans apporter et lheust, puis soit lheust en leglise: et affin quil y ayt meilleur assistence est resolu dire aux dizeiniers quil dient par leurs dizennes que chascung vienne au sermon dimanche prochain. (*Reg. du Conseil Vol.* 43, *fol.* 284 *v.* 17. *Janvier.*)

mation que nous avons prise de levangile, ne sont observees selon nostre intention et desir, ains plustost mesprisees, nous ne voulons estre ingrats envers Dieu et ses benefices, ne faire que le sang de noz subiects soyt requis de noz mains, comme de faict il seroyt, si Dieu par nostre coulpe et negligence estoit deshonore, et ses sainctes ordonnances mises soubz les pieds: par quoy, ensuyvants lexemple des bons roys de lEglise ancienne, et aussy des princes, seigneurs et magistrats Crestiens qui se sont gouvernez selon la parolle de dieu, voulants remedier a tels maulx entant quen nous est, selon la grace et authorite quil nous a donnee, declairons a touts les susdicts que nous sommes fort marrys et desplaisants de ce que les sainctes admonitions et remonstrances qui leur ont este faictes par la parolle de dieu, la quelle leur est iournellement preschee, nont este mieulx observees comme il apartenoyt, et aussy que les mandements faicts de nostre part nont este mieulx gardez et mis en effect: en quoy les ministres de la parolle de Dieu ont este negligentz et nont pas faict leur debvoir dexercer leur office en admonestant et reprenant les vices et monstrant bonne exemple, comme ilz y sont tenus et que leur vocation le porte: Voyants doncques le mespris et nonchalance qui est en beaucoup et quasi en touts de frequenter les predications et Cathechismes ou instructions des enfants, et consequemment les transgressions qui se commettent contre la parolle de dieu et noz mandements et edicts conformes a icelle, mesmes touchant labolition des Ceremonies papales, idolatries, superstitions, blasphemes, sorceleries, charmes, yvrongneries, gourmandises, dances, chansons deshonestes, ieux, dissolutions en habillements, paillardises, usures, rapines, tromperies, et aultres telles iniquitez et scandales qui regnent, dont lire de dieu est provoquee et enflambee, ayants grand regret et desplaisir que Dieu nest mieux craint et servy, et desirants dy pourveoir et mettre ordre: A ceste cause declairons que nostre vouloir est dy tenir la main et mettre toute peine et diligence que touts grands et petits se rengent a vivre crestiennement, et commandons a touts et a ung chascun des susdictz quilz ayent a sy employer fidelement, chascun selon son estat et faculte. Que touts peres de famille soyent diligents a instruire leurs enfants serviteurs et servantes et a les faire venir aux sermons et cathechismes, sus tout que noz officiers soyent vigilants a faire observer noz dicts mandements et ordonnances, sans aulcun suppost ny de grand ny de petit, et sans crainte des troubles qui sont a present: et que ceulx qui ont charge publicque soyent les premiers pour monstrer bonne exemple aux aultres et les mettre en bon train. Aussy que les prescheurs facent leur debvoir a sacquitter diligemment de leur office et estre plus songneux et ardents quilz nont este a enseigner admonester et redarguer les vices comme il fault, entant que vous touts et ung chascun aymez lhonneur de dieu et craignez de loffenser, et entant que desirez eviter nostre malegrace et griefve punition. Et affin quil ny ayt nulle excuse dignorance voulons et ordonnons que ces presentes soyent publiees en leglise le peuple ayant premierement este convocque. Faict le xviij. de Ianvier M. D. XLIX.

Par commandement de nosdictz Seigneurs
Rufi. [2])

(L. S.)

1126.

CONRADUS CURIO CALVINO. [1])

Gratias agit de benevolentia quam dum Genevae esset expertus est. Sua nova conditione Burgdorfensi contentus est summopere. Cupit ducenta exemplaria libelli contra Interim scripti bibliopolae cuidam Turicensi concedi.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 28.)

Doctissimo ac omnibus modis humanissimo viro D. Ioanni Calvino praeceptori meo unice observando

Genevae.

Clarissimo quum doctrina tum pietate viro D. Ioanni Calvino praeceptori observandissimo Conradus Curio S. P.

Quum singularem tuam benevolentiam, qua me superioribus diebus, quum apud te Genevae essem, es prosequutus, haud facile dixero quanto officii compensandi studio accendar, ne vel ingratus esse videar, vel tuorum in me beneficiorum magnitudinem non intelligere, quorum alterum animi improbi, alterum stupidi fuerit ingenii, utrumque vero

2) *D'après l'extrait que nous venons de donner du Registre du Conseil on est autorisé à penser que Calvin lui-même a rédigé cette pièce. Et dans cette supposition nous relevons la note de M. Gaberel qui nomme cette pièce* remarquable non seulement par les idées mais par le style qui établit le degré d'avancement où *l'on* etait arrivé dans la langue française. *En disant on l'auteur entend adresser ses éloges au secrétaire du conseil. A cet égard nous renvoyons nos lecteurs à l'extrait qui précède et qui leur fera suffisamment connaître le degré d'avancement du Sieur Rufi.*

1126. 1) *De hoc autore non habemus quod dicamus. Certe cum Coelio Secundo nihil habet commune.*

certum ingratitudinis argumentum, a qua hactenus ut semper abhorrui ita nunc maxime esse alienus cupio. Statui vero memorem meum et gratum animum significatione saltem aliqua literarum declarare, quum mihi inpraesentiarum nulla alia facultas animi grati mutuique amoris declarandi a fortuna concessa sit.

Proinde, humanissime Domine, reddo te certiorem quod primo die Ianuarii salvus et incolumis ex Turgovia Burgdorffum venerim, una cum suavissima mea coniuge, atque cum dulcissimis pignoribus, quodque mihi indies magis magisque dulcescat Burgdorffum scias velim, idque partim consuetudine quae omnia dura lenire solet, partim mira amoenitate loci aerisque salubritate.

Haec dum scribo, praeter opinionem veniebat ad me bibliopola Tigurinus, qui quum animadverteret quod ad te, frater, essem literas missurus, summis abs me petebat precibus ut ipsi per praesentem γραμματαφερον[2]) ducenta exemplaria quae adversus Interim scripsisti admittas. Te itaque ego pro tua singulari humanitate, proque summa imo arctissima nostra coniunctione, etiam atque etiam quaeso et rogo ne negligas ad nos, inprimis ad tui amantissimum *Curionem,* aliquot exemplaria transmittere. Quod si adquieveris precibus et morem gesseris hac in re bibliopolae, ego bona imo sanctissima fide pollicebor ipsius nomine, ut tanta pecuniae summa quanta pro exemplaribus exposueris sine ulla mora et exceptione tibi per proximum tabellarium reddatur. Quaeso, mi frater, ne deneges hoc officium, sed sine ut impetrem. Pluribus usus fuissem verbis, si de tua fide dubitarem.

Deinde, mi *Calvine,* quanquam sciebam vel nulla mea commendatione meos omnes tibi commendatissimos esse, tamen ut morem gererem honestissimae voluntati tibi commendo Christophorum *Piperinum,* juvenem doctum quem mirifice dilexi, quem etiam ibi te vehementer cupio diligi. Nunc cogor uti literarum brevitate. Datae ex tempore Burgdorfii anno 1549. 19. Ianuarii.

Non est ut sis sollicitus de debito: ego brevi tibi satisfaciam. Iam fidem meam liberassem, at plane sum nummis exhaustus. Spero tamen me brevi temporis spatio nummatiorem fore.

Salutabis valde reverenter tuam honestissimam hostulam.

Tuus ex animo devotus

Conradus Curio.

2) *sic.*

1127.

VIRETUS FARELLO.

Bernam vocatus est denuo ad calumnias quasdam eorundem responsurus, qui contra eum iam anno superiore deblateraverant.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. III. N. 2.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomi.

S. Undique nos premit manus Domini. Interea domestici hostes non desinunt nobis insidiari et novas movere turbas, quo clarius appareat eorum cum externis consensus, et idem* esse qui agit utrosque spiritus. Rursum Bernam vocor responsurus adversus novas calumnias, quibus denuo a nebulone illo sum impetitus, qui me anno superiore traduxerat.[1]) Sed senatus prudenter statuit ut ad me et reliquos calumniatoris scriptum mitteretur, quos mecum suggillavit, priusquam Bernam iter arriperem. Calumniae materiam sumpsit ex admonitione qua eum colloquii nomine ex officio admonuimus, ne sibi in coena exitium accerseret. Sic rem totam temperavimus ut maximam, intellecta uti habet, mereatur laudem: tantum abest ut nobis eius causa sit metuendum. Sed ille suo more omnia cum suis suo infecit veneno. Quod si eo devenerit ecclesia, ut ea ferri non possint quo sint a nobis peracta modo, deploratissimus eius status futurus est. Quo fit ut non magnopere exsilium sit nobis metuendum, si in id nos Dominus discriminis vocaret. Die Lunae, qui a proximo die Lunae octavus erit,[2]) me senatui sistere necesse est. Unus sum cuius caput praecipue a perditissimis istis et pestilentissimis hominibus impetitur et expetitur. Quae sane res maximo mihi est solatio, quod sentiam iis me displicere, et mea ipsis studia adversari. Tu ora Dominum pro nobis. Utinam in eundem diem tua et nostra causa incidisset.[3]) Quam lugubria sunt bonis omnibus quae Monsbelgarda Argentinaque nunciantur. Quum autem undique non nisi tristia nuncientur, metuunt nostri adversarii ne quid nobis domi supersit ex quo capiamus voluptatem. Sed in patientia nostra nostras possideamus animas. — — — — — Vale. Lausannae 20. Ianuarii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1127. 1) *Lud. Corbelium notat de quo* v. *N.* 1058, *not.* 8. *Quem Viretus coram classe ante nuperam coenam hortatus fuerat ut ab ea abstineret dum ad meliorem frugem redierit. Schmidtius in libro suo de toto hoc negotio tacet.*

2) *Quum haec ep. scripta sit d.* 20. *Ian. quae fuit Dominica, citatio d.* 28. *indicabat.*

3) *Neque Bernae neque Neocomi alter alterum hac occasione vidit.*

1128.

CALVINUS VIRETO.

Iudicium suum profert de statu causae Viretum inter et Corbelium pendentis. Fallesii valetudo paulo melior, uxoris suae non item.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 2. Turretini exemplar exstat in Cod. 111, fol. 210. Simlerus habet Vol. 69 et se ex copia Bernens. Archiv. sumpsisse testatur ubi tamen non invenimus.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori optimo fratri meo.

Videre mihi videor quid spectaverit senatus.[1]) Sepultam eius rei memoriam cuperet quae commemorari vix potest nisi cum publico dedecore. Obiicietur, intempestivo et alienissimo tempore commotas fuisse has turbas. Pertinaciae id imputabitur. Hoc tamen erit praecipuum quod cognitionem a senatu susceptam ad vos traxeritis. Verum facilis, ut spero, erit excusatio: quod intacta causa volueritis hominis conscientiam pungere, illum de rebus vobis compertis admonendo. Vestra enim admonitio nihil nisi sanctum, et quod officii vestri proprium est, continet. In excommunicatione nihil erit negotii. Testati estis vos ideo iure abstinere, quia non esset vobis permissum. Quod si indignum fuisse ostendas cur vobis non licuisset ita eum compellare, ut sciret sibi non aliter dari quam quia negandi libertas non est? Res praesens melius docebit, quousque moderandum erit vehementiae. Placide excipiendi erunt primi insultus. Sed ubi ad causam ventum fuerit, virilis gravitas excitanda erit, ne insultandi audaciam ex tua modestia concipiant qui plus satis alioqui ferociunt. Exitus forte erit laetior quam speremus. Deferbuit enim iam turbulenta illa tempestas, ut veritas exaudiatur. Adiuvabunt ipsa quoque tempora. Quia non vereor ne rei indignitate commotus metas transsilias, hortari te desino. Haec mihi potius cantilena, si in simili causa versarer, apta esset. Restat ergo ut te pro ecclesia laborantem, quia consilio non possumus neque opera, precibus saltem adiuvemus.

Fallesius paulatim convalescit cum uxore sua, quae a tuo discessu periclitata est. Mea paulo quidem meliuscule se habet, sed mitigatio duntaxat mali hactenus apparet potius quam levatio. Dominus tamen spem nostram forte superabit.

Mitto *Buceri* epistolam[2]) quam proxime accepi. Si quis ad *Farellum* proficiscatur, fac quaeso ut exemplar habeat: sed archetypum quum primum poteris remitte. Ex Anglia nihil allatum. Burdegalenses[3]) tumultari dicuntur. *Gendronius* aurifaber a Rege attulit mandata, ut nostri constanter starent: se auxilio futurum. Vale, frater et amice integerrime, cum uxore et filiola. Dominus Iesus profectionem tuam regat, tibi adsit in omnibus. Amen. Saluta fratres. 21. Ianuar 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Textor plurimam tibi salutem dicit et *Hottomannus*.

1129.

CALVINUS BULLINGERO.

Bullingeri epistola quam deperditam credebat iam allata, ad eius annotationes satis breviter et decretorie respondet. Scripta sua recentiora petenti mittit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. t. 24, fol. 9. Inspeximus praeterea duo exemplaria in Cod. Genev. 111, alterum Turretini fol. 210, alterum recentius fol. 206, tertium Bernense Epp. T. VI. p. 1163, quartum ibid. T. VII. p. 72; quintum Simleri Vol. 69. Anglice legitur T. II. 196.)

Praestantissimo Christi servo D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori, fratri et symmystae colendissimo et amico singulari.

S. Triduo antequam posteriores tuae literae[1]) ad me pervenirent, illas tandem priores[2]) recepi quas nobis periisse arbitrabar. Nam quum *Hopperi* literas apud *Comitem* quaereret is qui alteram sororem[3]) habet in matrimonio, conspecto altero fasciculo protinus manum iniecit. *Comes,*[4]) vel pudore vel nescio qua causa, illi eripere ausus non est. Annotationes tuas legi, ex quibus animadverti quid in nostra docendi ratione desideres. Breviter satisfacere conatus sum, quia neque res ipsa longum sermonem flagitabat.[5]) Quid profecerim tunc sciam

---

1128. 1) *Bernensis scil. quum Corbelii criminationes ad ipsos Lausannenses remitteret. Cave hic cum Simlero de causa Farelli contra Triboletum cogites.*

2) *N* 1118.
3) *N.* 1100. 1105.

1129. 1) *N.* 1104.
2) *N.* 1101.
3) *Hoperi nempe, ut vult Bonnetus, alteram Pollano vindicans.*
4) His companion(!), *imo Beatus, v. N.* 1108.
5) *Huc pertinent eae annotationes quas editas legisti Opp. Tom.* VII. *p.* 701 *sqq.*

quum responderis. Hoc certe abs te impetratum non immerito velim, ne vanis suspicionibus te implices. Frustra enim ideo te in multis laborare video, quae nihil alioqui difficultatis habent, quod pleraque mea aliorsum convertis quam oporteat. Hoc facit concepta de me opinio, ut quae nunquam in mentem venerunt mihi affingas. Praeterea dum totus in hoc es ut tua, qualiacunque sint, ad extremum usque tuearis, magis interdum quid cum illis congruat quam quid verum sit reputas. Si tibi placet simplicitas, ego certe nec fucis nec ambagibus delector. Si liberam veritatis professionem amas, nunquam mihi in animo fuit quae scripsi ad hominum gratiam inflectere. Si qui *Luthero* vel aliis blanditi sunt, non sum ex eorum numero. Novit optimus *Musculus*, quum etiam cordati metuerent, me semper fuisse liberum. Quod si hactenus non obstitisset inanis diffidentia, iam pridem vel nihil vel minimum inter nos fuisset controversiae. Quanquam sic a vobis dissentio ut animo minime sim disiunctus: quemadmodum sic cum *Bucero* amicitiam colo ut libere interdum ab illo dissentiam. Proinde illud in tuis literis nimis durum est, bene rem habituram, modo vos non haberi pro hostibus intelligatis. Unde id coniicias nescio. Hoc quidem scio, me de vobis amice et sentire et loqui. Hoc etiam posterius plurimis notum est, qui me loquentem audierunt. Fieri quidem potest ut privatis ad amicos literis quaedam reprehenderim, aut ab illis reprehensa non dissimulaverim reprehensione digna esse. Semper tamen laus admixta fuit, quae et acerbitatem omnem temperaret, et sinceri animi redderet testimonium. Iudicabunt alii ut volent. Sed meae integritatis nunquam me poenitebit.

Si oblatam sibi provinciam suscipiet D. *Blaurerus*,[6]) et accesserit *Musculus* ad theologicam professionem,[7]) non tantum Bernensi ecclesiae gratulor, sed spero hoc fore propioris inter nos coniunctionis vinculum. Quum tibi opportunum fuerit, peto abs te ut me de rebus vestris facias certiorem. Commentarios meos in quinque Pauli epistolas iam pridem habuisses, nisi putassem istic prostare. Quia autem rari hinc ad vos nuncii commeant, sumptuosior ne tibi vectura esset timui quam ipsa emptio. Mitto nunc in secundam ad Corinthios et quatuor proxime sequentes. In epistolam ad Titum et duas ad Thessalonicenses nihildum edidi. Mitto etiam Responsionem meam,[8]) quae *Brentio* valde probatur, quod non gloriandi causa apud te commemoro, sed ut inde coniecturam facias quanto sit in sacramentorum doctrina moderatior quam olim fuerit. Vale, ornatissime vir et frater in Domino carissime. Dominus Iesus te et collegas tuos semper gubernet, quos omnes salutabis meo nomine diligenter. Mei vicissim te plurimum salutant, ex quibus *Gallasius* libellum tibi nuper a se compositum offert.[9]) D. *Musculo* et aliis piis fratribus salutem plurimam. Genevae 21. Ianuarii 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

6) *Qui d.* 12. *Ianuarii datis ad Senatum Bernensem literis vocationem deprecatus est, Anglus:* If Bl. shall undertake Provence.

7) *Quod factum est ex decreto* 9. *Februarii, suadente Hallero, postquam aliquamdiu de vocando viro Bucerianismi suspecto haesitatum fuit.* (*Halleri Ephem. p.* 80. 85.)

8) *ad Interim.*

9) Responsio pro Io. Calvino ad ineptias et convicia Io. Cochlaei Gen. 1549.

1130.

CALVINUS FARELLO.

Quod eum inter et Triboletum obortum est negotium a Senatu Bernensi compositum iri sperat. Vireto simile aliquid cum Corbelio redintegratum. Mutuas ipsius et Bullingeri de coena epistolas ei legendas mittit.

(Ex autographo partim a Calvino ipso partim ab Hotomanno scripto in Cod. Genev. 107[a], fol. 308. Apographa exstant in Cod. 108, fol. 170, Bernae in Arch. Epp. VII. p. 30 et Turici ap. Simler. Vol. 69.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori.

S. Quod pluribus abs te literis[1]) provocatus ne verbo quidem respondi, in eo negligentiam meam non excuso, quia nemo se interea nuncius obtulit qui meas tuto perferret. De molestia quam tibi unius nebulonis[2]) voce armati improbi facessunt iam ante nescio quid prius audieram. Quum hic esset *Viretus*,[3]) deliberavimus inter nos ecquid opis aut levamenti afferre tibi possemus, quanquam nihil hic videbamus metuendum, nisi forte in extremas angustias redactus ille quem urges ad recriminationem confugeret. Fieri enim posse credibile est ut tu aliquando verum dixeris. Caeterum, nisi nos spes fallat, hic finis erit, quod salva integraque tua existimatione senatus in concordiam vos reducere conabitur.[4]) Quae tibi conditio non erit recu-

1130. 1) *Nullas Farelli ad Calvinum datas habemus post N.* 1110.

2) *Triboleti.*

3) *N.* 1121.

4) *Ita factum est d.* 11. *Febr. Vide quae habent Kirchh. p.* 97, *Ruchat* V. 381.

sanda. Nam et ita laudabile moderationis specimen edes et compesces minorum canum latratus. *Viretus* nunc Bernam vocatus est, iterum a *Corbelio* accusatus.[5] Illic nihil quod suarum erit partium omittet: nec minus de tuo negotio quam suo erit sollicitus. De rebus tuis supervacuum esset scribere per fratres tuos. Ego pluribus supersedeo.

Vale, frater integerrime. *Vireto* mandavi ut quas nuper a *Bucero* literas[6] acceperam ad te mitteret. Hic etiam habebis *Bullingeri* observationes in quaedam epistolae meae capita cum brevi responsione. Remittes quum legeris. Iterum vale. Dominus tibi semper adsit et te sua virtute sustineat. XXIII. Ianuar. Salutabis diligenter collegam et reliquos.

Ioannes Calvinus tuus.

Hottomanus haec scripsi D. *Calvino* aegrotante, quibus tibi salutem subscribo quam officiosissime.[7]

1131.

HALLERUS CALVINO.

Quum iam synodus celebranda sit proximo vere ex decreto senatus, petit ut ipsum certiorem faciat de omnibus quae ad gallicarum ecclesiarum ordinem et commoda pertinent. Vireti negotium moderatione componendum esse monet. Librum contra Interim laudat.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 34.)

Clarissimo praestantissimoque viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fidelissimo antistiti domino et fratri suo perpetuo colendo.

S. et gratiam spiritus sancti caett. Rarius ad te scribo, vir praestantissime, non quod non te summopere diligam ac venerer, sed quia quotidie experior quanto periculo multi hoc perfido saeculo proditorie bonorum virorum literas intercipiant, aperiant, suffurentur, describant, hinc inde spargant, materiamque calumniandi hinc venentur, veri scilicet diaboli.[1] Unde boni viri non raro pessimas incurrunt suspiciones et non cum suae modo famae sed et ecclesiarum maximo dispendio, pernicie et conturbatione traducuntur. Ideo mihi quantum possum parco, maxime quum ecclesia nostra prae aliis hoc malo laboret. Sed quoniam in praesentiarum publica urget necessitas ut ad te scribam, non possum praeterire amplius quin tuam horter pietatem, quod[2] quandoquidem sine dubio iam pridem intellexisti, impetratum esse a Dominis nostris magnificis ut celebrationem synodi pastorum suae ditionis decreverint, quae ut speramus sub proximum ver,[3] nisi publicae aliquae turbae nostrum impediant institutum, celebrabitur: tibi vero gallicae ecclesiae earumque ministri, tum quoque quid illis desit, quid instituendum, quid corrigendum, quales se exhibeant ministri, quum doctrinae puritate tum integritate vitae, magis notum sit quam ulli alii, ut pro tuo singulari studio, quo omnes inprimis vero nostras complecteris ecclesias, in tempore me de singulis tuoque iudicio certiorem facias, ut commodius certiusque praemeditata omnia ad utilem aliquem ecclesiae finem dirigi possint. Loquutus sum ea de re quoque cum D. *Farello*. *Viretus* suum quoque praestabit officium, quem arbitror hisce diebus hic compariturum,[4] responsurumque ad calumnias cuiusdam *Corbelii*, qui ipsum cum omnibus symmystis insigniter hic apud senatum traduxit, sicuti sine dubio ab ipso intellexisti. Monui D. *Viretum* in tempore: vereor enim ne vetus renovetur tragoedia. Cuperem omnia sopita, et nos tandem, qui omnes Christi esse volumus, in pace vivere posse. Quorsum enim haec dissidia in tam communi et deflendo ecclesiarum lapsu? Profecto dicemus tandem cum Vergiliano illo:[5]

— En quo discordia fratres
Perduxit miseros: en queis consevimus agros (*s. ecclesias.*)
Impius haec *etc.*

Desidero ego in aliis moderatiora iudicia, ne uno omnia pede metiantur, in aliis vero perspicuitatem, ut non modo idem sentiremus, sed et iuxta apostoli admonitionem loqueremur. Non enim video constantem esse posse pacem aut concordiam, quae vocabulorum tantum constat dubiis diverticulis. Si aperte omnia et caritate praelucescente fierent (non enim cupio rixas) video pacem obtineri posse. Sed in gratiam eorum, qui non exiguos fovent errores, declinare ad verborum amphibologias, hoc hactenus nostras turbavit et adhuc turbabit ecclesias et alios

5) *N.* 1127.
6) *N.* 1118.
7) *Hic ergo illo tempore Calvini erat contubernalis. Caeterum de anno facile tibi constabit hanc cum praecedentibus conferenti.*

1131. 1) *Comitem et Mercerum notat.*

2) *σύνταξιν huius phraseos tibi restituendam permittimus.*
3) *Germani in* 13. *Martii, Galli in* 20. *convocati fuerunt.*
4) *Imo iam d.* 24. *Ian. aderat.* (*N.* 1134.)
5) *Eclog.* I. 70, *ubi tamen nostrae edd. paulo aliter habent.*

diversum sentientes, qui interea poterant erudi,[6]) in pertinaci confirmabit et indurabit proposito. Hinc ergo nulla pax speranda.

Sed quo digredior? Te, ut dixi, rogo ut quae ad synodum, considerationes ecclesiasticas et censuram ministrorum facere putaveris in tempore ad me perscribas, ne ad tantum opus sim imparatus, qui nihil aliud (teste conscientia mea) quaero quam salutem et correctionem ecclesiae, et pacem quae sinceritati doctrinae non deroget. Talem me experieris semper. Porro scriptum tuum contra interdecretum Caesaris vidi, legi, relegi: perplacet. Ago gratias Domino quod inventus sis qui te tantae impietati opponas. Oro Dominum ut tibi sua dona augeat et te ad ecclesiarum multarum salutem et aedificationem nobis diu servet incolumem. Audio quidem etiam alium aliquem scripsisse,[7]) sed sine nomine, et exemplar apud vos esse. Si sit impressum, cuperem videre: vellem aliquot ad me mitteres exemplaria quae bona fide persolvere vellem.

D. *Bullingeri* literas,[8]) quas simul meis adiunctas mitto, aliquot diebus apud me habui, quia non statim certus contingere poterat nuncius. D. *Blaurerus* datis ad senatum nostrum literis venire recusat. Idem facit *Xystus*.[9]) Uterque suas praetendit rationes. Ita ampla frustratus sum spe. Tanto enim difficilius posthac, ut aliquem doctum vocent domini nostri, impetrabo, quanto minus hae successerunt pro voto vocationes. Maximum idcirco mihi et meis humeris impar incumbit onus quod[10]) ferendo vix sum. Ora pro me Dominum ut mihi et laboribus meis adsit ad aedificationem ecclesiae suae. Ego idem fideliter pro te faciam. Dominus Iesus te perpetuo custodiat, vir colendissime. Saluta omnes qui tecum sunt fratres. Bernae 25. Ianuarii 1549.

Tuus in Domino
Ioannes Hallerus.

6) *sic.*
7) *Cf. N.* 1104 *not.* 13.
8) *Deperditas.*
9) *Nisi fallimur loquitur de Xysto Betuleio (Sixt v. Birken) Augustano, qui olim Basileae, inde ab a.* 1536 *in urbe patria scholae rector fuit. Quem tamen potius philologum quam theologum dixeris. Inter alia edidit concordantias gr. N. T. et textum oraculorum Sibyllinorum. Obiit a.* 1554.
10) *sic.*

1132.

CALVINUS FARELLO.

Commendat ei causam haeredum Io. Picardi, simul Barbarinum moneri iubet de pecunia ab amico quodam mutuum data.

(Ex autographo Cod. Gen. 107[a], fol. 3. Legitur praeterea Cod. 111, fol. 211, Bernae in Epp. VI. p. 1165 et ap. Simlerum Vol. 69.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Hic filiam Ioannis *Picardi*[1]) habet in matrimonio. Cuperet libros, quibus magistratus vester manum iniecit, eorum postulatu, qui fratrum Valdensium pecuniam[2]) salvam volebant, uxoris nomine recuperare. Dicit eius rei spem sibi esse datam a fratre nostro Thoma *Barbarino*, et postea Ioannem *Girardum* idem confirmasse. Non satis causam teneo. Te facturum non dubito quidquid aequum esse cognoveris. Tamen quia rogavit ut tibi pauca verba facerem, hoc officium non debui negare: praesertim quum nihil abs te petam nisi quod ultro alioqui faceres. Nempe ut statuatis quod censueritis iustum et aequum. *Thomae* ipsi eram scripturus, sed tempus non suppetit. Eum salutabis meo nomine rogabisque ut de pecunia quam mea fide amicus mutuavit significet aliquid. Decem enim coronati numerati sunt ad curandam matris eius causam. Hoc non scribo ut homini sim molestus, sed ut cognatos admoneat ne solutionem ultra tempus prorogent. Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te ecclesiae suae conservet. Fratribus nostris *Christophoro, Fatono, Michaeli* et reliquis plurimam dices salutem. 27. Ianuar. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1132. 1) *Laudat Gaullieur p.* 59 *et* 87 *typographum aliquem Io. de Wingle quem Petri de Wingle (dicti Pirot Picard) celeberrimi Neocomensis bibliorum gallicorum editoris cognatum fuisse facile nobis persuademus.*
2) *Valdenses Pedemontani olim Sonerio* 500 *aureos dederant quorum ope typographiam conderet edendis bibliis gallicis aliisque piis libris destinatam (Herminj.* III. 84). *Videtur typographus hoc tempore rationes negotii nondum reddidisse ideoque magistratus Valdensium rogatu libris editis necdum divenditis manum iniecisse.*

1133.

FARELLUS CALVINO.

Hotomannum Calvini vices in scribendis epistolis subiisse gaudet. Bernam vocatus propter suum cum Triboleto negotium summo iure sibi agendum non putat sed potius moderatione utendum. Rumores varii de rebus publicis.

(Ex autographo Cod. Gen. 115, fol. 85. — Recentiora exemplaria exstant Genevae Cod. 116, fol. 5, Bernae in Epp. VII. p. 968 et Turici ap. Simlerum Vol. 69.)

Christi servo insigniori Io. Calvino pastori Genevensis ecclesiae doctissimo et pientissimo fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Si *Hotomannus* aut alius aliquis quod pridem petebam faceret id quod in fine tuarum coepit, [1]) nempe tuas suppleret vices, mihi pergratum esset. Siquidem ubi cessaret cum eo expostulare liceret, quod tecum non licet, imo potius ex te poscendum, ut quod impendis in scribendis licet gratissimis literis id totum ad faciendum quod facis scribens in omnium aedificationem impenderes. Nam quid bene favente Deo non affert fructus excussio illa interimentis Interim? sed multo quae in enarrandis sacris efficis. Praeterea istorum literae, si non tam gratae sunt ut tuae, minus poterunt conflare invidiae, et minus ardebunt interceptores eas intercipere. Quum gratiam *Hotomanno* habeam et salvum esse iubeam, opto ut provinciam suscipiat. Miror res eo perductas ut tot boni viri cum detrimento ecclesiae et iuventutis cogantur iacturam temporis et sumptuum tempore tam inclementi et tam mala via facere, ob nebulonis quo improbi subornato utuntur calumnias. [2]) Ferunt autorem [3]) pernegare id consilii dedisse, sed prorsus dissuasisse. Alter, cuius consilio perditum aiunt Bernam adiisse, dicitur consuluisse ut tantum concionatores adiret illorumque consilio uteretur. Res favente Domino felicem sortietur exitum. Sed molestia indigna est quae talibus accidat servis Dei.

Buceri ad te literas [4]) nondum vidi. Quanto ego diligentius omnia ad vos mitto, tanto vos nulla, aut si quae mittitis tardius fit. Dominus Iesus talem et tantum servum servet cum piis omnibus ubicunque sint, et non patiatur ecclesias dissipari. De *Tossano* nihil accepi. Faxit Christus ut meliora audiamus, ut consilium nostrum sequi opus non habeat, sed perdurare possit, imo peragere plenius omnes sui ministerii partes. [5])

Mihi indicatum fuit ut 11. Februarii Bernae sim, ut dispiciatur quid cum adversario [6]) agendum. Ego ita proposui, ut is qui semper expertus fuerim senatum propensum in ornando ministerio meo, quique omnia cupiam agere quae sint e re ecclesiarum, ut morem geram pio senatui, qui quum cupiat Christi gloriam promotam et ecclesias probe aedificatas, consilium det qua via possit succurri iis qui coeperunt emergere ob quaedam quae feruntur a *Triboleto* dicta, ad quem scriptum fuit. Sed is responsum non dedit apertum. Sed hic civibus tantum dixit se dixisse quae dixit, et ea tueri velle. Haec assistente Neocomensi vexillario proposita fuerunt. Bis vocatus fuit Bernam. Primam vocationem [7]) visus fuit spernere. Super secunda petiit differri diem et obtinuit. Hic non pauci petunt ut nihil transigam nisi iure, quod is palinodiam cantet. Id mihi non probatur ut summo agam iure, sed ut potius in eo palam faciam, quid quisque in proximo lucrifaciendo praestare debeat, quidquid est obsequii et officii ex animo quantumvis homini indigno oblaturus et praestiturus. Gaudeo tuum et *Vireti* consilium eo tendere ut benigne, quantum in nobis est, agamus. Spero *Viretum* hac transiturum, [8]) et fieri potest ut tuum plenius simus habituri consilium priusquam Bernam petam.

Praefectus noster dicebat pontificem et Sabaudum ducem obiisse. [9]) Addunt alii Caesarem, sed illos vivere. Ego mortes nollem audire, sed vitam vere christianam omnes vivere, quam defleo tam raram esse. Christus faxit ut passim et in omnibus cernatur. Gaudeo plurimum istam crescere ecclesiam. Addat indies Christus plures et absolutiores. Hactenus *Mirabilis* [10]) non tam diu egit extra domum suam. Dominus efficiat ut dignum verbo fiat aliquid. Turcica legatio isthac transiisse fertur ad Gallum. Omnes nunc legati et omnium audiuntur et admittuntur. Solus est Christus qui ut omnium indignissimus non obtinet ut sui legati audiantur, et multo minus ut aliquid impetrent. At non impune ferent qui omnia violant, in tam potentem insurgentes. Deus illis oculos aperiat. Vale cum coniuge, cui salutem precor, et collegis tuis et

1133. 1) *Vide Post-scriptum N.* 1130.
2) *Loquitur de ministris Vadensibus Bernam vocatis ut de Corbelii calumniis testes audirentur N.* 1127.
3) *Zebedaeum.*
4) *N.* 1118.
5) *N.* 1123 *not.* 1.
6) *Triboleto, non Corbelio ut Simlerus volebat.*
7) *De qua vide N.* 1115.
8) *Quae spes eum fefellit.*
9) *Paulus* III. *revera hoc anno obiit, sed demum* 10. *Novembris. Dux Carolus* III. *demum a.* 1553.
10) *Civis Neocomensis Farelli fautor* (*Hans Wunderlich*) *cf. Kirchhofer* II. 27. *Simlerus eum regis Galliae commissarium fuisse dicit.*

iis omnibus. Collega te salutat et frater. Neoomi 28. Ian. 1549.

Farellus tuus totus.

1134.

VIRETUS FARELLO.

Narrat quid cum collegis Bernae egerit, quo acto negotium ibi minime ad finem perductum fuerit t qua de causa Neocomenses invisere non potuerit.

(Ex autographo bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. III. N. 3.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae quam arissimo.

Neocomi.

S. Quid nuper instituissem [1]) quum adhuc Lausannae essem Bernam iter arrepturus, frater uus *Gaucherius* tibi significavit. Quare vero id non praestiterim, audi. Mihi certe valde fuit molestum, sed poscebat ecclesiae necessitas, ut Lausannam properarem. Nam aberamus omnes, ego, ollega, *Merlinus* diaconus, *Ribittus*, *Corderius*, Franiscus *Sampaulinus*. Quae sane res non caret ofendiculo. Facile enim coniicis qui de hac pererinatione rumores sparsi sint, et quos triumphos ostes nostri cecinerint. Nam sperabant hunc furum tragoediae nostrae actum extremum. Iam bfuimus totos novem dies. [2]) Die Lunae [3]) et Martis non fuimus auditi a senatu. Die Mercurii ausa nostra relegata est ad ministros. Eo die non otuimus ab eis audiri. Die Iovis auditi fuimus liqua ex parte. Deinde retulerunt ad senatum se non potuisse totam causam cognoscere tam brevi empore, seque in ea esse sententia ut remitteremur Lausannam, et ut sumptibus parceretur, et ut ecclesia et scholae non desererentur diutius, utque eo mitterentur legati, postquam ministri quid de tota causa sentiant retulerint, ut Lausannae non solum huic negotio finis imponeretur, sed etiam ut otius scholae fieret visitatio et ea omnia restituerentur quae in iis desiderantur. Sequutus est senatus eam sententiam, pollicitusque est se missurum unum e ministris cum legatis qui omnia curarent quae nos desideramus. [4]) Obtinuimus hac ratione quod eramus petituri. Nam hac ratione id effici poterit quod iamdiu optabamus. Non dubito quin nebulo, [5]) qui has nobis turbas movit, sibi et suis foveam foderit in quam casuri sunt. Fuit nobis admodum molesta et sumptuosa haec profectio, et offendiculo non paucis, sed non caritura est suo fructu. Dominus voluit hac ratione erui quae abdita mansissent, et repurgare ecclesiam suam istis pestibus quibus tota inficitur. Conciliavit nobis praeterea amicitiam et familiaritatem maiorem cum ministris Bernensibus, qui iam incipiunt cognoscere cum qualibus sit nobis ingeniis negotium. Quo fit ut speremus posthac omnia felicius successura. His omnibus peractis, quum me ad iter ad vos accincturus essem cum Francisco *Sampaulino*, qui eramus equites, reliqui omnes fuerunt in ea sententia ut recta Lausannam contenderemus, ut eo perveniremus ad diem dominicum. Nam aliorum nemo id poterat. Quum igitur iam dominico die proximo abfuerimus omnes, et nostros omnes reliquerimus anxios et sollicitos de eventu, putavimus consultius futurum si mature redierimus. Proinde boni consules si vos non inviserimus. Alias, si volet Dominus, alia se offeret occasio. Mitto ad te literas *Buceri* — — — quas quam poteris ocyssime remittas ad *Calvinum* qui id a me poscebat. Vale. Murato, [6]) 1. Febr. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1134. 1) *Scil. Bernae rebus peractis Neocomo transire.*
2) *Si computum facimus ad Calendas Febr. quibus aec nostra scripta est, Bernam venerant d. 24. Ian.* (*cf.* 131 *not.* 4). *Verum sic satis inconcinne scripsit se iam bfuisse.*
3) 28. *Ian.*
4) *Quod factum est m. Februario.* (*Halleri Ephem. p.* 85.) *Ipse Hallerus cum Io. Steigero senatore missus est.*
5) *Zebedaeus puta.*
6) *Murten, ergo ex itinere.*

1135.

MINISTRI ARGENTORATENSES MOMBELGARDENSIBUS CONSILIARIIS ET MINISTRIS.

Respondent ad quaestionem utrum Tossanus non obstante Interim in ministerio suo perseverare an cum collegis dimissis ecclesiae suae valedicere debeat.

(Ex apographo bibliothecae pastorum Neocomensium inserto Vol. lig. A. N. 57. In tergo legitur: Apographum literarum ministrorum ecclesiae Argentoratensis.)

Clarissimis vereque nobilibus doctissimis atque religiosissimis viris dominis consiliariis illustrissimi principis Domini Christophori Wirtembergensis atque ecclesiae ministris Mombelgardensis, dominis et collegis observandis et fratribus carissimis.

Dominus Iesus, bonus pastor noster, ipse consulat et nobis omnibus et regat quum animos tum actiones nostras, in hoc difficillimo tempore ecclesiae, nec quidquam vel tentemus ipsi vel consulamus aliis, quod cum ipsius spiritu et verbo non per omnia consentiat. Amen.

Legimus, viri nobiles et amplissimi, collegae et fratres venerandi atque carissimi, quod ad nos misistis scriptum,[1]) de pietate illustrissimi principis vestri et vestra, tum de religione atque de sollicitudine pia colendi et clarissimi collegae nostri *Tossani*, et quaestionem ad quam vultis nos respondere: ipsaque argumenta in utramque partem adiuncta qua potuimus diligentia expendimus. Pietatem illustrissimi principis et vestram toto corde exosculamur, atque oramus Dominum ut eam sanctorum suorum votorum faciat semper compotem. Religioni atque anxietati optimi *Tossani* nobis pridem perspectae optamus sic ex Domini spiritu et verbo succurrere, quaestionem de eius ministerio quam ad nos misistis explicando, ut eo et ecclesiae vestrae commodemus ad gloriam Christi, et *Tossani* animo alioqui nimium his ecclesiae turbis adflicto aliquam in Domino adferamus consolationem et tranquillitatem.

Considerata vero religiose inprimis pietate principis illustrissimi, qui unum hoc a *Tossano* petit ut gregem Christi, istic suae et illius curae a vero eius pastore Domino nostro Iesu Christo commendatam, puro evangelii pabulo non destituat, etiamsi publica ei sacramentorum administratio aliena potestate, cui religiosissimus princeps resistere nunc non valet, auferatur, tum etiam praesenti et vestrae et omnium prope Germaniae ecclesiarum conditione, aliud videre non possumus quin optimus collega noster *Tossanus* sua ad vestram ecclesiam vocatione adstringatur coram Domino, petitioni illustrissimi principis et vestrae atque ecclesiae pro virili sua satisfacere, atque tamdiu ecclesiam hanc pura evangelii doctrina sustinere fovere et aedificare, quamdiu id Dominus concesserit, etiamsi sacramentorum administratio aliis committatur.

In hanc vero sententiam ducit nos, praeter vestras rationes a pietate principis et a periculo successuri lupi ductas, quas et ipsi iudicamus *Tossano* magni faciendas, quod omnes scimus et privatos filios Dei et ecclesias pura evangelii administratione posse sustineri et aedificari, etiamsi sacramentorum dispensatione ad tempus in totum destituantur, nedum dispensatione per proprium ministrum: vetus sane ecclesia per Chaldaeorum ditionem dispersa sola verbi administratione servata est et alita, et Dominus noster Iesus Christus tantum evangelii praedicatione ecclesiam suam collegit et auxit, toto praedicationis suae tempore. Nam quum sacrosanctum corporis et sanguinis sui sacramentum suis instituit, statim in mortem sese patri pro nobis contulit.

Erit quidem valde dolendum, si divinissimi huius sacramenti dispensatio publica vero pastori adempta committatur alienis: sed quid faciat contra ecclesia, sic nunc captiva? Quumque illa hoc Christi beneficio spoliabitur invita, eo magis certe modis omnibus cavendum erit (quod cum religiosissimo principe ipsi quoque agnoscitis) ne et verbum ei vitae aeternae eripiatur. Iustus fide sua vivit, et fides, sicut gignitur, ita etiam conservatur atque augetur ex auditu verbi. Itaque ecclesiae Dei sacramentis ad tempus carere possunt, verbo ipso carere non possunt. Quocirca ita necessarium esse iudicamus cuique fido Christi ministro, ne creditam sibi ecclesiam verbo Dei destituat, ut ei suum ministerium subtrahere non debeat, etsi privata tantum verbi Dei praedicatio ei permitteretur; nisi forsan habeat cui hanc tuto committeret, et posset ipse ecclesiis Dei alibi plus commodare. Hanc sane rationem servarunt olim sancti episcopi martyrum temporibus, ut apud divum Cyprianum epistola octava libri primi ut in plerisque aliis huius episcopi et martyris epistolis videre est.

Incommodis quae carissimum fratrem *Tossanum* sollicitant, ne alibi dicatur recepisse Interim et suis atque aliis videatur ventris causa haerere, sic mederi poterit: ut collegis vicinarum ecclesiarum consilium et necessitas, qua apud ecclesiam suam retinetur, patefiat, et ecclesiae vestrae solenni prece rogetur ut maneat, quanquam, dum constet eum rogatu illustrissimi principis et vestro detineri, satis sit occursum illi suspicioni de ventris cura. His itaque rationibus, quum falsis illis criminibus, vel recepti Interim vel curati ventris, fuerit occursum, malevolorum calumniae tanti faciendae non sunt, ut *Tossanus* suam propterea vocationem possit inoffenso Christo abrumpere, ecclesiamque eius sibi commendatam lupis prodere sua destitutione.

Hae nos causae compellunt ut vestrae sententiae congruentes non dubitemus carissimum collegam nostrum *Tossanum* omnino debere ministerium suum ecclesiae vestrae, quale adhuc ab eo petitur, nullo modo denegare. Et oramus Dominum nostrum Iesum Christum, dum nos omnes clementius respiciat, ut eum in hoc ipso ministerio suo conservet, reddatque illud ad salutem suorum, quos istic habet, quam efficacissimum, Satanamque cito subii-

---

1135. 1) *De toto hoc negotio adeas Kirchhoferum* II. 106 *et Goguel, réf. de Montbéliard p.* 47.

ciat, suorumque ubique pedibus: quod indubie faciet, si modo nos eius iugo totos subiicientes soli-dam agamus ingratitudinis nostrae poenitentiam, quam hactenus adversus eius amplissima beneficia admisimus. Idem Dominus noster Iesus Christus conservet et omni benedictione sua prosequatur illustrissimum principem et vos omnes, ornatissimi viri et carissimi fratres, nostramque ecclesiam velitis precibus vestris Christo Domino diligenter commendare. Nam nisi miraculo aliquo intercedat, instat iam ut ab ea avellatur, qui non velit ministerium suum per omnia praestare secundum Interim, quod nemo verus minister Christi potest. Dominus viderit de suis: fides vera perpaucorum est, ut videmus nunc. Hoc magis ergo fovendi sunt illi qui adhaerere Domino perseverant, in quo optime valete. Argentorati 5. Februarii Anno M. D. XLIX.

Dediti vobis in Domino
ministri ecclesiae Argentoratensis.

Gaspar Hedio.
Paulus Fagius.
Theobaldus Nigri.
Ioannes Marbachius.
Ludovicus Rabus.
Ioannes Garnerius ecclesiastes Gallorum
Martinus Bucerus.

1136.

VIRETUS CALVINO.

Acta Bernensia denuo exponit ut nuper Farello. Et ipse et Calvinus Bernensibus suspecti.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 81. — Recentiora exemplaria occurrunt Cod. 116, fol. 109, in Epp. Bernensib. VII. p. 972 et apud Simlerum Vol. 69.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae amantissimo.

Genevae.

S. Non dubito quin ante reditum nostrum nuncius earum rerum quae actae sunt Bernae nos praeverterit et ad te pervenerit. Nam reversi mirati sumus quod alii, qui actioni non interfuerant, plura cognoverant quam nos. Id autem factum arbitror opera Ludovici *a Furno*[1]) aut eius sociorum, qui rem non narrarunt omnino ut habebat. Proinde rem totam paucis accipe, ut intelligas, si quid forte audieris, num conveniat cum mea narratione. Quum Bernam pervenimus, paucos senatorum invenimus qui tunc senatui interfuissent, quando statutum est ut nos accerseremur: nam paene omnes narrabant se nescivisse. Duobus primis diebus non fuimus in senatum admissi: tertio die auditi ad ministros missi sumus qui totam causam audirent, ut de ea quid sentirent referrent postero die ad senatum. Eo die non potuimus a ministris audiri. Postero die quum causa nostra coepta esset, scriptamque ipsorum rogatu historiam[2]) obtulissemus, quae totam causam copiose continebat, responderunt se non posse tam brevi tempore de ea cognoscere, et simul ad senatum referre: quumque non sine magno dispendio et crumenae et ecclesiae nos non posse diutius domo abesse iudicarent, censuerunt esse consultius si re infecta domum rediremus: ipsi vero per otium se exactius totam causam excussuros receperunt, atque ea de re suam sententiam exposituros senatui. Sed hoc habuit commodi eorum consilium, quod nobis alioqui parum probabatur, quod impetrarunt a senatu ut huc brevi mitteret legatos cum uno ministrorum, qui non solum ea de re nobis senatus sententiam referrent, sed etiam inquirerent de tota ratione collegii, et ea quae desiderantur corrigerent. Nam hoc nos maxime ursimus, ut semel exactius exquireretur qui sint nobis harum turbarum autores, utque ita reprimerentur, ut et nos et senatus aliquando tandem his molestiis liberaremur, aut amandaremur, si deprehenderemur viri mali et perfidi, ut homines isti nos traducunt: alioqui nullam esse sperandam ecclesiae tranquillitatem. Speramus *Hallerum* et *Steguerum* venturos. Videntur nobis et ministri et senatus bene affecti ad eam rem quam requirimus, quamvis inter ministros non omnes nobis aeque faveant. Nam nisi quidam adversariis nimis faverent, non laboraremus. Videntur tamen nobis facti longe placatiores et iam malle mutuam inter se et nos concordiam quam nostri profligationem.

Eberhardus[3]) plurimum commendat tuam responsionem ad Interim Caesarianum, praesertim in negotio eucharistiae. Narravit de te sparsa quaedam, praecipue de quadam concione quam hic habuisti, quae ita commovit plurimos ut paene statutum fuerit te detinendum, si quando in agrum venires Bernensem. Vide quibus petamur insidiis et calumniis.

1136. 1) *Louis du Four seigneur de Bossey, senator Genevensis. De quo v. Galiffe, not. généal.* II. 126.

2) *Cuius nullum vestigium usquam relegere nobis contigit.*

3) *A Rumlang, prof. theol. Bernensis. — Concionem illam Hundeshagen p.* 224 *cit. m. Ian.* 1547 *habitam. Quod unde habeat nescimus et sane vetus fuisset historia.*

Gironus verba fecit de meo libro.[4]) Dixit, hanc esse senatus sententiam ut latinum faciam. *Hallerus* fontem malorum omnium ingenue esse fatetur sinistras suspiciones Lutheranismi et Buceranismi, quibus adversariorum opera gravor. Has inprimis esse tollendas censet. Viam hanc esse, si hac de re confessionem edidero simplicissimam et clarissimam, qua has omnes suspiciones diluam. Haec si fuero assequutus, salva fore omnia. Sequar eius consilium, quamvis valde metuam ne sit difficile quibusdam satisfacere, quibus nihil unquam satis simplex est. Conabor tamen quod potero. Tu interea tuum mihi super hac re consilium significabis, idque primo quoque tempore.

Synodum spero convocandam sub initium quadragesimae. Nemo nos Bernae nisi humanissime excepit. Spes est bona de concordia inter Helvetios. *Gironus* dixit se mirari quod literas foederis Genevenses non misissent Bernensibus paratas:[5]) sed arbitror Ludovicum *a Furno* rationem reddidisse. Scribes quos habeatis syndicos[6]) et de statu vestro. Remitto ad te *Buceri* literas quas legit *Farellus*. Reliquas tuas chartas asservavi, remissurus quum voles. Nostri te omnes salutant. Saluta meo et uxoris nomine tuam uxorem et *Fallesium*, et tuos domesticos omnes, quibus omnibus omnia fausta precamur. Lausannae 6. Febru. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1137.

VIRETUS FARELLO.

Cum Bernensibus ministris sibi et collegis iam satis bene convenit et concordia stabiliri posse videtur. Tantum insinuant illi confessionem aliquam brevem et perspicuam edendam esse quo omnes suspiciones maxime circa rem sacramentariam evanescant.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. III. N. 4.)

Fidelissimo Christi servo Guilelmo Farello fratri et symmystae quam carissimo.

Neocomi.

— — — — — — Spes nobis est concordiae cum Bernensibus ministris. Facti sunt nobis paulo mitiores qui nobis adeo adversari videbantur. Familiarius nobiscum sunt colloquuti quam antehac, praesertim *Eberhardus* et *Artopoeus*. *Iodoci* senectuti et moribus multa sunt condonanda. Si ille minus faveret hostibus nostris, salva essent omnia. *Hallerus* se semper virum bonum hactenus et pacis studiosum declaravit. Fontem malorum omnium quibus exagitamur indicavit, et quod arbitrabatur praesentius remedium. Nihil est quod nos gravet praeter sinistras suspiciones quas nobis peperit *Sultzeri* familiaritas et alia id genus, et adversariorum perfidia qui frigidam suffuderunt. Ergo huc nervis omnibus incumbendum ut hae tollantur. Viam non putat commodiorem ullam quam ut edam fidei confessionem, qua explicem clarissime et minime ambiguis verbis quid ego sentiam de iis rebus quae sunt in ministerii et sacramentorum negotio controversa. Hoc si effecero ut iis satisfaciam hac ratione, quibus veni in suspicionem, ego me et fratres omnes meos his molestiis liberavero quibuscum nobis est assidue luctandum, et adversariis atque calumniatoribus omnibus viam praeclusero. Idem paene audivit a *Gafirolo*[1]) *Ribittus*, qui asserebat, me quidem esse vitae inculpatae sed apud plurimos gravi laborare suspicione de re sacramentaria, qui hac ratione a me essent nonnihil alienati, quamvis alioqui antehac mihi fuissent amicissimi et coniunctissimi. Hoc quoque addebat, mihi eandem fuisse sortem subeundam, quam *Sultzerus*,[2]) nisi et vita inculpata, et quod essem indigena, multumque meo ministerio iuvissem ecclesiam, fuissent mihi patrocinio, et offendicula quae mea relegatio esset paritura. Intelligis quid a me desideretur, cui rei dabo operam primo quoque tempore. Sed hoc metuo solum ne sit difficile quibusdam satisfacere, quibus nihil satis unquam simplex aut clarum est, nisi ferme totum ministerium deiiciatur. Conabor tamen aliquid. Dominus spiritum suppeditabit. — — — — — Lausannae 7. Februar. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

---

4) *De la vertu du S. ministère, de quo saepius a.* 1547 *et ultima vice N.* 1064.

5) *Foedus inter utramque rempublicam in quinque annos renovatum populus Genevensis in comitiis die dominico proxime praeterito habitis, qui fuit a. d.* III. *nonas Febr. sanxerat.* (*Ruchat* V. 364.

6) *Fuerunt electi die dominico* 10. *Februarii Am. Perrin, Dom. d'Arlod, Petr. Tissot et Henr. Aubert.*

1137. 1) *Nomen nobis suspectum et fortasse corruptum. Vide an de Graffenriedio cogitandum sit?*

2) *sic.*

1138.

BUCERUS CALVINO.

Argentorati res iam ad exitum spectat, eumque ristissimum. Episcopo promissum, contra Interim praedicare nemini permissum iri. Ipse iam exsilium ibi instare videt. Etiam alibi similia.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 372, Laus. p. 184, Hanov. p. 207, Chouet p. 510, Amst. p. 233.)

Intendite preces, optimi viri et fratres, pro reiquiis ecclesiae nostrae et ministerii. Iam enim episcopo promissum est, hic non permittendum praedicari contra Interim.[1]) Vel hodie[2]) itaque vel intra perpaucos dies obsignabitur meum et praeciuorum collegarum ministerium. Sic vero res meae unt comparatae, ut quo vel primum vel postea, Dominus mihi nondum certo monstraverit: ut monsret, et ducat, mecum ores ab ipso religiose. Annos et familiam meam nosti: tum etiam invidiam atalem. Recta ad Dominum quovis genere transtus optimum. Proximum, exsilium, non plane otiosum et sterile. Nisi Dominus intercedat potenti rachio suo, exspectanda est horribilis sicut ecclesiarum vastatio, ita etiam ministrorum persequutio. Vacant enim ministeriis iam innumerae parochiae: huius pudet tamen autores calamitatis: ideo forsan ecipient consilium *Spirensis παρασκόπου* ut qui nouerint ordinari ab episcopo, aut ordinati ecclesiis uis secundum Interim ministrare, mittantur ad renos. Et iam *Moguntinus* in sua synodo constituit, mnes eos qui coenobiticam vel sacerdotalem viam professi sunt, ad eandem vi reducantur, quacunque in vitae conditione fuerint. Quid? Antichristus vult id, quod audet, sibi restituere, ut imeret omnia omnibus. Contra Christus, nec perdet x suis quemquam. Dominum itaque ardenter et ssidue oremus, ut hunc spiritu suo conficiat quamrimum, aut deprimat nonnihil, alioqui non fieret alva omnis caro. At teneri in Domino non caro, ed spiritus sunt, et in his triumphabit crucifixus. Aliquoties nunc scribitur *Landgravium* miserrimum Domino esse respectum, deflereque amare suum apsum: nullumque velle iam papisticum sacrum udire: atque scripsisse ad suos de nullo se unquam facto suo doluisse, et dolere acerbius, quam quod salutarem Christi doctrinam negarit: rogasseque illos, et esse obtestatos, ut quantum ullo modo valeant sanae doctrinae patrocinentur. Se miserum sperasse sua defectione a Domino liberationem posse impetrare ab immanissimis custodibus suis. Confido haec vera esse. Una itaque miserrimo Principi gratulamur hanc Domini misericordiam, per quem iam ante hoc bello Dominus pro suo populo multa praeclara fecit. Optime valete. 7. Febr. 1549.

Tuus Bucerus.

1138. 1) *Die* 25. *Ianuarii senatus ministris iniungi iussit per Sturmium, ne contra scabinorum decretum concionarentur, qui Interim receperant. Die* 2. *Febr. contra hoc decretum remonstrarunt et se tacituros negaverunt.* (*Roehrich* II. 202.) *Extat prolixum eorum scriptum in Archivis Thomanis. Lad.* 25.

2) *Die* 8. *Februarii senatus accepit Imperatoris et episcopi rescriptum quo iubebatur Bucerum et Fagium dimittere.* (*Roehrich p.* 205.)

1139.

INCERTUS[1]) CALVINO.

Agit maxime de fatis Brentii et statu rerum Argentoratensium, item aliorum ubique fere promulgato Interim.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 63.)

Doctissimo atque integerrimo viro D. Iohanni Calvino verbi ministro apud Genevates.

Salutem in Domino. Scripsi ante unum aut alterum mensem, doctissime *Calvine*, tibi atque *Bonivardo*, et ostendi quae dubia me distinerent in genealogia ducum Sabaudiae, sed hactenus nemo vestrum de his me reddidit certiorem. Ego tamen facile coniicere possum utrumque maioribus occupatum negotiis, quam ut bonas horas in his naeniis perdatis. Puto te scire *Brentium*[2]) nuper Magdeburgum in Saxoniam vocatum, atque per ducem *Christophorum* Wirtembergensem, comitem Montis Beligardi, clanculum abductum et, ut puto, iam adiunctis equitibus aliena veste amictum in Saxoniam missum. Scripsit ante octavam hoc ex Lipsia studiosus quidam Basiliensis natione, Saxones nullo pacto subscribere velle interimistico decreto et propterea eos bellum exspectare. Confirmet eos Deus et

1139. 1) *Sleidanum autorem suspicatus est vir doctus aliquis, verum huius non est manus, neque ex Basilea is scriberet et de Argentoratensibus aliter scripsisset. Neque magis de Sulzero cogitamus, cuius Sabaudicae genealogiae minime intererant.*

2) *Brentium fuga Basileam se recepisse supra legisti* (1081). *Ibi nuncio allato de morte uxoris m. Nov. defunctae, incunctanter Stuttgardiam recurrit spreto periculo, ut liberis consuleret. Tum dux Ulricus eum c. familia in castellum Hornberg deduci iussit ubi per integrum annum securus delituit.* (*Hartmann u. Jaeger, Brentz* II. 187 *ss., Hartmann, Brentz, Elberf.* 1862 *p.* 208). *Quae ergo hic narrantur non ex omni parte vera sunt.*

roboret sua virtute. Argentinenses [3]) claudicant et iam fere collum episcopo suo submiserunt, uno aut altero articulo adhuc ab illo dissentientes: concionatoribus interim strenue reclamantibus et populum ne consentiat monentibus. Senatus noster passus est ante 15 dies legatum pontificis Basiliensis cum Interim apparere coram se, episcopo excusante se, se id agere ad quod scriptis literis a Caesare coactus fuit. [4]) At nullum datum fuit responsum, sicque omnia adhuc haerent, *Myconio* atque *Valentino* [5]) concionatoribus extremis viribus obsistentibus ne Satanae consilio acquiescatur. Laborat tamen modo *Myconius* morbo suo familiari [6]) in decimum diem. Bene vale. Basileae, undec. Februarii. [7])

Tuus S.

1140.

TOSSANUS CALVINO EIUSQUE COLLEGIS.

Quo in discrimine sint res suae et collegarum misso principis decreto docet, quaeritque utrum ipsi perseverandum sit an abeundum. Simul Argentoratensium sententiam adscribit.

(Ex autographo in Archivis Ven. Coetus pastorum Genevensium asservato et inserto Vol. I. Actorum p. 64, sub hoc titulo: Exemplar literarum Petri Tossani ecclesiae Mombelgardensis pastoris ad D. Calvinum, Farellum, Viretum et eorum collegas.

S. P. Colendissimi fratres, vos ex scripto quod nunc principis et fratrum hic verbi ministrorum nomine ad vos mittimus, facile intelligetis quo in loco sint res nostrae. Nam ego, quantumvis alias vilis et abiectus peccator, mori mallem quam quidquam designare quod scirem gloriae Domini adversari. Et quanquam videam evangelii hostes mihi modis omnibus insidiari, meque hic sine magno vitae periculo diutius haerere non posse, ut quem iam Bisuntinus administrator [1]) literis ad principem nostrum scriptis tantum non ad mortem exposcat, utpote, quemadmodum scribit, Caesaris mandatorum infractorem: tamen si pii et docti viri iudicarint me bona conscientia haerere posse, idque ad gloriam Dei pertinere, non gravabor pro ovibus meis, si ita Domino Deo visum fuerit, animam impendere. Nam *Brentius* hic fuit aliquamdiu apud principem, [2]) et putat me rem Christi servo indignam facturum, si in conditione oblata non consistam. Ut super ea re quoque Argentinensium [3]) et Basiliensium sententiam expetamus. Et quanquam nulla mihi spes sit, ut me hic diu vel solum concionantem ferant adversarii, tamen quum nihil intentatum reliquerimus, erimus coram Domino Deo excusati, et videbunt princeps, populus et consiliarii per me non stetisse, quominus hic verbi ministerium conservatum fuerit.

Optime valete, fratres colendissimi, quos etiam oro ut mihi privatim significetis an minister aliquis aut alius cuiquam bona conscientia consulere possit, ut infantes suos pueris* baptizandos ferat. Item an minister ministerio suo in totum privatus et a principe aut ecclesia rogatus ut nihilominus subsistat, quamdiu per Dominum licebit, id bona conscientia facere possit. Iterum valete in Domino Iesu et me sanctis vestris precibus adiuvare pergite, quos precor ut Dominus Deus ecclesiae suae sanctae conservet. Mombelgardi 12. Febr. 1549.

Vester in Domino
Petrus Tossanus.

Observandi fratres, quum epistolam hanc ad vos scripsissem et solliciti essemus de nuncio quem Argentoratum miseramus, qui aquarum inundatione impeditus fuit, per eum tandem nobis allatum est fratrum illic verbi ministrorum responsum, cuius exemplum ad vos mitto. Et quanquam fratres ministri Basilienses communi consensu sententiam suam nondum miserint, tamen quidam ex illis, et Martinus quoque *Cellarius,* [4]) sunt in Argentinensium sententia. Ut comes *Georgius* a Wirtemberg [5]) hoc ipsum consulit. De caeteris ministris, qui per consiliarios ducis senioris verbi ministerio privati sunt, quum illis pius princeps *Christophorus* ad menses sex vel octo stipendia numerari curaverit, permittens ut in ecclesiis suis maneant, ac saltem doctrina privata et consolatione aliqua ex parte ovibus consulant, non eram in ea sententia ut desertis ecclesiis suis alio statim se conferrent et alios sine necessitate gravarent. Quare Argentinensibus quoque scripseram ut super ea re sententiam mihi

---

3) *De his habuisti accuratiora in ep. Buceri.*
4) *Cf. Kirchhofer, Mycon. p.* 368.
5) *Val. Bolzium, adhuc iuniorem aetate et plebi pergratum laudat idem l. l. p.* 367.
6) *podagra, ib. p.* 375.
7) *Annum certissimum adscribes* 1549.

1140. 1) *Granvellae archiepiscopi vicarius.*

2) *Christophorum, qui Brentium ab eo inde tempore multi fecit et quum ipse patri successit in altiore loco posuit.*
3) *N.* 1135.
4) *alias Borrhaus.*
5) *Tunc temporis Richovillae administrator, cui Christophorus a.* 1553 *Monsbelgardiam concessit.*

privatim perscriberent. Quorum verba sic habent: „Concorditer omnes collegae statuunt, ministrum a publico ministerio remotum, nisi alibi ad publicum munus vocetur, vel alias plus fructus Domino alibi se ferre posse videat, debere ecclesiam suam vel privatum monere, siquidem id ei liceat ut verbi ministerium gregi Domini, dum non potest publice, praestet privatim. In hanc sententiam inducunt nos eaedem rationes quas attulimus de tuo ministerio verbi publico tuae ecclesiae non subtrahendo, cametsi sacramentorum ministerium tibi adimatur. Gregem enim Domini fidus eius minister diligit et cura sua prosequitur usque in finem.“ etc.

1141.

HOPERUS CALVINO.

Orbis Europaeus totus in peius ruit et periturus est, et prisca oracula implentur. Quae tamen et ipsa pios sustinere possunt.

(Ex autographo Cod. Gen. 109, fol. 185. — Inscriptio non adest, et literatura satis intricata.)

S. P. Accepi literas tuas, vir praestantissime, datas Genevae 21. Ianuarii, ex quibus intelligo te coniecturam facere, literas et librum tibi a me missa fuisse. Recte et vere coniicis. Quod nomine carebant, causas tum ..... [1]) sperabam fore ut apud vos excuderetur. Sed video patriam totam in metu esse propter illum unum qui pedes luteos habet, non qui vera est bestia, frater* qui imaginem bestiae induit, qui totum ius sibi vindicat, quod nunquam obtinuit nec obtinere poterit. Vera sunt Danielis verba, vera quae Iesus Christus revelavit servo suo Ioanni. Nemo futurus obtinebit unquam provinciam cum imperio quam ipse molitur, et non solum provinciam, sed totam terram quam lunae cursus ambit. Horresco referens, nihil habet occidens praeter nomen romani imperii. Res ipsa eisdem gradibus quibus creverit defecit. Et in Asiam rerum summa potestas ad hostes Dei crucisque Christi inimicos revertitur, dum Christiani mutuis vulneribus cadunt. Saepe cogito de verbis Lactantii lib. 7: Peragrabit gladius orbem metens omnia et tanquam messem cuncta prosternens. Cuius vastitatis et confusionis haec erit causa, quia romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, sed dicam quia futurum est), tolletur de terra et imperium in Asiam revertetur, ac rursus oriens dominabitur atque occidens serviet. Nisi certam haberemus, vir praestantissime iuxta ac pientissime, promissionem Dei, ecclesiam veram ad finem usque mundi permansuram in terris, iuxta Christi verba: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, metuerem interitum ministerii verbi Dei. Qui evangelium profitentur tam petulanter et perdite vivunt, quam* Dominus diutius nostrum ingratitudinem ferre noluit. In Anglia, ut nuper intellexi per literas Richardi *Hilles* [2]) (hominem nosti), ubi evangelium adhuc in herba est in his qui maxime evangelio favent, abundat pelagus scelerum. Sic scribit: Nisi poenitentiam egerimus, brevi perituri sumus omnes. Alii principes et status mundi, qui regi locustarum subserviunt, foedera cum ethnicis ineunt ut bella gerant cum populo Dei. Caeterum alii, qui bene volunt et honeste vivunt, tanto timore sunt perculsi, ut propter ignaviam temere fere desperent, ubi crudelissima mors servituti et turpitudini anteponenda est. Quaenam* est sors et vera conditio, quam qui sentimus, etiam si optimum sit, tamen invidiae metu non audemus dicere.

Haec non scribo, doctissime *Calvine*, quod a cupiditate vindictae aut libidine nocendi vincor, quam a christiano viro longissime abesse oportet, sed nostrarum miseriarum frequens memoria ad meliorem vitam me provocat ut ad ardentiores preces, quae non solum aliquando languescunt, sed, quod peius est, exstingui solent, me commoveam; ut Deus pater optimus maximus avertat omnia quae turbant et inquietant statum religionis ac reipublicae, et praesidium sancti spiritus adversus eos qui Christi gregem persequuntur implorem. Tibi, ut possum, quam maximas habeo gratias quod tam pio animo meam tuleris audaciam, et quod tantum oneris mea causa suscipere voluisses nisi temporis calamitas obstitisset.

Quod D. de *Valeys* [3]) vere et ex animo offensas remisit, si quae inter nos fuissent, habeo ei ingentes gratias. De hac re nihil unquam dubitavi. Scio caritatem Christi in pio viro non posse alere inimicitias, sed facile sedat discordias, facile delicta proximi tegit ac condonat. Errore ac humana infirmitate deceptus, iudicium meum in illis controversiis non sapiebat christianam caritatem, nec appetitus, ut par erat in modesto viro, rationi parebat, quo nihil est ad officia conservanda, ut Cicero ait, accommodatius. Illa malae fidei virgo *Villerfey* [4]) me fefellit, quod nuptias coram me non

1141. 1) *vox dubia.*

2) *N.* 1113, *et* 1080. *Fuit mercator non indoctus qui plures annos Argentorati commoratus postea saepius Bullingero subsidia misit quibus exsules Angli sublevarentur.*

3) *de Falais.*

4) *Mademoiselle de Willerzy.*

negaverat, quod fieri omnino inter liberum hominem et liberam mulierem absque consensu et iudicio ecclesiae posse iudicabam, et adhuc iudico. Ecclesia confirmat quod prius consensu utriusque partis Deus habuit ratum. Et mulier sub nullius erat potestate, libera a parentum potestate morte naturali, aliorum omnium consanguineorum ac amicorum vinculum et potestas desierunt morte civili, quia virgo legibus imperialibus per sententiam deportationis desiit esse sub parentum potestate, et prius maximam capitis diminutionem patiebatur, quam ipse quidquam cum illa de connubio egerit*. Sed iam utrique* aliis connubiis sese adiunxerit, fit ad gloriam nominis Dei.

Rogo tuam humanitatem ut meo nomine dicas D. de *Valeys* et uxori suae, si unquam aliqua in re meum obsequium usui esse poterit, habebunt me ad quodvis paratissimum. Dominus Iesus te servet in pace et gaudio. Amen. Tiguri 12. Februarii [5]). Uxor mea omni honore et reverentia te resalutat.

Tuae praestantiae amantissimus
Jo. Hoperus.

Salutabis, quaeso, meo nomine D. *Raymundum* ministrum verbi Dei et omnes Anglos qui vobiscum sunt.

1142.

VIRETUS CALVINO.

Praeter varia privata negotia agit maxime de synodo propediem Bernae celebranda petitque ut Calvinus Hallero suam de tractandis ibi rebus perscribat.

(Subiuncta est in omnibus Codd. praecedenti eiusdem ad eundem, supra N. 1136 exhibitae, scil. Cod. 111a, f. 82, Cod. 116 f. 110, Bern. p. 975, et Simler. 69.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. *Hallerum* audivimus huc ad diem dominicum proximum [1]) adventurum. Sum in hac sententia ut tuam de synodo ad eum perscribas sententiam, perinde ac si tu synodo esses praefuturus, et omnia propositurus, quae in ecclesia desiderantur. Nam postquam id ipse ultro abs te postulat, commoda se offert occasio. Sed metuo ne serius scribas. Audio enim iam de die et loco et iis quae in ea agenda sint statutum esse a senatu, et ordine quam sequuturi sunt. *Heberhardus* [2]) narravit cuidam qui inde heri rediit, praefixum diem Martis qui sequitur dominicum diem quem vocant Invocavit [3]). Hac enim usus est appellatione. Primum esse arbitror quadragesimae dominicum diem. Contra quam suspicabamur audio Germanorum praecessuram synodum: nam is illis est dies statutus, quamvis an indictus sit nesciam. Nostra mox sequutura est, Bernam quoque convocanda. A moribus ministrorum auspicandum esse censent. Eorum haec est ratio quod plurimi sunt tam perditis moribus ut indigni sint qui de doctrina suam dicant sententiam. Quo sint reliqua ordine persequuturi nescio. Sperabam *Hallerum* cum reliquis eius symmystis, aut saltem ipsum, hac de re latius nobiscum commentaturum: sed falsus sum. Nescio an id acciderit, quia nondum finis erat causae nostrae impositus, aut quod se brevi huc speraret venturum. Quamvis autem suam iam ad senatum de agendae synodi modo sententiam retulerint, proficeret tamen plurimum si tuam quoque sententiam *Hallero* significares.

Ego in ratione edendae confessionis sequar tuum consilium [4]). Quod scribis te damnari temeritatis propter tui nominis inscriptionem [5]), nihil tale audivi Bernae. De Argentinensibus quid ab *Alemanno* acceperimus socer fratris referet. An certa sint nescio. Literas *Roberti* [6]) nondum remitto, quia non licuit cum fratribus communicare. De vestris syndicis quid scribam nescio. Sunt quidam non malae spei. Si qui se gesserint insolentius, Dominus qui superbis resistit viam qua deiiciantur inveniet. Imo vero tum maius ipsis imminet periculum, quando celsiore in loco sibi videntur consistere et magis insolescunt. Si tibi certandum est, nihil novi tibi accidet. Graviora nos manent certamina, sed Dominus aderit.

Valde sollicitus sum uxoris tuae causa, cui multam dices salutem meo et meae nomine, quae te quoque amantissime resalutat. Salutant et collega et fratres

5) *Mense Martio* 1549 *Turicum Hoperus reliquit. Fallesius autem demum a.* 1548 *Genevam venerat, ubi iam Calvinus eum Hoperi nomine salutare poterat. De anno ergo non dubitandum.*

1142. 1) *d.* 17. *Februarii.*

2) *a Rumlang.*

3) *Quum Pascha eo anno inciderit in d.* 21. *Aprilis, dominica Invocavit fuit* 10. *Martii.*

4) *Patet ex his et sequentibus hic aliquam Calvini intercidisse, cf. N.* 1136.

5) *Loquitur de libello contra Interim edito, quem Calvinus ipse Genevae edi posse dubitaverat.* (*N.* 1100).

6) *Robertos habuimus plures: Orbanum qui et Louat, Lugdunensem* (*N.* 1067) *et R. Simonem Tornacensem V. D. M. in Bex.*

reliqui omnes, inter quos annumerato *Franciscum* Viviacensem et *Tornacensem*. *Tornacensis*, si non gravareris, vellet fratri *Girardo* significare, sibi non licere hoc tempore ab ecclesia sua abesse, sed optare potius ut, si *Girardo* liceret, Aquilaeam usque se reciperet. Saluta *Fallesium* et uxorem nostro omnium nomine, quibus gratulor firmiorem valetudinem. Vale, amantissime frater, cum tuis omnibus, inter quos *Hotomannum* et *Gallasium* inprimis cupio salutari. Lausannae 14. Febr. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1143.

POLLANUS CALVINO.

Multus est in vindicando suo nomine et fama contra varias quibus eum Fallesius notaverat accusationes. Offert Calvino quasdam opellas quibus studiosi in legenda Institutione adiuvari possent.

(Ex autographo Cod. Gen. 112, fol. 220.)

Clarissimo Christi servo D. Ioanni Calvino praeceptori ac parenti in Domino colendissimo.

Genevae.

S. P. Quam mihi displicuerit *Fallesii* controversia [1]), testis est Deus apud meam conscientiam. Idque quum ob multas causas, tum quod videbam meum ministerium impediri, et me excludi deinceps vestra consuetudine, qua nihil erat optabilius. Hoc vero unum me consolatum est, quod multa praeter meritum patiebar, ac proinde hactenus in unius Dei misericordia et iudicio infallibili acquiescebam. Verum tandem coepit iactura vestrae consuetudinis et ministerii mei remora displicere, adeo ut, quamvis hactenus veritus sim ne praeiudicio aliquo literae meae parum apud vos loci habiturae essent, nunc deposito pudore ac metu omni, aut suspicione potius, ad te scribere instituerim, ut tandem aliquando perspectam habeas meam in colenda pietate constantiam. Nam qui peccare non possim, eum me esse nunquam putavi. Utinam omnes ita de se persuasum habeant, et id quoque ita exerceretur ubi declamatur, puta, si frater peccaverit, non statim pro derelicto habeatur, sed ad meliorem frugem potius revocetur. Utinam intelligeremus cur Paulus Corinthiorum nimiam severitatem tam severe reprehenderit. Ego vero non minorem hodie apud quosdam expertus sum quum tamen nullius manifesti flagitii arguerer, nisi quod ita dignus uni *Fallesio* videbar, quo animum suum expleret meo exitio. Non repetam altius quidquam: in iis tantum morabor quae post iudicium factum improbe acta sunt. Accusaverat fractae ac violatae fidei. Sed quia id vanum mendacium fuisse comprobavi testimonio D. D. Basiliensium, nunc praetereo. Utinam vos exemplo ecclesiolae nostrae per hominem certum id ita explorassetis. Tum quorundam in scribendo et accusando levitas deprehensa fuisset. Pergit deinceps me *Fallesius* de repetundis accusare. Atqui miror (nescio quid dicam, non enim libenter dedecus illius detego), sed miror quanam conscientia id faciat, quum non ignoret 500 ducatos nunquam acceptos a *Billocarto*. Eius etiam syngrapha apud me est. De aliis porro cur non ita ut Christianum, saltem ut nobilem, saltem ut hominem decet, mecum agit? D. *Emmanueli*, [2]) de re pecuniaria si quid esset controversum, responderat nos inter nos transacturos per literas aut coram. Conditionem accepi, nisi quod ad eum accedere recusavi, tum ob multas causas, tum quia eius morem novi, a quo facilius excludare, si ita in ruentem veniat, quam a principe aut regulo aliquo. Itaque non ferebant res meae ut iter, ita temporis iacturam, facerem. Deinde nihil facilius quam per literas finem aliquem facere. Itaque scripsi aliquoties et mentem meam aperui. Si velit fideliter omnes meas literas ostendere, credo factum meum non reprehendes. Ministrorum Christi iudicium nullus fugio. Sed haec controversia non eorum fori videtur. Deinde ut sit ita, visum est consultius (posteaquam nullis precibus aut argumentis principio averti potuerit quin ad civilem magistratum referretur, et recusarit tum etiam ministrorum iudicium in controversia etiam alia quae propius ad eorum iudicationem pertinebat), visum est, inquam, necessarium per eosdem viros reliquam ac fere postliminio reversam controversiam iudicari. Nam illi iam quaestum aliquem habebant, et aequum videbatur eos nostrae concordiae atque innocentiae conscios esse. Scripsi itaque saepius ad *Fallesium* me stare iis quae ad illum ante aliquot menses scripseram Bruxella et Mechlinia: responderet ad haec, tum, si quid addendum videretur, facerem et permitterem ipsi arbitrorum 4 ex senatu Basiliensi delectum. Credo hanc iustam et honestam fuisse rationem. Quid obstiterit ignoro. Miror autem cur non potius hoc susceperit, aut me hic iure persequi maluerit, quam conviciis et calumniis apud omnes homines. Petebam insuper ut, quum de me nimis

---

1143. 1) *Cf. maxime epp. m. Maio* 1547 *scriptas, tum eas quibus per Fagium reconciliationem quaesiverat* (*N.* 972. 974).

2) *Tremellio, ut videtur.*

nugacia et impia scripsisset, vel comprobaret vel elueret. Habeo enim literas et testimonia quibus eum convincam quod me desertae coniugis[3]) et alterius hic ambitae detulerit, et hodie etiam pergit infamare tanquam scortatorem et adulterum. Haec recte aut probanda illi sunt, aut mendacii se coram Deo reum agnoscat. Nam certe ipse non supra Deum est neque supra ecclesiam. Sunt alia praeterea de quibus peto iudicium. Haeccine iniqua petitio? Nunquam hactenus *Fallesii* famam aut fortunas laesi, sed auxi quantum potui, etiam periculo capitis. Nunc cogor facere quod ad innocentiae meae testimonium pertineat. Apud fratrem me accusavit quod inter ipsos discordias sererem. Atque eius literae apud me supersunt, quibus illum mihi suspectum homicidii facit. Sic apud avunculum comitem a *Nova aquila*[4]) infamavit. Ego vero literas ipsius ostendam, quibus ipsum et filium accusat duplicis animi et parum integrae fidei. Ego certe, quum iam audio sic meam innocentiam apud tam honestos dominos violari, an desinam ostensis eius literis ipsum arguere quasi innatae maledicentiae? ne silentio scilicet meo ipsius calumnias comprobem. Hactenus tamen distuli. Sed iam non fert amplius tam atroces iniurias patientia nimis oblaesa. Antea quam tamen quidquam aggrediar, volui te per literas convenire et rogare ne dissimulando vel illius vitia pro iustitia sustineas, vel me immeritum ita praeteriri et contemni sinas. Si vera essent quae *Fallesius* falso mihi inurit, certe dignus essem fustuario et atrocissimo supplicio. Itaque ferre amplius non possum etiam secundum conscientiam. Nam hoc tibi testor coram Deo me nihil per vindictam hic agere. De pecuniaria re nihil magis volo quam ut illi toties scripsi: res per arbitros constituatur et desinat maledicere, et aliorum maledicorum impudentiam fovere. Hoc tute scis alienum esse ab ea pro sua quam sustinet. Quam porro hic operam debeas, quid opus est te monere, quum nos ex tuis scriptis quod sancto in negotio officii nostri sit discamus? Rogatum te igitur venio ut primum omnes offensas mihi remittas parato omnem castigationem ecclesiae in me recipere, iuxta Dei verbum, si quid in re deliquero. Nam non aequum est tolerari apud nos quod hactenus malevoli quaedam convicia in me iactarunt. Deinde ut cum *Fallesio* agas et ad aequitatem illum adducas. Pete literas omnes quas illi abhinc sesquiannum scripsi. Si fideliter proferat, spero te aliquid iudicaturum. Si paruissem consiliis quorundam amicorum, ipse aggressus fuissem. Sed satis per nos turbarum fuit. Utinam *Fallesius* velit ad ecclesiae pacem respicere, et odiis ac maledicentiae finem facere. Sunt apud me alia scripta quae, nisi cito transigat, cogar de manu mea in aliam deponere. Non diutius immorabor. Nam tute intelliges facile rem omnem, si velis ad cognoscendum tete applicare. Quod ut facias, te per Christum rogo, ut aliquando tandem qualicunque meo damno possim ad ecclesiae ministerium aliquod redire, et pristina vestra consuetudine frui ad gloriam Dei et ecclesiae fortasse nonnullam utilitatem.

Salutem, oro, dicas omnibus symmystis et optimis fratribus, inprimis D. de *Parray*[5]) et uxori eius. Uxor mea te plurimum salutat et uxorem tuam cum D. de *Paray*. D. *Fallesio* et uxori eius opto omnem felicitatem et omne officium polliceor. Dominus det pacem ecclesiae suae publice et privatim. Argentinae, 15. Febr. 1549.

Tuus observantissimus discipulus in Christo
V. Pollanus.

Haec scripsi admodum celeriter. Rogo condones si quid erit minus recte. Et da hoc tui studiosissimo ut brevi responsum aliquod accipiam.

Intelligo te novam editionem cogitare Institutionum. Ego quas habeo diligenter legi et emendavi typographi errata et etiam annotavi locos ad marginem. Deinde etiam excerpsi in indicem locos omnes scripturae vel allegatos vel expositos, in usum studiosorum, ut discant et habeant quasi in promptu rationem applicandi scripturas. Si quid praeterea possem obsequi polliceri aut praestare, rogo tibi de me sic persuadeas, me eum esse quem totus velim immori servitio ecclesiae Dei.[6]) Rogo deinceps redeam in vestram familiaritatem.

D. *Raymundo*[7]) dicas, oro, salutem. Optarem eius literas. D. *Fallesio* non scribo: non per contemptum, sed quia meas literas ab ipso contemni video. Et spero te iam a me appellatum posse commodiorem concordiae viam excogitare. Quam rem tibi ex animo per Christum commendo. Novarum rerum nihil a me, quia alii (non dubito) scribunt. Dominus Iesus det ut aliquando fruar hac felicitate, ut meas literas apud te locum habituras possem persuaderi.

3) *De hoc crimine antea nihil.*
4) *Neuenaar, falso translato nomine.*

5) *Alias Paré, vide N.* 881. 912. 915 *etc.*
6) *Pollani opera et studio usum esse Calvinum in ed. anni* 1550 *haud facile nobis persuaserimus. Non tamen praetereundum, hanc revera talibus additamentis ditatam fuisse, de quibus vide quae diximus in Prolegg. Opp. Tom.* I. *pg.* 37.
7) *Chauvet.*

1144.

MUSCULUS BLAURERO.

De Calvini libello contra Interim.

(Ex autographo Bibl. civicae Sangallensis MS. 35 (epp. VI.) n. 227. — Apographon recentius habetur in Bibl. civ. Turic. F. 43. olim Arch. Hottinger. VIII. p. 687.)

Ornatissimo viro ac fidelissimo Christi ministro D. Ambrosio Blaurero domino ac fratri longe carissimo.

Emi hic responsionem *Calvini* contra infaustum illud et abominandum Interim, cuius apud me iam sunt, praeter illud quod mihi servo, duo exemplaria. Dabo illa M. Heinr. *Bullingero*, ut ad te per occasionem mittat. Tu illis utere, vel bonis viris utenda tradito, sicuti videbitur. — — — — Tiguri 15. Febr. 1549.

W. Musculus tuus in Domino.

1145.

MINISTRI GENEVENSES MONSBELGARDENSIBUS.

Consilium rogati iis dant, quid in praesenti discrimine agendum sit, salva conscientia, exponentes.

(Describimus ex Actis Ven. Ministerii Vol. A. p. 66. Edidit Beza Genev. p. 317, Laus. p. 185, Hanov. p. 208, Chouet p. 435, Amst. p. 199 sed multis locis variatam. Apud eum addita est inscriptio quae simul argumentum exhibet. *Responsum ad quaestionem D. Tossani ministri Monsbelgardensis, si sacramentorum administratio ministro interdicetur.*)

Qua de re rogati sumus a fideli Christi servo et optimo nostro symmysta Petro [1]) *Tossano*, nos invocato ut oportuit Dei [2]) spiritu ita respondendum censuimus. Primum videmus duas potissimum rationes esse, quae *Tossanum* sollicitent ad migrandum. Nam quia sacramentorum administratio illi eripitur [3]), quae pars est ministerii, quo hactenus functus est in ecclesia Monsbelgardensi, ita se munere abdicatum existimat. Deinde quia dimissi sunt reliqui fratres, quos in eadem functione habuit collegas, veretur ne locum docendi retinendo, multis offensionem pariat: ac si se ab illis disiungat, quibuscum fuit illi vocatio communis, ac multi interpretentur privatis eum rationibus potius consulere, quam publico ecclesiae bono. Quum ante mensem [4]) nos consuluissent omnes simul fratres, quidnam sibi agendum esset, ita respondimus. Ut proditor est qui volens cedit, ac stationem deserit suam: sic resistere ubi vi cogimur, nostrum non est, nisi forte nos ad subeundum discrimen nominatim vocaret ecclesia. Vestra autem ratio longe diversa est. Nam quamdiu fuistis pastores, non defuit gregi vestra sedulitas ac sollicitudo. Nunc quum perseverandi studium nihil profuturum sit, ac ne oves quidem ipsae, quibus obstricta est vestra fides, sibi utile censeant vos ultra tendere, perfuncti sane estis. Haec exceptio si recipitur, soluta erit prior difficultas. Flagitatur enim *Tossani* opera, tum ab Illustrissimo Principe *Christophoro*, tum ab ipsa plebe. Ergo quamdiu ecclesiam habet cui prodesse queat, si eam deserat, non videtur rite neque ex officio facere. Si hac conditione retineretur, ut liberam pure sincereque docendi facultatem nefaria aliqua pactione, ut alii permulti fecerunt, sibi minueret, centies mori praestaret, quam docendi [5]) locum tanti redimere. Sed nunc ubi integra Christi confitendi libertas permittitur, nulla est causa cur se eximat. Quod autem ministerii sui parte aliqua privatur, tametsi dolenter ferendum est, non tamen ideo in totum liberata est eius fides erga ecclesiam, sicuti nec penitus abdicatus est suo munere. Nam si pastoris munus omni ex parte explere nequeat, magnum tamen est, si doctorem praestet. Et quum sacramenta veluti accessiones verbi sint, illis sublatis verbum etiam cuius praecipuae sunt partes ultro abiicere, nimis absurdum esset. Prudenter itaque venerandi fratres nostri ecclesiae Argentinensis pastores admonent [6]), ecclesiam ad tempus foveri verbo posse, utcunque sacramentis careat. Si *Tossano* hactenus nulla cum ecclesia Monsbelgardensi necessitudo fuisset, magnopere illi optandum foret, ut ad liberum docendi munus, nullo adhuc concesso sacramentorum usu admitteretur. Imo suum illic ministerium hac ratione auspicatus est, et aliquamdiu doctoris personam sustinuit, priusquam obtineret quaecunque sunt ex pastoris officio. Nunc quia potestas tenebrarum eousque invaluit, ut per suos eripiat Satan quod hactenus habuit Christi beneficio, quid superest nisi ut ad priorem illum cursum redeat, fidelemque docendo et monendo operam impendat, donec quae nunc collapsa sunt rursum

1145. 1) *Praenomen om. edd.*
2) invocato Domini spiritu *Edd.*
3) *Quod quidem Tossanus futurum metuebat, sed vano timore.*
4) *N.* 1123.
5) dicendi *Edd.*
6) *N.* 1135.

Dominus instauret? Olim quum tyrannorum saevitia expulsi essent suis ecclesiis sancti pastores, clam tamen eas visitabant ac interdum etiam habitu militari, ut refert Eusebius. Quare haec facultas, quae *Tossano* datur, multo minus repudianda est, ut quibus hactenus fuit pastor nunc se doctorem exhibeat. Ita munus obibit Deo probatum, et ecclesiae salutare, utcunque dimidia pars solitae administrationis sit ablata. Huc pertinent prophetarum exempla, qui templo everso et erepto ad tempus sacrificandi ritu docendi tamen partes exsequi non destiterunt. Haec fuit quidem ipsorum querimonia: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? quum tamen hoc populo carmen dictarent, ita obibant docendi munus. Ita ubi violenter spoliamur sacramentorum usu, adeo non debet pastor relicta statione abiicere docendi curam, ut tunc [7]) maxime instare debeat, et quodammodo docendi studium et assiduitatem duplicare, si liceat. Sic ergo statuimus: dum ita privatur *Tossanus* sacramentorum ministerio, ut tamen Illustrissimus princeps docendi locum illi offerat, et populus flagitet eius operam, non esse hoc genus missionis, quod fidem eius liberet, quin doctoris officio incumbere debeat, quamdiu pure [8]) docendi libertas concessa illi fuerit. Nec tantum iudicamus hoc expedire, sed omnino necessarium ducimus, nisi a Dei vocatione cui hactenus paruit subducere se volet. A quo consilio quia certo persuasi sumus eum toto animo abhorrere, non difficulter adductum iri confidimus ut maneat. Porro quod timet, ne improbi iactent ventris potius cura retineri ipsum, quam aedificandae ecclesiae studio, ea sane suspicio, quantum in nobis est, sedulo est cavenda. Verum si eum adstrictum tenet iustae vocationis religio, sicuti nos sentimus, qualiscunque futura sit hominum opinio: constanter tamen pergere in eo debet, quod intelligit Deo probari. Nos quidem satis experimur quanta sit saeculi nostri ingratitudo. Quanquam hoc quoque incommodum senserunt omnes Dei servi, ut benefaciendo male audirent. Sed hodie magis quam alias unquam regnat hoc vitium. Itaque non debet exspectare frater noster *Tossanus*, ut omnibus probet quod summa religione instituerit, etiamsi nullum mortis periculum recuset. Erunt semper ignavi et nihili homines, qui desidiae suae taedium fallant eum calumniando. Nec vero, si oblatam sibi aedificandae ecclesiae facultatem [9]) non respuit, ideo se disiungit a fratribus suis, qui ea privantur. Quin potius eum hortari fratres debent, ne quod residuum est lucis, patiatur sua culpa exstingui. Hoc enim servos Christi decet, quo magis os sibi obstructum vident, studere modis omnibus atque adniti, ut in aliorum linguis resonet pura evangelii doctrina, et eorum voce suum [10]) silentium quasi sarciatur. Nunc Deum oramus, ut quemadmodum fideliter consulimus fratri nostro *Tossano*, quod arbitramur ex re ecclesiae esse, ita ut eius animum confirmet ad subeunda fortiter certamina quae illi proposita esse cernimus. Non miramur si sanctus vir [11]) in rebus tam impeditis animo perplexus haereat. Non miramur etiam, si in hac subita ecclesiae dissipatione, variae eum cogitationes agitent. Non miramur postremo, si in hac temporum iniquitate, tamque perversis ac malignis hominum iudiciis aestuat atque alternat in hac deliberatione, dum satisfacere omnibus cupit. Sed illi non vulgariter [12]) gratulamur, quod suas omnes cogitationes, omniaque studia in unum hunc finem dirigit, primum ut Deo obsequatur, deinde ut se totum ecclesiae impendat. Hoc singulare est Dei donum, quod nihil aliud spectat vel cupit, quam ut conscientiae suae tranquillitati sit consultum. Quod autem sibi proprioque iudicio diffidens, fratrum consiliis permittit se regendum, in eo piam ipsius modestiam, ut par est, exosculamur. Et nos certe hic non aliud sequuti sumus, quam quod Dominus ipse spiritu verboque suo dictavit: quemadmodum hunc sumus auspicati, ut mentes linguasque nostras gubernaret. Atque huius modestiae fructum, ut speramus, non poenitendum feret, quod vocationis suae certior factus, ad sustinendos quosvis impulsus longe erit instructior: et fretus piorum autoritate, minus erit obnoxius calumniis improborum. Infirmis certe satisfactum erit ubi intellexerint, ideo stetisse ipsum in sua ecclesia, ut fratrum consiliis acquiesceret. Iam praeter ecclesiae respectum, nos quoque [13]) plurimum movet cordatissimi principis religio, quem sic videmus affectum ut nihil omittat quo saltem pars aliqua regni Christi salva in ipsius ditione maneat. Haec heroica animi magnitudo, quum illi coelitus data sit, eam pro sua virili adiuvare *Tossani* officium est. Nos quoque brevi fore speramus, ut viam aliquam per quaecunque obstacula inveniat Dei benedictio, ad promovendum tam praeclari instituti cursum, ne successu tandem careat. Genevae undecimo Cal. Martii 1549.

7) hic *Edd.*
8) pure *om. Edd.*
9) occasionem *Edd.*

10) ipsorum *Edd.*
11) sanctus vir *om. Edd.*
12) non vulgariter *om. Edd.*
13) quam *Edd.*

1146.

CALVINUS VIRETO.

Etiam hic consultationes praeliminares de futura ynodo. Nova ex Germania.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 18. — Edita est a Bretschneidero p. 25.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Viieto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. *Hallero* per hunc nuncium scripturus eram, isi me aliae scriptiones impedissent. Nunc quia ion possent Lausannae ipsum meae literae conseui, supersedere satius iudico, donec intellexero uales de synodo vestrae colloquutiones fuerint. am enim, ut video, festinatione opus non est. *Bulingerus* in ea est sententia ut fratres omnes eum [1] senatu Tigurino postulent. Tempestive eius rei aentio abs te in synodo iniicietur: sed prius moendi erunt fratres. Si utile esse putas me istuc enire, ut inter nos sit plenior communicatio, tanum indica. Sed non sum venturus nisi consulas. *Munsterus* [2] mihi scripsit, in Saxonia esse non parum belli motum, quia adulterinam deformationem onstanter repudient. *Brentius* Magdeburgum voatus est. [3] Hoc quoque mihi signum est futurae orum perseverantiae, quod pastores accersunt. Vale, rater et amice integerrime. Saluta collegas omnes iligenter, uxorem et filiolam. Uxor mea vobis omibus plurimam salutem precatur. Symmystae tiam, *Othomannus*, et reliqui amici. 19. Febr. 1549.

Responsum nostrum [4] et literas non obsignavi, t tibi legendi esset copia, deinde *Farello*.

1147.

BUCERUS CALVINO.

Eadem fere refert atque in superiore sua epistola, imo etiam tristiora et omnem spem praecludentia praeter coelestem.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 372, Laus. p. 188, Hanov. p. 211, Chouet p. 511, Amst. p. 233.)

S. Sanet te salus nostra Iesus Christus. Nam hic ecclesiae tuae alumnus dixit te, quum istinc discederet, cum tuo morbo fuisse conflictatum. [1] Nos vero multo perniciosiore capitum et membrorum nostrorum maximae partis malo conficimur incredulitatis. Eo enim hominum metus Dei reverentiam hic exclusit, ut episcopo permissum sit religionem Christi interimicae commutare. Et huic atque Imperatori promissum, dandam operam possibilem, ne quid hic doceatur contra Interim. [2] Idque ut nos verbi ministri praestemus, a nobis petierat, atque etiam nobis mandarunt: adiuncto tamen, si qui id non possent aut nollent, ut causas huius ipsis exponerent. Hoc factum est: causas reddidimus omnes curae pastorali deservientes, cur religiosum nobis sit non reprehendere manifestas doctrinae christianae et sacramentorum corruptelas: maxime quum hic papistae restituti sint, verbis et factis pro omni virili sua hominibus commendaturi et obtrusuri, tandemque etiam imperaturi. Qui rempublicam administrant, statuerunt se non posse hic plus recipere purae religionis, quam Imperator velit concedere vel tolerare. Interea misit episcopus huc et petiit a collegiis, [3] heri a nostro, ut omnia iuxta Interim restituamus, et statim respondeamus, quo modo, qua ratione et quando id velimus praestare. Se in iis quae omnino non adversantur suo muneri et iuramento (sic illi suo romano cavent fidelius, quam nos nostro coelesti Domino) nobis adfuturum. Reliqua tolerantur. Quae ista? ut uxores retineant qui habent, et eucharistiam totam dispensent. Verum ut ne reprehendant qui eam dispensant aut sumunt dimidiam. Nosti autem scholam totam sustineri a nostro collegio. Collegia petierunt spatium deliberandi per mensem. Dimidius mensis concessus est. Tantillo igitur tempore feretur hic pura religionis administratio. Et a nobis exspectatur ut Imperator iubeat nos, dum ei obtemperemus, detineri. Urit enim indubie desolatio ecclesiarum tanta, non qui eius autores sunt: nam hi per se sanae doctrinae Christi hostes sunt. Tantum tenent nos suspiria et lacrymae sanctorum, quorum ingens adhuc hic numerus est, ne priusquam iubeamur hinc nos moveamus. Obsignare enim, non abrumpere ministerium nostrum, si velit Dominus, optamus. Vides ut res nostrae habeant,

---

1146. 1) *scil. Hallerum quem m. Maio* 1548 *in unum tantum annum Bernensibus consesserant Turicenses. Postea sedo de ea re actum, cf. Bern. Mausol.* II. 510 *sq.*
2) *Sebastianus Basileensis.*
3) *Vide ad N.* 1139.
4) *ad Monsbelgardenses proxime praecedens.*

1147. 1) *Vide N.* 1130 *in post-scripto.*
2) *Vide omnino Buceri Ep. N.* 1138 *et quae ibi annotavimus. Ipsa conventio inter episcopum et magistratum d.* 23. *Nov. demum sancita fuit.* (*Roehrich*, II. 199.)
3) *Ipso hoc mense Episcopus capitulares ad S. Thomae Interim respuentes Tres Tabernas citavit, sed dicto obedientes esse noluerunt* (*Sleidan.* III. 162, *Röhrich* II. *p.* 200.)

et quam opus sit ut vestris miserrimam hanc ecclesiam et nos precibus adiuvetis. Quo, si id concedatur, evolare, vel ubi primum debemus, nondum liquet. Si dabitur, spero Dominum id quoque concessurum, ut tibi coram vale dicam, priusquam profugiam longius. Manet enim certe nos saeva persequutio, et est iam horribilis ecclesiarum vastatio: nec enim possunt episcopi suis ecclesiis ministros, quanquam quoslibet admittant, imo conquirant, invenire. Spirensis capularis episcopus iam decrevit ad remos quicunque nolint ex nostris sua ministeria retinere et ad Interim conformare. Non autem huic, nec tot huiusmodi filii Dei hostibus, sed ipsi suo filio pater tradidit potestatem omnem in coelo et in terra. Hicque pastor noster bonus est, qui suas oves facile tuebitur suo brachio, suaque virga et baculo: ut nec quidquam eis boni desit, nec noceat mali aliquid. Is velit nos hoc ipso suo baculo et virga sic consolari, ne etiam mali quidquam metuamus. Id nobis et vos precemini, et dum potes scribas. Etiamsi enim hic non fuero, mei tamen hic erunt, et mittent ad me quae scribes. Dominus Iesus maneat apud vos firmius, quam retineamus eum hic: quod faciet quum dabit doctrinam suam vinculis disciplinae suae in animis alligari. 20. Februarii 1549. Uxor mea tibi salutem precatur. Idem faciunt collegae.

Tuus Bucerus.

1148.

VIRETUS CALVINO.

Hallerum Genevam proficiscentem commendat, qui etiam narrabit quae iam Lausannae de internis dissidiis tractata sunt et ultra tractanda supersunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 84. — Exstat descripta ibid. Cod. 116, fol. 7. Bernae in Epp. VII. p. 982, Turici ap. Simlerum Vol. 69.)

Clarissimo viro Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae carissimo.

Genevae.

S. Gaudeo *Hallerum* ad vos proficisci.[1]) Eum tibi commendarem, si mea egeret apud te commendatione. Optima se offert occasio conferendi de tota synodi ratione, et rebus omnibus ad ecclesiam pertinentibus. Qualis sit *Hallerus* nosti, et in quibus versetur difficultatibus. De rebus nostris nunc non licet scribere pluribus, quia urgeor *Halleri* discessu. Spero fore ut posthac minus liceat calumniatoribus turbare ecclesias, quamvis qui eas hactenus turbarunt, et qui nos gravissimis affecerunt iniuriis, sint humanissime tractati. Sed haec est sors nostra. Quantumcunque iustam habeamus causam, nos omnia condonare, ferre et pati convenit. Si quid peccemus, digni sumus gravioribus suppliciis quam reliqui, qui iam peccandi consuetudine occalluerunt. Nos necesse est ad graviora parare. Haec sunt duntaxat tirocinia laboriosiorum certaminum. Fuit nobis negotium cum modestissimis viris. Non habemus quod de ipsis conqueramur. Egerunt quod habebant in mandatis. Sunt pacis amantissimi. Videmus eo etiam omnium animos Bernensium propendere. Turbas tamen metuunt. Te quaeso ut cum *Hallero* conferas de ratione ineundae cum *Zebedaeo* concordiae.[2]) Nam hic consilio opus est. Audies a D. *Hallero* qua quaeque hic sint ratione transacta, quorum omnium fidus testis esse poterit. Da operam ut cognoscat quam nobis omnibus carus sit, et quo pacis teneamur studio, si modo nihil derogetur gloriae Christi et eius ministerio. Vale, salutata uxore et amicis omnibus. Lausannae 20. Febr. 1549.

Tuus P. Viretus.

1149.

VIRETUS CALVINO.

Fusius et privatim eadem attingit ut de quibus non omni ex parte sibi sit satis factum.

(Ex autographo Cod. Gen. 111ª, fol. 83. — Item exstat Cod. 116, fol. 6, Bernae Epp. VII. p. 978 et ap. Simlerum Vol. 69. Inscriptio non exstat.)

1148. 1) *Ipse Hallerus in Ephem. p.* 85 *haec habet:* Mensibus nunc aliquot invaluerat dissidii aliquid et contentionis Lausannae inter ministros partim et Lud. Corbelium studiosum quendam Gallum. Supererant etiam reliquiae odii ministrorum contra And. Zebedaeum artium professorem ibidem. Itaque ad haec omnia componenda missi sumus illuc m. Februario D. Ioannes Steigerus atque ego. Rebus ibi compositis Genevam profecti sumus. Ibi me Calvinus cum frequenti omnium ministrorum ecclesiae illius congregatione prandio honorifico excepit.

2) *Quo pacto hoc negotium confici non potuerit, dicet infra Hallerus ad Bullingerum N.* 1158.

S. Tuis literis ad *Hallerum* non erit opus, qui inc hodie cum *Steguero* [1]) egressus ad vos profisitur. Licebit igitur familiariter de rebus omnibus olloqui. Quae profecto res valde est necessaria, ut onus vir excitetur et accendatur magis ac magis. Nosti quam sustineat provinciam, cum quibus sit lli ingeniis negotium, et quam sit difficile ita agere equestrum ut omnibus placeatur, et coniungere quae am sunt disiuncta. Scripsi ad te [2]) paucis per ilum. Voluissem pluribus, sed non licebat. Nam otam historiam earum rerum quae hic actae sunt, ibi cuperem esse quam notissimam, ut ex ea meius pro re nata consilia capere posses, et rationes nstituendi cum *Hallero* colloquii. Etenim mihi duium non est quin hic specimen editum sit futurae ynodi, quod quidem ad nostram causam cum *Zeedaeo* attinet. Quo fit ut non magnam spem conipiam de vera ecclesiae et ecclesiasticae disciplihae instauratione, nisi longe maior addatur seveitas. Video omnes magnopere a turbis et dissiiis abhorrere, totos in hoc esse ut omnia compoantur.

In negotio *Corbelii* [3]) nobiscum factum est periulum. Rogati sumus ut amice transigi pateremur. Audita et explicata fuit causa tota ab ipsis fundamentis. Convictus est apertissime, quidquid calumiaretur et tergiversaretur, rebellionis, calumniarum ultarum, falsi testimonii et multarum iniuriarum uas nobis irrogavit. Sed quia haec non sumus ummo iure persequuti, levia visa sunt. Testati unt legati eum rem detulisse Bernae aliter quam aberet et ipse in praesentia posset confirmare. Loquor de postrema eius accusatione. Eum nuper uis literis *Hallerus* fatebatur esse pacis minime stuiosum, sed insignem perturbatorem: nunc vero pro antis criminibus castigatus fuit sola admonitione, aque levissima, addita hac conditione ut peteret a obis veniam si quid in nos admisisset, aut eorum uibus nos offenderat, nos vero illi condonaremus, t nos fateretur viros bonos, neque nosse in nobis isi viris bonis dignum: sed ea lege ne quid hoc psum eius honori detraheret. Ego me continere on potui. Exaggeravi rei indignitatem. Urgebanur nomine nostri ministerii, et misericordiae et aritatis quam aliis praedicamus. Exposuimus quius essent haec modis consideranda et exercenda, uid nostrum esset condonare, idque pridem a nobis raestitum. Indicatum est, rem nos gratissimam enatui facturos, huic si acquiesceremus amicae sententiae: sin minus, se non habere in mandatis ut nos cogerent. Si voluissemus summo iure rem persequi, non dubitamus quin alius futurus fuerit eorum exitus, sed forsan non sine turbis. Ergo tandem acquievimus, sed ea lege ut non a me exigeretur et nobis omnibus, ut cum virum bonum appellaremus, aut talem haberemus. Quin etiam diserte addidi, aut illum aut me esse perfidum et virum malum: me ministerio indignum si is sum quem detulit, illum verum qui pro viro bono habeatur si res secus habet, ut revera habet, neque me ullis indubi posse rationibus ut unquam iudicem ministerio dignum, nisi multis testimoniis testatam mihi suam poenitentiam fecerit. Multa alia ultro citroque iactata sunt quae silentio praetereo.

Habes huius causae summam et exitum. Crede mihi, magna me affectum molestia quod sic nebulones omnes impune auferant. Sed animos nostros nonnihil demulserunt, quod legem tulerunt, ne posthac liceret scholasticis Bernam proficisci, si quid de nobis vellent conqueri, nisi prius hic causa coram praefecto discussa. Additum est ut tertio quoque mense eorum haberetur censura, et senatus admoneretur, si quid desideraremus. Hostes nostri attollunt cristas quasi de nobis triumpharent. *Zebedaei* causa ad synodum remissa est, quamvis tentatum sit, num ipsa quoque componi posset. Sed res nimis fuit difficilis.

Reliqua, huc si veneris, latius persequemur. Quando hucusque semel exspatiari statueras, non videtur mihi alienum si institutum consilium persequare. Est enim valde necessarium ut colloquamur. Si id posset aliquo comitandi *Halleri* praetextu, ut liceret latius cum eo colloqui, res minus haberet suspicionis. Quamvis non valde metuam istas suspiciones. Ego tamen cum fratribus hac de re agam, et eorum audiam consilia. Synodus indicta est ad Martii 19. Literas accepi a senatu. Mitto ad te literas *Garnerii.* [4]) Salutant te nostri omnes, nominatim collega, uxor mea et filiola. Salutem dicito uxori tuae meo et meae nomine, et *Hotmanno.* Vale. Lausannae 20. Febr. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1150.

VIRETUS FARELLO.

Eiusdem argumenti.

149. 1) *Aerario publico praefectus erat.*

2) *Vides hanc posteriorem fuisse et probabiliter alia ccasione missam: priorem fortassis ipse Hallerus asportavit.*

3) *Quod quum saepissime iam superiore anno in hoc esauro excussum fuerit non opus est ut plura addamus h. l.*

4) *Haec ep. non exstat. Garnerius et ipse propter Interim suam exspectabat dimissionem.*

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. III. N. 5.)

Fideli Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae quam carissimo

Neocomi.

Synodus indicta est ad 19. Martii post Germanorum synodum. Bernam conveniendum est. *Hallerus* huc missus fuit cum quaestore *Steguero*. Negotium fuit nobis cum modestissimis viris. *Steguerus* multum favet bonis studiis. Genevam uterque profectus est. Gaudeo hac via *Calvino* occasionem offerri valde opportunam cum *Hallero* colloquendi. Mitto ad te resignata quae a *Calvino* resignata accepi, quibus nostra addidimus. Tu omnia obsignata remittes, quae mittenda et obsignanda videbuntur. Nostri te omnes salvere cupiunt, praesertim collega, mea uxor et filiola tua. Saluta fratres et collegam. Vale. Lausannae 21. Febru. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1151.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 4. — Legitur praeterea Cod. 111, fol. 214, Bernae in Epp. VII. p. 986, et ap. Simlerum Vol. 69.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri mihi carissimo.

S. Hic frater quum se ad nos primum contulisset, a quodam abbate pietatis studioso commendationem attulerat, ex qua tametsi intelligebam fidelem eum operam in Gallia navasse propagando Christi regno, consului tamen ut opificium potius aliquod disceret quam in studiis literarum consumeret nescio quid pecuniolae: quum nulla se propinqua spes ostenderet eius ad munus aliquod literarium promovendi. Consilium meum sequutus cum phrygione quodam surdo pepigerat. Ab eo se delusum et circumventum fuisse dicit. Quod mihi est credibile, quia phrygionem illum nihili hominem et impudentia refertum cognovi. Denique est unus ex genere erronum qui ex imposturis vivunt. Hic autem mihi bonus vir et sincerus semper est visus, quantum coniicere magis quam iudicare licuit. Vale, frater et amice integerrime. 22. Febr. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Saluta diligenter fratres, uxorem et filiolam.

1152.

VILIERIUS NORMANDIO.

(Epistola nuncupatoria tractatus calviniani contra astrologiam iudiciariam versioni latinae praefixa. Exhibuimus eam Opp. Tom. VII. Prolegg. pag. xxxviij. Scripta est viij. Cal. Mart. 1549 et incipit a verbis: *Etsi quibus in rebus* caett. Caeterum observandum hunc Vilierium eundem esse ac Franciscum Hotmannum cel. ICtum cuius plures in hoc thesauro exstant epistolae, vide N. 1324 not. 3.)

1153.

MUSCULI CONFESSIO DE COENA. [1])

(Duo contulimus exemplaria autographa utrumque Turici alterum in Archivis, olim eccles. Epp. T. IX nunc civicis Plut. VI. Vol. 116, p. 3432, alterum in Bibliotheca civica MSS. F. 81, olim Epp. Tom. 46, fol. 297.)

De sacramento corporis et sanguinis dominici.

1. In sacramento corporis ac sanguinis dominici, sicut et in baptismate, quod externam et symbolicam actionem attinet, omnia sacramentalia sunt et sacramentaliter intelligenda: quod vero rem ipsam concernit, cuius panis et vinum sunt sacramenta, omnia secundum Chrysostomum spiritualia sunt et spiritualiter capienda.

2. Nullam miraculosam operationem pani ac vino etiam Augustinus accidere testatur. Itaque commentum transsubstantiationis non inane modo

1153. 1) *Hanc confessionem hoc fere tempore aut paulo antea scriptam fuisse ex eo efficimus quod m. Februario actum est in senatu Bernensi de Musculo Bernam vocando. Hallerus* (*Eph. p.* 85): d. 7. Februarii Musculi negotium denuo coram Senatu tractatum. Et 9 eiusdem vocatio illius confirmata est et nuncius missus qui ipsum ex Tiguro accerseret. *Bullingerus eum iam m. Iulio* 1548 *Consuli Naegelino commendaverat* (*Pestalozzi p.* 297), *sed suspectus erat quoad articulum de coena. Qua de causa confessionem antea exhibendam exigebant quam vocaretur.*

sed et superstitiosum est ac detestandum. Res externae, panis ac vinum, suam retinent naturam et essentiam, non solum ante sed et intra et post mysticam actionem.

3. Nulla est corporalis praesentia aut localis inclusio corporis ac sanguinis Domini in pane ac vino statuenda: sed quod hanc concernit, catholica fide credendum et cum Augustino confitendum, Christum Iesum Dominum ac servatorem nostrum ut verum hominem in coelos ascendisse, secundumque veri corporis modum uno aliquo coeli loco contineri. Et ob hanc causam argumentum omnipotentiae Dei ad probandam corporalem Christi in pane praesentiam prorsus impertinenter adducitur. Deinde et voces illae: in pane, sub pane, sub specie panis, corporaliter, ac si quid aliud est eiusmodi, alienae sunt a sacramenti huius sententia, dantque magnarum tam superstitionum quam rixarum fomenta.

4. Nec gratia mysterii huius, redemptionis videlicet, reconciliationis ac remissionis peccatorum, sacramentali signo et usui alligari debet, sed libera ac sola fide, sive extra sive intra sacramenti usum, a veris fidelibus percipi.

5. Manducatio corporis Christi, quod externum illius signum attinet, sacramentalis est, ac cunctis vescentibus communis. Quod vero rem ipsam, i. e. Christum, cibum vitae aeternae, concernit, spiritualis est ac solius fidei, ideoque veris duntaxat fidelibus communis. Unde illud Augustini est: Quid paras dentem ac ventrem? crede et manducasti.

6. Fides illa, qua sola carnem ac sanguinem Christi vere et ad vitam aeternam comedimus ac bibimus, non est qua secundum papisticam superstitionem credat, imo non credat sed opinetur aliquis, vel sub pane vel sub specie panis ac vini corporali praesentia miraculose et localiter corpus ac sanguinem Christi contineri, sed qua verus fidelis firmissime credat, Christum Iesum filium Dei pro redemptione humani generis in hunc mundum venisse, seque ipsum Deo patri hostiam reconciliationis in cruce semel obtulisse, ac mundum illi reconciliasse, et huius se quoque gratiae participem esse factum non dubitet.

Haec eam ob causam exprimere volui ut, quae in commentariis meis super Matthaeum in materia coenae dominicae de duplici signorum genere et corporis ac sanguinis Christi exhibitione scripsi, propter eos declarem, qui verbis meis inconsideratius intenti mentem meam non observant, ideoque supra dictas aliquas absurdas opiniones ex illis asserere et confirmare nituntur: quos optarim purius ac defaecatius ea legere quae de sacramentalibus ac mysticis rebus sacramentaliter ac mystico sensu scribuntur, ne proprie dici putent quae symbolica loquutione, sacris scripturis non insueta, dicuntur. Nihil enim, sicut et Augustinus admonuit, servilius est quam signa rerum pro rebus ipsis, et quae figurate dicuntur quasi proprie dicta amplecti.

Wolfgangus Musculus
mea manu.

1154.

VIRETUS FARELLO.

Pluribus exponit in quo statu res suae sint instante synodo, quidve sperandum aut parandum videatur, quum undique insidiae struantur et calumniae spargantur.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. III. N. 6.)

Fidelissimo Christi servo Guilelmo Farello Neocomi.

S. Multus es tuis in literis mihi ut persuadeas eam suscipere peregrinationem de qua scribis. Ego vero quid sit profutura non satis video. Quid de ea *Calvinus* sentiat nescio. Nihil ad me scripsit. Quo fit ut aut oblitum esse putem, aut suo silentio significare, sibi non videri magnopere utilem fore. [1]) Iam eorum aris satis mihi videtur supplicatum. Si dii sunt nobis tam male propitii et inexorabiles, speramus Dominum nobis propitium et exorabilem futurum. Quo magis studemus ecclesiae commodis et quo veriora narramus, eo nobis minus haberi fidei videmus. Nobis neque praesentibus neque absentibus, neque voce neque scripto nostram testantibus fidem creditur, qui in nullo hactenus fuimus scelere deprehensi. Hostibus quidvis et quocunque agant modo, quamvis multis in apertissimis calumniis sint deprehensi, creditur, et omnia impune cedunt. De illis ne id quidem quod oculis cernitur et manibus palpatur creditur, quia id non placet. De nobis vero, etsi pugnent omnia contra, quidvis est credibile. Si adeo volunt suis citra iustam causam suspicionibus indulgere, quid agas? Nobis ne iuratis quidem fides habetur. Et si loquamur clarissime, non satisfacimus. Suspicantur aliud nos loqui, aliud sentire. Quid ex meis sive sermonibus sive scriptis afferre possunt, quo eorum suspiciones

---

1154. 1) *Agit sine dubio de itinere Bernam versus faciendo, ante coactam synodum, ut Bernensium animi facilius in camera caritatis adducerentur ad audiendas Vireti et suorum sententias. Fortassis etiam ipse Farellus cum Calvino eo ire decreverat.*

niti possint? Quis unquam bonus vir meam doctrinam traduxit? Video hoc esse fatale malum, et nos fato premi divini furoris. Nos oportet sentire flagella. Nimis diu otiosi et quieti delituimus domi, parum experti quid alii patiantur. Hi cum quibus nobis est negotium, si aliquando gustassent molestias quas nos quotidie devorare necesse, nos non riderent, ut faciunt quidam, sed misererentur nostram sortem, neque tam levia ducerent horrenda offendicula quibus ecclesiae concutiuntur. Sed Dominus manum aliquando admovebit.

Quum has scriberem advenit *Calvinus*, quocum de toto negotio contuli. Is suis literis suam tibi sententiam significavit. Literas te accepisse arbitror. Idem mihi videtur quod ipsi. Experiar proxima synodo quis sit multorum in pietatem affectus. Ora Dominum nobiscum, a quo sunt solo exspectanda omnia. *Huldrichus* hodie appulit cum vestris literis. Praestabimus quod poterimus. Quid autem possimus tu satis nosti. Si quid habes cuius nos velis admonitos, ante synodum fac in tempore intelligamus. Contulimus ego et *Calvinus* de Lucianicis, sed non satis inire rationem potuimus qua de his inquireremus. Nam multa feruntur et iactantur incertis autoribus. Nobis autem negotium est cum hominibus qui non facile moventur etiam certissimis. Hominem occidat oportet qui eos moveat. Nullum est tam atrox scelus quod non facile eluatur, modo fingatur probari sententia quae iis probatur quorum partes erant in haec animadvertere. Sed Dominus ipse suo tempore animadvertet. Nihil est quod facilius excipiatur quam mendacium et maledictum. Nihil minus fidem invenire potest quam veritas etiam apertissima. Dominus, qui ipsa est veritas, eam proferet suo tempore in apricum. Nostri te omnes salvere iubent, et collegam, et totam tuam familiam. Uxor et filiola te nominatim salutant. De quibus literis *Buceri* loquaris nescio, nisi eae sint quas ego ad te misi, quas remisisti. Eas *Calvinus* habet. Aut fortasse sunt postremae quas accepit a *Bucero*. Sed nihil continent quod nescias. Forsan eas oblitus est domi. Vale. Lausannae Calend. Mart. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1155.

FARELLUS BULLINGERO.

Prolixius quam lucidius scribit de iis qui in ministerio ecclesiastico non praestant quod deberent, alios laudibus extollit tam mortuos quam superstites.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166 olim Epp. T. 24, fol. 330. Descripsit Simlerus Vol. 69. Edidit Füsslinus sed mendose admodum in Centuria epp. N. 69, pag. 278, cuius potiores hic adscribimus variantes.)

Praestantissimo viro Heinricho Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae vigilantissimo eximia admodum pietate et eruditione claro

Tiguri.

Salutem gratiam et pacem a Deo. Tuas,[1]) quanto gratiores fuerunt, tanto tardius accepi literas et paene detritas negligentia mei nepotis ex sorore, qui acceptas Genevae mihi reddidit multa perfusas aqua plumae.[2]) Testaris tuum sincerum in ecclesiam animum, de quo nunquam aliud possum, ut ne potui quidem, cogitare, quod facturus sis quidquid e re noveris ecclesiae. Id ut tecum efficiant omnes ex animo cupio. Si vestrates pium pastorem *Hallerum* optant apud se habere, non iniuria faciunt: siquidem, ut longe multo pauciores sunt aratores quam boum stimulatores, ita pastores re ipsa quam paucissimi sunt, quum nomine quam plurimi videantur. Sed quid? Pauciores praestat esse quam nullos. Sed si in rebus longe inferioribus necessitatis ratio habetur, ut saepius, etsi res domestica poscit ut quis illic haereat et agat quod est prae manibus, tamen in stabulum ob incendium, aut aliud malum, currendum est relictis omnibus, et multo magis in iis quorum unius salus suo ordine non minus curae esse debet quam alterius, ut sunt ecclesiae. Verum ne mihi merito dicatur facienti de hisce apud te verba: Sus Minervam! plura non addam: ratus te boni consulturum, quum videas me hic non quaerere aliud quam ecclesiarum aedificationem. Quod me adigit ut mei immemor cum iis agam quos suspicio, ut merito debeo, quasi mea opus esset commonitione. Verum, ut me non poenitet cum *Calvino* et aliis longe alia egisse ratione,[3]) ut pertraheretur ad ecclesiam quam tam sancte administrat, ita spero mihi nunc per gratiam Domini successurum. Non enim *Hallero* sunt ita infensi hostes[4]) ut erant *Calvino:* qui nescio an vitam prius quam odium posuerint. Et sane ex eorum gene fuerunt quos tu notas, et merito, qui poterant multum et in multis valebant non prorsus indocti, sed tamen non adeo gravati scientia ut curru opus esset ad vehendam: poterant ipsi secum totam soli portare. Verum male edocti erant sui

---

1155. 1) *Videtur Bullingerus post Calvini et Farelli reditum ex nupero itinere ad hunc scripsisse.*

2) *sic ipsum autogr. F. servat quod lapsui calami debetur. Lege omnino:* pluviae.

3) *scil. anno* 1536.

4) *Scripsisse videtur B. de difficili Halleri inter Bernenses partium studio in diversa abeuntes positione.*

onegationem et Christi studium et pietatis: nimis ese amabant, et tantum abest ut cum Paulo soli ioriae Christi studerent, ut etiam per occasionem hristum praedicari gauderent et sincere ab omnius deperirent quam ardentissime, ut potius aegre rrent pure evangelium annunciari: ideo impuris estibus quam piis pastoribus faventiores erant. uis huic hominum generi (si fieri posset ut anelos superarent scientia eloquentia et omnibus dois, quibus non in usum debitum et aedificationem terentur sed suo servirent affectui, sese venerentur sua) non praetulerit minimum ex plebe pium, e dicam pastorem, qui multa modestia studiose pit Deo servire, ecclesiam aedificare, qui se neue quaerat, neque intueatur, sed unum tantum hristum, a quo prorsus pendeat?

Quod attinet ad eos quorum modestiam merito ommendas,[5]) ego non mei similibus istos adnuero, quibus mediocris contigit eruditio: utinam aretur vicinius accedere ad eam quam in eis susicio raram et non vulgarem, quam cupio ut semer magis et magis serviat Dei gloriae. Qui doctis nnibus eam det mentem qua tantum studeant paci aedificationi, et procul faciat ab omnibus, quos aris ornat donis, perditos nebulones qui autore atana efficiunt ut quae plurimum servire possent lustrandae Dei gloriae, omnium aedificationi paci caritati, ea perverse usurpentur in contumeliam ominis Dei, in omnium ruinam, ad bella et neanda odia: faxitque ut quo quisque potioribus est onatus, eo magis se demittens maiorique accensus aritate caveat abuti, sed purius et sanctius eis utar, et pestes tam nocentes a se repellat, nunquam ures praebeat, et multo minus cor. Quam sunt ocentes eiusmodi diaboli? Quid apud alios non ttentent, ubi agunt de non notis? Quid non exerpunt, colligant et fingunt ut bonos traducant? uum apud me, qui nullus sum, ob quem nemo ene aut male audire potest, quemque toties experti unt non nisi re quam compertissima vel tantillum noveri, toties egerunt ut angelos Dei pro diabolis dicarem, et notissimos fratres ob non notos hoes aversarer. Dedit Deus *Viretum*, quem melius uam me novi, nunquam deprehendi in eo nisi veum et sincerum affectum in Christum et evangeum, ingenium docile et pectus vere christianum, aritatis sectatorem et pacis studiosum, qui nisi vieret multos perire et se cogi[6]) praecepto Dei, unquam cum aliquo contendit, idque tanta modesa ut hostes, velint nolint, cogantur fateri in spem valde commendabilem, et quum facta damnare on possint, partes sibi divinas sumunt, corde non fieri dicunt, sed hypocrisin omnia esse. De aliis non referam quid tentarint: proinde non puto hodie nocentiores pestes, nec sunt, quibus Satanas plus possit in turbandis et perdendis bonis. Dominus Iesus tam nocentes exterminet. Valde hoc placuit praeter alia insignia dona in *Hallero* quod pie admodum et prudenter hic se gerit, nec locum dat Satanae, cui sese agendos non pauci tradiderunt in sufflatum, calumniis excipientes et demum pios Dei servos scelestissime divexantes et divexari facientes.

Habeo tibi gratiam quam maximam quod viam aperis qua, quod tam ardenter expetendum iudico, bonis[7]) omnibus obtineatur. Quam mihi olim fuisset facile, priusquam monachorum ordines et beati ventres in ecclesiam intrassent, id impetrare. Sed nunc, nisi Dominus agat, nulla est spes per me, nisi erga paucissimos, aliquid effici posse. Ideo precibus est opus. Improbi, quorum non exiguus est numerus, neminem sui compotem volunt, sed qui affectibus rapiatur, mox ubi audivit aliquem furiat[8]) et agat insane, ipsa sit ambitio, adorari se patiatur, et quidvis credat vanarum laudum: siquidem monachi probe docti sunt eiusmodi homines supra Deum evehere et adorare, tantum quae placent etiam sine modo dicere. Quid? homines, qui ipsa erant ambitio, coacti fuerunt tales arguere nimiae civilitatis, ut dicebant[9]) tam pudendam assentationem nimiam civilitatem. Et monstra eiusmodi, quae ita videbantur arguere has pestes, passa sunt saepius me senem et diutius versatum in ministerio (quem poterant, absit verbo invidia, collegam in Domino et fratrem agnoscere non prorsus ab eis reiiciendum)[10]) longe demissius tot et tantis et longis nuditatibus capitis, quibus sane indigni erant, sese suppliciter rogari pro iis quae erant ecclesiae, quaeque ipsi tenebantur facere, quam ulli unquam mortalium passi fuerint in Germania. Quoties istic magnus ille *Zwinglius* me, licet iuvenem neophytum, dum bis tantum Gallum Lugdunensem[11]) comitatus istuc venissem, arguit quod (ut meritus erat) cum honorifice compellarem, non passus me meo satisfacere voto? De *Oecolampadio* quid dicam et *Capitone*, et similis notae viris, qui quam remotissime ablegavissent me?[12]) Verum non ideo haec dico quod mihi molestum fuerit si quid pro Domino tot geniculationibus fuerit impetratum quum non modo nudare diu caput, imo et corpus tradi ac

5) *Ad quosnam hoc spectet nos quidem non attingimus.*
6) regi *F.*

7) piis *F.*
8) faciat *F.*
9) dicerent *F.*
10) contemnendum *F.*
11) cum Gallis Lugdunensibus *F.* — *A.* 1524, *quum Basileae ageret Farellus bis Zwinglium adiit Turici* (*Kirchh I.* 25).
12) ableguverunt (*om.* me) *F.*

caedi [13]) optarem, modo ecclesiis hac via consuli posset, verum ut intelligas, ut monarchi ex stultis faciant insanos, et nihil putes eos quaerere quam malos aut [14]) quos improbos possint facere. Alia eorum non attingam, tantum hoc [15]) peto ut noti sint bonis quo caveri possint. Siquidem praeter flagitia, quibus graviter iram Dei in se et ecclesias provocant, supra modum suis sycophantiis simpliciores perdunt a bonis et pietate abalienantes: et hos debemus iis quos tu notas, qui propriis indulgentes tam improbis affectibus sine metu Dei et caritate proximi pestes intruserunt. Huic malo mederi [16]) non potest nisi concordes sint qui Bernae docent, et ecclesiis consultum velint, cuius gratia supra modum est necessarius *Hallerus*.

Quod attinet ad Germanos, tu ipse plus nosti. Urbs paene [17]) videtur alia ab adventu ipsius. Conciones multo frequentiores et plebs attentior. Cessat digladiatio inter pastores et cives, quae horrendum omnibus praebebat offendiculum. Coena omnium frequentissima, et ut audio aedificationis multae, dum ad verum et spiritualem cibum unanimiter omnes sese invitari intellexerunt, mente non intenta visibilibus, nec in terram depressa sed in coelum elevata. Quae tu omnia propter Christi gloriam et magnam ecclesiarum aedificationem studiosius curato absolvi. Favendum est nobis tam sanctis et tam divinis auspiciis, quibus utinam, ut omnium postremus, possem aliquid praestare: lubens me dederem in quodcunque munus servum ipsi *Hallero*, quacunque possem tandem ratione ei inservire ut absolveret coepta. Adiuvemus omnes pro viribus precibus apud Deum, hortatibus sanctis erga quos possumus. Nemo, qui possit hic aliquid, cessare debet. Et interea maxime deplorandam dissipationem ecclesiarum defleamus, apud Deum ardentissimis precibus poscentes earum instaurationem, et earum quae supersunt conservationem, et plenam emendationem, et plenissimam in omnibus consensionem, in qua re non parum in te situm est. Faxit Christus ut hic pro viribus impendas te et aliis stimulos addas. Magnum, ne dicam maximum, infligeretur Satanae vulnus, et quam plurimum accederet passim evangelio, quod accendi videtur scintillis ex Germania pulsis, quibus pauperrima, dum privatur, alios ditat. Sed haec mihi optanda quidem sunt, verum longe praestantiores poscunt qui ea tractent. Quos excitet Dominus, ut per eos efficiat quod omnes expetere debent.

Vale, vir Dei, et, quod facis, ecclesiam Dei illustra. Dominus Iesus te servet cum sanctis collegis, quos opto reverenter salutari, *Gualterum, Bibliandrum*, ne praeteream [18]) pium senem *Pellicanum*. Istos et omnes pios servet Christus, senatum semper dirigat. Collega tibi salutem dicit plurimam. Neocomi 3. Martii 1549.

Farellus tuus totus.

13) ac caedi *om. F.* corpus occidi *S.*
14) ut *F.*
15) hic *F.*
16) *sic.*
17) porro *F.*

18) et praeterea *F.*

1156.

BULLINGERUS MYCONIO.

Interim Caesarianum, quamvis ubique fere receptum, tamen olim divinitus sublatum iri sperat. Calvini laus.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. T. 30, fol. 207. — Simler. Vol. 69.)

Praestantissimo amico D. Osualdo Myconio Basiliensis ecclesiae fideli ministro fratri carissimo suo.

Basel.

Caesar valde ineptit, si putat tantum in Germania superesse viros 4 qui se opponant suo Interim. De *Calvino* recte iudicat. Meretur hic laudem aeternam quod se erroribus nefariis et impietati obiecit. De aliis nihil possum dicere vel iudicare, qui nihil viderim contra Interim editum. Sed nescit Caesar quod in evangelio ait Dominus: Si hi tacuerint lapides clamabunt. Et quod hodie quoque vera est sententia et manebit in finem usque: Reliqui mihi adhuc 7000 virorum qui genua sua non curvarunt Interim, dicere volebam Baal vel Ieroboamo. De mathematicorum iudicio parum sum sollicitus. Falluntur semper. Scio autem vivere in coelis qui hanc hydram conficiet. — — — 7. Martii anno 1549.

1157.

BULLINGERUS VADIANO.

Calvini responsio ad Interim. Synodus Bernensis proxime celebranda.

(Excerptum ex autographo Bibl. civicae Sangallensis MSS. Tom. 36 (VII.).

Clarissimo viro D. D. Ioachimo Vadiano domino suo colendissimo

Sangallen.

— — — — — — — — — — — — — — —

Calvinianae responsionis nulla hic exstant exemplaria. Quod tibi misi ex ipso *Calvino* accepi. Duodecimo huius magna celebrabitur synodus Bernae. Vocati sunt eo omnes ministri ecclesiarum ditionis Bernatium. Post octiduum comparebunt et gallicani vel Sabaudienses ministri. Haeret ergo Bernae *Musculus* ut synodis intersit.[1]) — — — — — — Tiguri 7. Martii anno 1549.

Bullingerus tuus.

1158.

HALLERUS BULLINGERO.

Refert quae Lausannae egerit et qualia ibi ingenia deprehenderit. Tum iter Genevense paucis attingit et scriptum Bullingeri contra Interim.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154 olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 93. — Simler. Vol. 69.)

Fidelissimo Domini nostri Iesu Christi servo Domino Heinrycho Bullingero vigilantissimo ecclesiae Tigurinae pastori domino suo colendissimo

Zürich.

— — — — — — — — — — — — — — —

Lausannae haec egimus. Composuimus negotium *Corbelii* cum reliquis. *Zebedaei* vero cum aliis controversiam dirimere non potuimus, nisi quod pollicentur utrinque pacem se servaturos mutuam. Interim tamen alii alios traducunt. Conqueruntur infinita, ingentia. Homines contentiosiores non vidi unquam, qui minutissima quaeque rigidissimo iure prosequi satagant.[1]) *Viretus* est doctus *aber kybig*[2]) et loquax. *Zebedaeus ist innen zgschwind, kan innen inhalten.* Hoc tamen fecimus ut speremus successu temporis defervescere posse aestus illos contentionum. *Ich ersorg erst den Synodum übel mit innen, wiewol alle andere wältsche Capitel wol eins vnd mit vns zfriden sind.* Tantum episcopalis illa sedes nescio quam quaerat prioritatem et praerogativam. Sunt illic certe multi viri doctissimi plurimique studiosi, et qui bene promoveant. Placuerunt caetera omnia. Modo cessent hae partes et odia. Domini est reconciliare animos: illum invocabimus. Habitum est etiam examen publicum classium et publicarum lectionum. Examen sequebatur censura. Abdicati quidam et privati stipendiis. Neque inutilis fuit haec visitatio. Bibliotheca instructa,[3]) et certa pecunia annua ad eam conservandam et augendam deputata. Aedificiorum etiam inquisitio facta, ut ruinosa restaurarentur etc. Et quod maximum et summopere necessarium, didicimus proprie magis eorum cognoscere ingenia, et qua ratione cum illis agendum, quod prius ignotum erat nobis omnibus. Postquam Lausannae omnia expedita essent, Genevam profecti sumus. *Calvinus* me humanissime excepit hospitio, simul evocans omnes fratres et ministros. Multa cum illo et liberrime contuli. Venisset ad synodum. Sed ego quid a Dominis constitutum esset significabam. Doluit illi quidem: non potuit tamen omnino improbare Dominorum consilium. Est vir pius et doctus, et qui in Gallia plurimum potest, sed inquieti valde ingenii. Retinendus in officio ita videtur, ut libere intelligat quid in illo nobis placeat, quid displiceat, quatenus accedere illi possimus, quatenus non possimus. Exhibet se humanum et facilem etc. Hinc ex altera Lemani lacus parte adscendimus, ita ut totam fere novam viderim provinciam. — — — — — Pro exemplari tuo contra I.[4]) gratias ago maximas. Caute et prudenter

---

1157. 1) *Hallerus Musculum synodo gallicanae interfuisse explicite asserit, de germanica tacet. Bullingerus tamen quod rei erat ignorare minime potuit, quum eo tempore eius familiam totam, novem liberos, per sex menses secum domi haberet alendos.*

1158. 1) *Hic utiliter conferes ipsius Vireti relationem N.* 1149.

2) *kybig, keibig*, praefractus, pervicax, pertinax (*Dasypod.*), hart, unbiegig (*Maler*), eigenrichtig, der von seinem fürnemmen nit weicht, contumax, auch zänkisch (*Tobler*), eigensinnig, halsstarrig (*Grimm*). *Argentoratenses verbo kybbeln utuntur si quis disceptat puerili procacitate de rebus nullius momenti.*

3) *Ruchat* V. 384.

4) *Hoc compendio scripturae Interim significari nulli quidem dubitamus, sed typis editum librum fuisse vix crediderimus. Adami Vitae theol. p.* 232 *haec habet:* Hoc saltem addimus et Calvinum et Bullingerum cum multis refutatum id (*Interim*) ivisse sed typographos id scriptum (*Bullingeri*) metu Caesaris evulgare noluisse. *Quem locum Hessius* (*Leben Bullingers* I. 486) *mendose vertit. Bullingerus ipse satis aperte se non editurum quae scripsit declaravit N.* 1104. *Neque Pestalozzius p.* 295 *tale aliquid editum fuisse autor est.*

agam. Transferam [5]) post synodum. Integro enim hoc mense studiorum meorum nullam potero habere rationem — — — — Bernae 7. Martii 1549.

Tuus quem nosti.

1159.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 5 coll. cum Cod. Turr. 111, fol. 215 v. Cod. Epp. Bern. VII. 988 et Simleri Vol. 69)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico singulari.

Rogatus a praefecto Gaiensi ut hunc iuvenem tibi commendem, libenter obsequutus sum eius voto. Iam biennium praeteriit ex quo hic pius frater nobis est notus. Quamdiu hic vixit, suae probitatis nobis fidem fecit. Postea in Galliam profectus, ut intelligo a testibus idoneis, vera christiani hominis signa ostendit. Sperat praefectus, si vobis fuerit probatus, se a senatu Bernensi impetraturum, ut in numerum scholasticorum recipiatur. Ne tibi suspecta sit commendatio, ut multi saepe indigni per talium hominum gratiam obrepunt, scito hunc nobis talem videri qui vitae suae testimonio favorem apud bonos omnes acquirere debeat. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te servet ac familiam tuam. Uxori et filiolae plurimam salutem. Uxor mea vos ex lecto salutat. Genevae 10. Martii 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1160.

CALVINUS VIRETO.

Iterum duos Gallos commendat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 6. In apographis modo laudatis, si Simlerum exceperis, haec praecedenti praemissa est, neglecta temporis ratione.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo.

S. Alterum ex his duobus pridem nosti. Vixit enim apud vos circiter integrum annum. Sed quum res istic turbatae essent, ne ecclesiae vestrae cladem, quam tunc instare omnes putabant, spectare cogeretur, ad nos se iterum contulerat. Nunc, ut audio, spes illi a quibusdam Tononiensis classis fratribus iniecta est, si Lausannae habitet, fore aliquem eius usum. Quum huc primum venit luculentum attulit testimonium ex Gallia. Hic se bonis omnibus probavit. Certe mihi semper visus est absque fuco Christum colere. Et hodie sic existimo: virum et simplicem et rectum esse, quique nihil aliud quam fidelem ecclesiae operam impendere studeat.

Alter venit a *Budaeis* [1]) commendatus, et ornatus etiam singulari testimonio. Suessionensis est natione. Sed procul a patria instituendis pueris diu locavit suam operam. In familiis honestis solida pietatis suae experimenta dedisse ipsum testantur *Budaei*. Et hic certe modestum se ac moderatum hominem ostendit. Quam doctus sit non est meum pronunciare. Non tamen dubito feliciter in eo studio versatum, in quo se ad hanc usque aetatem exercuit. Et potui qualemcunque saltem gustum capere.

Hoc testimonium, quod verum erat, ambobus petentibus negari non debuit. Atque hic posterior sic mihi erat commendatus, ut literas ad me scriptas, si mox istuc se contulisset, illi daturus fuerim. Nam ad te quoque pertinebant. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te conservet, spiritu suo regat et benedicat tuis sanctis laboribus. Amen. Genevae 11. Mart. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1161.

MINISTRI GENEVENSES BERNENSIBUS.

Transmittunt articulos professionem fidei de sacramentis referentes.

(Plura nobis ad manum fuerunt huius epistolae exemplaria. Authenticum exstat in Cod. Bibliothecae civicae Bernensis qui signatur MSS. hist. helvet. III. 34, fol. 172 seqq. Apposita

---

5) *scil. in l. latinam, non germanicam ut Simlerus vult. Nam germanice scriptum fuisse ipse Bullingerus dicit l. l.*

1160. 1) *Quorum unus Ioannes iam m. Ianuario inter Genevae incolas a senatu receptus fuit. (Galiffe, not. généal.* III. 86.) *Igitur potius de Francisco et Ludovico cogitandum.*

est Calvini subscriptio manu propria exarata. Inscriptionem Hallerus addidit hanc: *Genevensium epistola et declaratio de coena Domini ad synodum Bernensem. Non autem fuit exhibita certas ob causas.* Sequuntur ibidem viginti illi articuli quos edidimus Tom. VII. p. 717 seqq. Aliud exemplar ex parte Halleri manum referens et, ut videtur, ad Bullingerum missum exstat in Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 105, fol. 390. Habet etiam Codex Turret. 111, fol. 216. Cod. Bernensis Epp. VI. 1166 et Simlerus Vol. 69 qui bis eam transcripsit, etiam ad d. 26. Martii. Edidit Henry T. II. App. p. 133 et anglice Bonnet-Constable T. II. p. 220.)

Eximiis et fidelibus Christi servis Bernensis ecclesiae pastoribus, tam in urbe quam in agro, nunc conventum Bernae habentibus, symmystis et fratribus observandis et carissimis.

Quod nostram de sacramentis sententiam vobis legendam non rogati [1]) offerimus, huius nostri consilii ratio vobis breviter reddenda est. Tametsi et apud vos [2]) et in causa tam iusta non videtur longa praefatione opus esse. Quum vos edicto suo convocaverit illustris senatus, [3]) tum aliis de causis, tum ut ecclesiae paci consulatur, cuius praecipuum vinculum est consensus in puram doctrinam, probabile est de sacramentis aliquam fore tractationem, quod ea quaestio diu Bernensem ecclesiam exercuerit. Tametsi autem nulla exigitur a nobis doctrinae nostrae [4]) expositio, officii tamen nostri esse censuimus, ultro testatum apud vos facere quid uno spiritu sentiamus et quid uno ore loquamur omnes. Nam quum idem sit Christus quem utrinque praedicamus, idem quod profitemur evangelium, idem ecclesiae corpus cuius sumus membra, idem ministerium, non debet ditionum quibus subiecti sumus varietas aut fidei nostrae unitatem scindere, aut impedire quominus tot sanctae coniunctionis iura Christi auspiciis consecrata inter nos vigeant. Ipsa quoque vicinitas, quae inter filios huius saeculi necessitudinem conciliat, non minus saltem apud nos valere debet. Quin etiam ita sumus permixti, ut ipsi locorum situs nos teneant quasi mutuo colligatos. Huc accedit foederis societas inter duas urbes. [5]) Imo quidam ex nostro collegio [6]) Bernensis agri ecclesiis ministrant, quemadmodum vicissim nonnulli vestrum ditionis Genevensis ecclesias sub cura sua habent. Quare magnopere non vestra minus quam nostra interest, compertam esse vobis doctrinae formam quam nos sequimur. Ut alia omittamus, saltem hoc modo sinistris multis suspicionibus occursum erit, et malignis hominibus praecisa obloquendi materia. Certe nostrum studium non vobis modo, sed clarissimo senatui gratum fore confidimus. Tantum restat ut placide et aequis animis excipiatur scriptum hoc nostrum. Quod si fiet, ut optima spes est, nihil in eo contineri arbitramur quod non facile amplectamini. Valete, observandi et dilectissimi symmystae et fratres. Dominus Iesus Bernensis reipublicae statum virtute sua florentissimum diu conservet, illustrem senatum cuius auspiciis estis congregati sustineat, conventum istum vestrum moderetur et benedicat, vosque regat prudentiae zeli et rectitudinis spiritu ad promovendam ecclesiae aedificationem. Genevae 3. Id. Mart. M. D. XLIX.

Fratres vestri et symmystae
Genevensis ecclesiae ministri. [7])
Ioannes Calvinus omnium nomine.

1162.

VIRETUS FARELLO.

Dissuadet ei profectionem ad synodum Bernensem, ubi non vocatum vix bene exceptum iri vero simile est.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. III. N. 7.)

Fidelissimis Christi servis Guilielmo Farello et Christophoro Liberteto fratribus quam carissimis Neocomi.

Quid vobis dem consilii super deliberata vestra profectione ad synodum Bernensem haud satis vi-

1161. 1) *Nihilominus Hallerus talem confessionem poscere potuit quum Genevae adesset, scil. ut Vireti causam Bernae promoveret, a quo simile aliquid petierat* (*N.* 1136).

2) nos *T. Angl.*

3) *Synodus germanica Bernae incepit d.* 13. *Martii, gallica s. sabaudica d.* 20. *eiusdem mensis.* V. *Halleri Ephem. in Mus. helv. V.* 85 *seq.*

4) nostrae *om. H.*

5) *nuperrime denuo sanciti, N.* 1136, *not.* 5.

6) *Minister Genevensis in Chesnes, vicum Bernensem Valleiry adibat, Neidanensis vicum Bémont, Drallianensis Ursellum. Per conventionem Basileensem d.* 28. *Ian.* 1544 *factam, Genevensi senatui ius collationis in* 14. *parochiis Bernensibus olim Sabaudicis reservatum fuit, quia olim ad dioecesin episcopi Genevensis pertinuerant.* (*Ruchat,* V. 240.)

7) *Singula ministrorum Genevensium nomina autographa viginti illis articulis subiiciuntur quos cum hac epistola Bernam missos Opp. T. IX. p.* 717 *edidimus. Sunt tamen ex Bernensi exemplari sumenda, nam ap. Simlerum ex parte misere depravata leguntur. Sunt autem haec:* Ioannes Calvinus. Abelus Poupinus. Nicolaus Gallasius. Franciscus Bourgoinus. Michael Copus. Iacobus Bernardus. M. Malissianus. Ioannes Pyrerius. A Sancto Andrea. Ioannes Baldinus. Ludovicus Cogneus. Nicolaus Parvus.

deo. [1]) Ministrorum Genevensium neminem profecturum puto. Quid enim eo se conferrent neque vocati neque invitati? Meministis quo fueritis excepti modo in postrema illa quae hic habita est. [2]) Si non vocamini, vos vero ultro accurrerctis, cogitate quibus exponemini vestrorum hominum ludibriis. Nam non spero vos in eam admittendos. Id tentavi eo iam tempore quum Bernae agebamus de petenda synodo. Intellexi non placere. Iam, ut vides, non sunt hodie eae ecclesiae quae fuerunt. Vidimus viximusque illis temporibus quibus Bernenses, Neocomenses et Genevenses una erant ecclesia. Mutata sunt tempora. Dominus bene vertat. Nulla mihi spes est de magno profectu, nisi hac de causa quod penitus de hominibus desperavi. Quo fit ut plus habeam spei in Dominum quod minus hominibus fidam. — — — Mitto ad te literas *Buceri* ad *Calvinum*, quas perlectas ad eum referendas curabis. — — — Lausannae 13. Martii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1163.

CALVINUS VIRETO.

Nonnulla tractat ad synodum instantem pertinentia. Kirchmeierum demulceri iubet, Marcurtio laqueos strui. Ferronii causa adhuc dubia.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 7 coll. c. exemplari Turretini Cod. 111, fol. 218, Bernensi Epp. VII. 989 et Simleri Vol. 69.)

Eximio Christi servo Petro Viveto Lausannensis ecclesiae pastori fratri integerrimo.

S. De scripto nostro [1]) ages ut inter nos conveniat. *Iodoco* si legatur, fac ut intelligat hoc illi honoris mandato meo deferri. Sic enim forte nonnihil demulcebitur. Nomina eorum qui severius admonendi erunt [2]) *Hallero* non notavi. Nam tu optime tenes et melius expones quid maxime in quoque desideremus. *Marcurtius* [3]) iactavit se invectivam ferre ad synodum in qua adversum me fulminat pro baptismi necessitate. Nihil magis expediret quam in lucem protrahi. Erit enim causa nostra plausibilis, illius vero plus quam odiosa. Insta ergo ut se in laqueos induat, vel saltem ut quam meretur stultitiae et importunitatis suae mercedem reportet. Quis *Ferronium* exitus maneat nondum scitur. Quia tamen se nondum purgaverat, satius fore visum est si a subscriptione abstineret. [4]) Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus vos dirigat. Saluta diligenter omnes fratres et uxorem. Mea vos salutat. Bernae etiam amicos salutabis. Quid si *Girono* etiam confessionem nostram ostendas? Nam si illi placuerit, iudicio suo vel suffragio plurimum apud multos iuvabimur. Genevae pridie idus Mart. [5])

Ioannes Calvinus tuus.

1164.

CALVINUS HALLERO.

Defendit se a calumniis Marcurtii quem ut ipse despiciat ab Hallero cohibendum et reprimendum esse perhibet.

(Autographon non exstat. Exemplar ab amanuensi Hottingeri descriptum habetur in Bibl. civica Turic. MSS. F. 46 olim Epp. Tom. XI. pag. 614. — Cf. Simleri Vol. 69.)

S. P. Huius rei te monitum velim, improbos omnes, simul atque urgentur, quasi ad commune asylum confugere, ut criminationes in odium nostri confictas pro defensione obiiciant. Neque eo contenti, etiamsi nemo illis molestus sit, laboribus meis, quos ecclesiae Dei utiles esse boni omnes iudicant, obtrectare non desinunt. Per me quidem licebit ut impune maledicant, quia nihil melius quam talium canum latratus contemnere. Verum a vobis cohibenda est eorum protervia. Est etiam quidem *Marcellius*, [1]) turbulentissimi ingenii homo, imo, ut semel dicam quod verum est, plane furiosus, qui se nescio quam adversum me declarationem istuc nunc

---

1162. 1) *Confer omnino N.* 1154. *Etiam de Calvino accersendo inter eos actum fuerat, sed dissuasit Hallerus.*
2) *M. Martio* 1537.

1163. 1) *Confessione de sacramentis.*
2) *Gaiensis maxime classis ministros innuit, Champerellum, Megretum, Morandum et H. de la Mare.*
3) *Sic Codd. In sequenti epistola aliter appellatur, ubi plura de eodem crimine. Vide tamen ibi annotata.*
4) *Io. Ferron, minister Genevensis hoc ipso tempore coram senatu causam dicere iussus est, quum fama ferret eum rem cum ancilla sua habuisse.*
5) *Simleri exemplar pro more suppressis idibus ad ult. Februarii refert. Caeterum annum* 1549 *sistunt res tractatae.*

1164. 1) *Cave dubites hic Marcurtii nomen subinferre. Marcellii certissime amanuensi debetur. Caeterum vide praecedentem. Calvinus ea de quibus hic agitur attingit Institt. l.* IV. *cap.* 16, §. 24 *et* 26.

ferre iactat, quia scripserim, Dei promissionem ad salutem fidelium liberis conferendam, ubi baptismi recipiendi facultas non est, sufficere. Ipse autem dignum necessarium esse contendit, atque ita, ut nihil per se valeat promissio. Tuum procul dubio esse agnoscis, importunas eiusmodi bestias in ordinem cogere. Porro, ut quae me attingunt omittam, nisi in corrigendis pastorum vitiis maior adhibeatur disciplinae severitas, brevi maiore flagrabit insania totus ordo, quam ut remedium inveniatur. Strenue igitur inculco ut saltem paululum conationis sentianus. Vale. Genevae pridie Idus Martii 1549.

1165.

BULLINGERUS CALVINO.

In negotio sacramentario iam propius alter ad alterum accedit et ipse quidem modestissime animadversiones amici in suum usum convertit, si non omnino meliora edoctus attamen pacis amantior quam ut amplius disceptare vellet. Varia nova addit literaria et extranea.

Ex autographo quod autor sibi asservasse videtur, Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. T. XXX. fol. 233. Genevae non exstat ideoque inscriptio deest. Simlerus habet Vol. 69.)

S. D. Multum sane profecisti apud me tua responsione [1]), *Calvine* doctissime et carissime frater. Rectius nunc te intelligo ex hoc ultimo tuo scripto quam intellexerim hactenus, sicut videbis in mea responsione. [2]) Neque miraberis quod adeo ruditer ad te scripsi. Invenias hodie doctos, et eximie quidem doctos, qui sententias suas saepius mutent quam prosit. Non quod te talem esse existimem, sed quod disertis verbis id a te audire cupiverim quod audivi. Alioqui nullam de te sinistram opinionem concepi. Condona mihi meam rusticitatem. Neque mea tueri conor, nisi quatenus vera sunt. Neque tu falsa esse dicis, aut falsi me arguis. Dicis te sic a nobis dissentire, ut animo minime sis disiunctus. Ego vero non video cur a nobis dissentias. Lecta responsione mea spero te hac in causa omnem positurum dissensionem. Si in aliis dogmatibus a nobis dissentis, id quidem ignoro, neque puto. D. *Bucerum* non odi, et dolet mihi modo hominis infortunium non mediocriter. [3]) Sed dubium non est quin is sua flexibilitate permultum ecclesiae Dei incommodarit. Dominus condonet illi, et nobis quae contra ipsum affectibus superati peccamus. De literis a te et ab aliis scriptis et Tigurinis reprehensis nihil adiiciam, nihil respondebo amplius. Dominus concedat nobis omnibus corda in caritate sincerissima. Mihi satis est quod scribis te amare nos sincere. Hoc ipsum tibi et de nobis polliceare licet. Valeant porro expostulationes. Amemus nos mutuo sincere et aedificemus ecclesias.

De rebus nostris nihil aliud nunc scribo quam eas per gratiam Dei optime habere. Valemus hic omnes et est pax. Utinam ita vivamus ut diuturnam habeamus. Tigurini in praesenti nullam legationem miserunt ad comitia Salodorensia Regis, quum quod non sint in foedere de cuius reparatione tractabitur, tum quod foederis capita aliquot huiusmodi esse videantur, ut non possint a nobis recipi. [4]) Dominus et tempus, spero, subinde suppeditabunt salubre consilium. Multorum animos terret exemplum foederis Iosaphat icti cum domo Achab, et dolet multis cruenta illa persequutio Regis in Christianos. Dominus adsit suis perpetuo. Pro libris mihi dono missis, [5]) ago tibi maximas gratias. Ego ut saltem aliquod gratitudinis testimonium apud te deponerem, per D. *Hallerum* misi duas sermonum decades, [6]) quas te accepisse spero. Oro ut boni consulas munusculum exiguum. Laudo tuam fidem quam in confutando Interim exseruisti. Dominus dabit tibi coronam gloriae. Domino agimus gratias. Agimus et tibi gratias pro diligentia et laboribus. Perplacet in scribendo libertas et zelus. Placent prae aliis ultima duo fere folia quae subiecisti confutationi episcopi *Abrincensis*. [7]) Mirum sane si prurit adhuc cutis usque adeo impigre non tantum confricta sed et lacerata. Miror valde quo spiritu impulsus *Brentius* principibus Wirtembergensibus respondeat, posse hos publicare Interim et subditis imponere religionem Interemicam (vel Ierobeamicam), ita tamen ne quid approbent in Interim. Hanc

---

1165. 1) *N.* 1129.
2) *proxime sequente.*

3) *Hoc spectat ad ea quae Calvinus de Bucero dixera l. l. Qui Cal. Mart. a magistratu Argent. dimissus fuerat* (*Roehrich.* II. 205.)

4) Henry II. fit solliciter de nouveau (*Févr.* 1549) les cantons à renouveler leur alliance avec lui. Ses deux envoyés De Mesnaige et de Lyancourt se donnèrent tant de mouvement pour cela, qu'enfin dans une diète assemblée à Soleure ils l'obtinrent de tous les cantons, à la réserve de Zuric et de Berne (*Ruchat* V. 364.)

5) *Commentariis in plures epp. paulinas et libello contra Interim.*

6) *Edidit quinque* decades sermonum de potissimis chr. rel. capitibus. *Tig.* 3 *t. fol., opus a.* 1552 *absolutum.*

7) *Rob. Cenalis, episcopus Abrincensis* (*Avranches*) *ediderat* Antidotum ad postulata Interim. Par. 1549. *Cf. Opp.* VII. 666.

enim hominis esse sententiam retulit illustrissimus princeps *Georgius* comes Wirtembergensis, qui etiam ea re valde offensus est, eoque nomine valde improbat *Brentium.*[8]) Pergamus nos potius veritatem diserte confiteri et non approbare aut dissimulare si vel tantillum obiiciatur nobis religionis falsae. D. *Musculus* unice mihi carus Bernae haerebit, spero, et fideliter in ea laborabit ecclesia. Ecclesia Christi quidem dispersa est per totum terrarum orbem, sed pauculae restant hodie quae palam ecclesiae Christi nomen retineant. Ecclesiae germanicae fere omnes, certe superioris Germaniae, receperunt Interim. Oremus pro illis, obsecro, et huc conferamus vires omnes in Helvetia ut ecclesiae nostrae sint concordes. Huc confer omnem tuam operam: nos quoque nostrum officium faciemus pro nostra virili. Vale in Christo, vir colendissime et frater in Domino carissime. Saluta fratres omnes, inprimis D. *Gallasium,* a quo accepi librum elegantem pro quo magnas ago gratias. Salutant te fratres omnes etc.[9])

1166.

BULLINGERUS CALVINO.

Annotata ad Calvini animadversiones in ipsius annotationes in eiusdem propositiones de sacramentis.

(Edidimus illa in Tom. VII. Opp. pag. 707 seqq. ex autographo Turicensi de quo vide Prolegg. nostra eiusd. Tomi pag. XLVI. Exstant quoque in Cod. Paris. Coll. Dupuy, Vol. 268, fol. 27. Incipiunt a verbis: *Nihil quidem necesse est.*

8) *Haec minime concordant cum iis quae referunt Hartmann et Jaeger, in vita Brentii* II. 173 *et ille in suo libro de Brentio p.* 204. *Alia tamen habet Heyd,* (*Hz. Ulrich* III. 522) *qui narrat revera Brentium et Casp. Graeterum concionatorem aulicum eos fuisse qui duci Ulrico in promulgando Interim a consiliis fuerint: id ipsum principem Georgium declarasse a quo Bullingerus rem habere potuit quum ille m. Martio* 1549 *Turici adesset.* (*Cf. ibid. p.* 588 *sq.*) *Georgius ipse in sua ditione Horburgi et Richovillae Interim promulgare recusavit.*

9) *Ex hac clausula efficies hoc Bullingeri apographon fuisse, sive primam epistolae adumbrationem. Alia manu adscriptum legitur:* d. XV. Martii 1549, *alia simpliciter annus definitur.*

1167.

BLAURERUS BULLINGERO.

Gratias agit de libro Calvini sibi misso, cuius versionem germanicam fieri optat.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 163 olim Scrin. B. Epp. T. 28, fol. 565, sine inscriptione et subscriptione. — Simler. Vol. 69.)

Vm den Caluinum[1]) *sag ich euch allen moeglichen danck.* Utinam esset qui in nostram vernaculam linguam quam primum verteret. Faceret is ingens operae pretium. Sunt istic qui istuc* feliciter possent. Sunt innumeri qui fucis istis prorsum dementantur aut ita certe perturbantur, ut fluctuare incipiant, qui paulo ante constantissimi videbantur. Tu si quid hic etiam tuis calcaribus potes (poteris autem, nihil dubito), exstimula, obsecro, nonnullos qui partitis inter se operis laborem hunc paucis dieculis absolvant, magnam gratiam apud omnes bonos hoc nomine inituri. *Schick euch vm die* Exemplaria 18 *creutzer: mein es sey reckt. sag euch flyssigen hochen danck. ir solltend das gellt glich bym botten inzogen haben, aber gillt glich. Wie gern wellt ich doch noch zwey* Exemplaria *haben, mocht es nitt mehr gesin, aber vyl lieber zechne.* — — —[2]) —

1168.

VIRETUS CALVINO.

Itineri ad Synodum se accingens plura et varia ad rem spectantia affert, tam dolens quam monens.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 85. Alia exemplaria sunt Cod. 116, fol. 7 v., Bernae Epp. VII. 984, Simleri Vol. 69.)

1167. 1) *contra Interim.*

2) *Exstat in eodem volumine fol.* 321 *alia epistola eiusdem Blaureri ad Bullingerum d. d.* 13. *Cal. Apr.* 1549 *in qua inter alia haec leguntur:* De Calvini versione recipio facile quae scribis. Utinam vero alibi sit qui laborem hunc vehementer Christi ecclesiae commodaturum suscipiat. Dignus plane liber est quem hoc quidem tempore omnes sinceri christianismi studiosiores legant, ut ne circumveniantur. *Haec scripta sunt post illa superiora, ita quidem ut inter utramque ep. Blaureri responsum Bullingeri interciderit. Ultra medium Martium itaque in nostra collocanda progredi non possumus, imo potius aliquanto antiquior esse videtur.*

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino.

Genevae.

S. Accepi tuas ad me literas quibus vestra onfessio cum tuis ad *Hallerum* literis inclusa erat. Metuo ne illud exhibendi verbum, quod prima tatim fronte occurrit ac deinceps repetis interdum, ta eorum a reliquis, quibus vestram sententiam claissimis verbis aperitis, mentes avertat, ut quid veitis assequi nequeant. Quid mihi faciendum sit res psa docebit. Mihi dolet quod eorum nomina [1]) on adscripseris, de quibus ad *Hallerum* scripsisti, t quod tuarum ad eum literarum exemplar non niseris, ut ipse melius cognoscerem quae mihi sais esse nota putas. Quum nesciam quid scribas, ut de quibus, nisi in genere, neque ea habeam sais comperta quae ab iis designata sunt de quibus, cribis, non video quid admodum certi adferre posim. Quod autem ad me attinet, non minus in me ulminatur quam in te *Mavortius*: [2]) strinxit calaum in libellum adversus auletas ministros: gloritur cum suis se effecturum ut saltem, quando auetae sunt et tibicines meo testimonio, [3]) non possunt irus continere donec eo pervenerint ubi evomere tatuerunt.

Factus hic est conventus omnium nostrorum ostium. *Pyrrhus* [4]) noster eorum adventum exploabat. Audio μωρὸν ἄνδρα mihi aliquid apparasse dversus librum de ministerio. [5]) Multae et magnae unt adversus me coniurationes. Paro me ad eorum yncretismum. Dominus nobis aderit. Narrata unt mihi de Guilhelmo *Masuerio* [6]) quaedam quae on sum parum admiratus. Si vera sunt, oportet uisse insignem hypocritam. Quia audio te quaelam hac de re accepisse, facito nos certiores, si uid habes compertius. Nam ea res me certe valde ngit, mirorque quod nullum mihi verbum feceris. Cras bene mane iter arripiemus. [7]) Commenda nos Domino. Salutem dices uxori et fratribus, nosque orum precibus commendabis. De *Ferronio* nihil udiveram. Dominus nos liberet ab omnibus offeniculis. Nihil rescripsisti quid de *Musculi* confesione sentires. Quo fit ut dubitem, reddita tibi sit, ec ne. Salutat te uxor et nostri omnes. Vale. Lausannae 17. Martii 1549.

Tuus P. Viretus.

168. 1) *Quae in N.* 1164 *desiderantur, ad marginem N.* 1163 *dscripsimus, coll. N.* 1115.

2) *Marcurtium ita ironice appellari patet. De eo iam t Herminjardum adeas T.* IV. 92. 153. *Cf. Ruchat* III. 64, V. 539.

3) *Hic aliquid deesse iam Simlerus observavit, nisi alir peccatum fuisse dixeris.*

4) *Zebedaeus. Cf. Halleri Ephem. in Mus. helv.* V. 86.

5) *De quo tamen in synodo nulla mentio facta est.*

6) *Petrus aliquis Masuyer ante a.* 1536 *Concisae minister fuerat. In Guilelmum alibi non incidimus.*

7) *Bernam ad synodum.*

1169.

VIRETI CONFESSIO DE MINISTERIO VERBI ET SACRAMENTORUM.

(Edidimus Tom. VII Opp. p. 727 seqq. ex exemplari in Arch. Turic. asservato et in Bullingeri usum ab amanuensi descripto, vide Prolegg. p. XLVII. Incipit a verbis: *Quum sola fides vera sit.*

1170.

VIRETUS CALVINO.

Consolatur eum de morte uxoris et causas affert cur non ad eum visendum properet. Interea refert quid in synodo actum sit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 86. Exstat praeterea in apographo Turretini cod. 116, fol. 111, Bernae in Epp. VII. 990 et ap. Simlerum Vol. 69.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae amantissimo.

Genevae.

S. Mirum in modum me afflictio tua domestica [1]) angit et cruciat, atque eo magis quo meo experimento didici certius quam sint huiusmodi casus acerbi. Angeret autem cruciaretque multo acerbius, si non cognoscerem quam sis munitus et armatus omnibus divinis praesidiis adversus huiusmodi, non dicam fortunae casus, sed divinae providentiae consilia. Prolixior essem in consolationis argumento, si non metuerem ne te afficerem iniuria, aut viderer tuae prudentiae, constantiae, eruditioni, pietati atque fidei diffidere. Non dubito quin quod alios doces ipse nunc exerceas.

1170. 1) *De die quo Calvini uxor obiit varia et erronea tradiderunt historici. Ruchat* 6. *Aprilis indicat* (V. 380), *quod haec nostra falsissimum demonstrat. Suum tamen fecerunt Bonnet* (*Trad. angl.* II. 202 *et Récits du* 16. *Siècle p.* 96) *et Staehelin* (I. 280). *Henry* (I. 419, II. 457) *de die tacet. Colladon minus definite dicit:* L'an 1549 mourut sa femme au mois de Mars. *Ipse Calvinus ad Farellum d.* 2. *Apr. scribit, rumorem de morte iam Neocomum pervenire potuisse; simul narrat die Martis* (26. *Martii*) *pro eius vita a fratribus preces factas fuisse. Eo die ergo adhuc in vivis erat. Verum quousque ἀγωνίαν produxerit certis verbis non indicat. Porro ad Viretum d.* 7. *Aprilis scribens, eadem narrat dicitque ea dicta factaque esse triduo ante mortem. Ex his efficies eam a. d.* IV. *Cal. Apr. i. e.* 29. *Martii vita defunctam esse.*

Lubens ad te profectus fuissem ut mea praesentia, si quid de luctus molestia abstergere possem, conarer. Sed id non patiuntur res meae, imo ecclesiae, nisi ea esset necessitas quae eam necessario desideraret. At metuo ne quam dem occasionem novae irritationis iis qui nunc nobis pacati videntur, praesertim quum hac de re fuerim admonitus, sicut te a fratre arbitror audivisse. Suspicarentur nos aliud agere et contemptum sui interpretarentur. Est igitur paulisper tempori cedendum.

Quod ad reliqua [2]) attinet, felicius cesserunt quam ausi fueramus sperare. Qua de re non agam in praesentia tecum pluribus, partim quia te iam multa multorum sermonibus accepisse non dubito, praecipue vero a Francisco *Sampaulino* [3]) et fratre tuo, quem Melduni [4]) conveni, partim etiam quod brevi *Merlinus* diaconus [5]) istac transiturus est, a quo plura audies. Huc accedit quod non satis mihi suppetit ad scribendum otii. Hoc solum in praesens addere volui, quo te in tuo luctu consoleris: Dominum multa in hac synodo suae in nos benevolentiae specimina atque signa edidisse, quamvis alioqui multa desiderari possent. [6]) At si reipublicae statum et temporum iniquitatem consiliaque adversariorum expendimus, mirabimur profecto, idque iure, Dei opus. Ingens est miraculum non solum bonos evasisse sed et laudem reportasse, et eorum favorem quos habebant infensiores: hostes vero ignominiam, contemptum et odium eorum quibus carissimi credebantur. Quid de *Pyrrho* nostro statutum aut statuendum sit, nondum certo didicimus. Hoc saltem existimo nos esse assequutos ut, si durius nihil aliud in eum statuatur, alio transferatur. Quod si id non fit repente ad mollienda offendicula, spero tamen brevi futurum, nisi nos multi boni viri fefellerint. Arbitror posthac parum autoritatis eius fidem et orationem habituram. Nondum rediit. Nostri omnes recte valent et te officiosissime salutant, praesertim vero uxor, cui carissimae sororis suae casus admodum acerbus est. Sed quid ego tibi dolorem refrico quem lenire debui? Sed hoc abunde praestabit verus noster consolator cuius te gratiae commendo. Vale, carissime et amantissime frater, et alterum illud tui dimidium nobis serva, et tuam cura valetudinem. Lausannae 31. Martii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

Stephanus, qui has tibi reddit, exponet tibi suum et nostrum consilium super suo negotio.

2) *synodum.*

3) *ministro Viviacensi, profugo Gallo, qui postea primum Lausannam transiit, a.* 1559 *vero ad Pictavos* (Haag. IX. 95). *Propter causam Bolsecianam illum inter et Calvinum exortum est dissidium.*

4) *Moudon, Milden, inter Paterniacum et Lausannam.*

5) *postea professor.*

6) *Quum vel ipse Ruchat* (V. 382) *dicat, se rescire non potuisse quae ibi acta fuerint, et Hundeshagenius p.* 238 *paucissima praebeat ex epistolis excerpta, adscribere libet sequentia ex Mém. de Pierrefleur p.* 239: Leur différent (*de Viret et de Zébédée*) fust à cause du sacrement de la cène qui dura jusques au mois de Mars 1549, auquel mois furent citez à comparoistre personnellement à Berne tous les predicans estans de tout le pays, ensemble les maistres d'eschole, qui estoient pour la pluspart diacres. Et ne fust rien fait entre eux, fors quils tindrent leur synode quils appellent congregation, et estoient en nombre de tout seize-vingts. Et leur firent present les seigneurs de Berne pour satisfaire à leurs despens de cent livres. Et demeurerent audit Berne quatre jours. — *Haller. Ephem. p.* 86: XX. Martii gallica s. sabaudica coepit synodus. Ea quum quatuor integris diebus vix sola absolvi potuisset censura, est abrupta per indignationem senatus, et mandatum singulis classibus ut suas postulationes et considerationes scripto comprehensas post se relinquerent, quisque vero ipsorum ad suam rediret ecclesiam. Nihil hac synodo vidisses turbulentius: adeo diversimodis in se mutuo fratres insurgebant testimoniis, his hunc damnantibus, illis contra eum defendendum suscipientibus. Multi certe omnis modestiae et aequitatis obliti videbantur, et nisi qui ex senatu aderant sua eos compressissent autoritate, Lapitharum convivii potius quam christianae synodi exitum vidisses. Visum fuit tandem Zebedaeum in alium transferre locum, si forte sic pacatius Lausannae viverent: idque factum est. Huic synodo Musculus non sine admiratione horum ingeniorum interfuit.

1171.
CALVINUS FARELLO.

Uxoris mortem nunciat et supremas eius voces refert.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 83, Laus. p. 200, Hanov. p. 225, Chouet p. 111, Amst. p. 50. — Gallice versa legitur in edit. Berol. p. 126, anglice in edit. Edinb. II. 203.)

De morte uxoris meae iam forte istuc rumor pervenit. Ego ne prorsus moerore conficiar, quoad possum adnitor. Adsunt etiam amici, nec quidquam reliquum faciunt, ut aliquid levationis afferant animi mei aegritudini. Quum hinc frater tuus discessit, iam fere de vita erat desperatum. Quum die Martis fratres cuncti adessent, censuerunt optimum fore, si communis inter nos precatio conciperetur. Id factum est. Quum *Abel* omnium nomine eam hortatus ad fidem et patientiam esset, breviter, (ut iam valde fracta erat) testata est quid haberet in animo. Postea exhortationem quae tempori congruere videbatur adieci. Porro quia nunquam de liberis suis [1]) verbum fecerat, veritus ne pudore impedita in animo sollicitudinem aleret, quae

1171. 1) *Privignum Calvini passim obvium habuisti: quem nunquam secum Genevae habuisse videtur, quantum quidem ex epistolis coniicere licet. Filiam vero Iudith cum matre vixisse certum est.*

eam magis cruciaret quam morbus ipse, coram fratribus testatus sum, eos mihi ita curae futuros ac si mei essent. Respondit illa: iam eos Domino commendavi. Quum exciperem, non obstare illud quominus agerem ipse quoque meas partes, respondit protinus: Si Domino curae erunt, scio tibi fore commendatos. Tanta animi fuit magnitudo, ut videretur e mundo egressa. Quo die animam Domino reddidit, frater noster *Borgonius,* [2]) circiter horam sextam, pias exhortationes attulit: inter quas illa exclamabat, ut omnes animadverterent cor eius supra terram longe elevatum. Nam hae voces erant: O resurrectio gloriosa! Deus Abraham et omnium patrum nostrorum, iam a tot saeculis in te sperarunt fideles, nemo frustratus est: ego quoque exspectabo. Sententias tales concisas iaculabatur potius quam pronunciabat. Neque id ex aliorum verbis, sed ut in animo cogitationes agitabat, sic paucis verbis testabatur, quid secum meditata esset. Sexta hora domo abstractus sum. Post septimam, quum in alium locum exportata esset, coepit statim deficere. Quum subito vocem sibi eripi sentiret: Oremus, inquit, oremus, vos omnes pro me orate. Eadem hora domum ingressus sum. Non potuit vocem ullam edere, signa ostendit animi commoti. Ego pauca loquutus de Christi gratia, de spe vitae aeternae, de vitae nostrae contubernio et de migratione, abdidi me ad precandum. Integra mente et preces audivit et attenta fuit ad doctrinam. Ante octavam placide exspiravit: ut vix inter vitam et mortem discernerent qui aderant. Nunc moerorem sic devoro, ut a munere meo nullam intermissionem habuerim. Quin etiam Dominus aliis certaminibus me interea exercuit. [3]) Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te spiritu suo confirmet, et me etiam in hac tanta calamitate, quae certe me fregisset, nisi manum e coelo porrexisset is cuius officium est erigere prostratos, debiles confirmare, lassos reficere. Saluta fratres omnes, totamque tuam domum. Genevae, 2. Aprilis. [4])

Ioannes Calvinus tuus.

2) *Franc. Bourgoing d'Agnyon, minister Genevensis.*

3) *His ipsis diebus in senatu actum est de Philippo Osia (de Ecclesia) ministro in Vandoeuvre, quem Noster dimittendum iudicabat, item de Ferronio Genevensi concionatore consuetudinis cum ancilla accusato.*

4) *Bonnet figuris romanis deceptus undecimum adscribit.*

1172.

BLAURERUS FRATRI.

Calvini opusculum de vitandis superstitionibus recens editum laudat.

(Excerptum ex autographo Bibl. civicae Sangallensis MSS. Tom. 36 (VII.) N. 16.)

D. Thomae Blaurero germano suo longe carissimo fratri.

In literis quas nunc a *Bullingero* accepi nihil ille quod scire te magnopere referre putem, nisi quod *Calvinus* aureum quoddam scriptum ediderit de vitandis superstitionibus, item ad Nicodemitas excusationem, item iudicium *Melanchthonis, Buceri, Petri Martyris* de his rebus: ac rursum tres *Calvini* epistolas se accepisse, quae omnia nobis quoque propediem sit communicaturus. — — — — — Griessenbergi 4. Aprilis 1549.

T. Ambr. Bl. frater.

1173.

CALVINUS VIRETO.

Defunctae uxoris laus.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 84, Laus p. 190, Hanov. p. 212, Chouet p. 112, Amst. p. 51. — Gallice versa legitur in edit. Berol. p. 129, Anglice in edit. Edinb II. 202.)

Tametsi valde mihi acerba fuit mors uxoris, moerorem tamen meum, quoad possum, cohibeo. Et amici certatim officium faciunt. Me quidem et illos minus proficere fateor quam optandum sit; hoc tamen ipsum quod consequor, dici vix potest quantum me iuvet. Nosti animi mei teneritudinem, vel mollitiem potius. [1]) Quare nisi valida moderatio adhibita fuisset, non ita hactenus stetissem. Et certe non vulgaris est doloris materia. Privatus sum optima socia vitae: quae, si quid accidisset durius, non exsilii tantum ac inopiae voluntaria comes, sed mortis quoque futura erat. Quoad vixit, fida quidem ministerii mei adiutrix fuit. Ab ea ne minimum quidem impedimentum unquam sensi. Atque ut de se nunquam fuit anxia, sic de

1173. 1) *Quam tamen pro occasione certis ac firmis limitibus continere valebat.*

liberis, toto morbi decursu, nunquam mihi molesta fuit. Quia timebam ne intus curam premendo se frustra cruciaret, triduo ante mortem ego mentionem ultro inieci, promisique me partibus meis non defuturum. Excepit illa protinus: Iam eos commendavi Domino. Quum dicerem, id non obstare quominus et mihi curae essent, respondit: Scio te non neglecturum quod scias Domino commendatum esse. Heri [2]) quoque primum rescivi, quum instaret quaedam mulier ut mecum de illis ageret, praecise ita loquutam esse: Hoc vero praecipuum est, uti pie sancteque vivant. Maritus meus urgendus non est, ut eos in casta disciplina et timore Dei instituat. Si pii erunt, confido illis sponte fore patrem: sin alii, indigni sunt pro quibus a me rogetur. Haec animi magnitudo plus apud me valebit quam centum commendationes. De amica tua consolatione magnam tibi habeo gratiam. Vale, optime et integerrime frater. Dominus Iesus te cum uxore tueatur ac gubernet. Illi et fratribus plurimam salutem dices meo nomine. 7. Aprilis 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1174.

VIRETUS FARELLO.

Libenter Genevam se contulisset Calvinum de morte uxoris consolaturus nisi maioris momenti negotia eum impedivissent. Sed cupit ut Farellus eo se recipiat, ita ut simul in eo itinere bis Lausannae transeat, quum multa et gravia colloquendo potius quam literis tractanda in manu habeat ipse.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. III. N. 8. coll. Perroti Vita Farelli MS. p. 99, al. 143.)

Fidelissimo Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori.

Neocomi.

S. Opinor te de *Calvini* uxoris fato audivisse. Lubens Genevam advolassem. Certo scio meum adventum peropportunum futurum fuisse. Nam eadem opera adfuissem am[*ico*] carissimo iuxta ac suavissimo in acerbo luctu, cuius sensu sat scio neminem hominem facile liberare posse nisi valde obstupuerit aut eum penitus transformarit divinum numen. Huc accedit quod et *Fallesius* me etiam invitabat, meamque praesentiam expetebat. Sed eo in statu sunt res meae et huius ecclesiae, ut neutri hoc tempore id potuerim praestare officii. Causas audies ex me aliquando copiosius, idque brevi, si meo voles consilio parere. Sum enim in hac sententia ut quando mihi non licet quod libet, utriusque, tuas scilicet et meas, hac in re suscipias partes, utque quam poteris celerrime Genevam te conferas. Id enim non dubito *Calvino* gratissimum utilissimumque futurum. Quod ut facias vehementer abs te contendo, ea quidem lege ut non solum huc reversus iter facias, sed et eo concedens. [1]) Tum enim de rebus omnibus familiarius fusius tutiusque commentabimur, de quibus parcius ad te scribo, tum quod quaedam eius sunt generis ut literis non tuto committantur, tum quia spero fore ut brevi aliqua tecum ratione congrediar. Nullam autem video quae se afferat opportunior hac de qua ad te scribo. Non dubito quin de nostrae synodi exitu aliqua audieris [2]). Si veneris intelliges reliqua et compertiora omnia. Interea hoc tibi dictum volui, talem fuisse exitum qui multorum spes fefellerit, tam bonorum quam malorum. Cesserunt enim omnia felicius, non quam optabant, sed quam sperabant boni, et quam optabant mali. Nos certe experti [*sumus*] praesentissimum numen. Vidisses Dei opus ob oculos. Sed de his alias. Libentissime per vos rediissem, sed non patiebantur res nostrae et ecclesiae necessitas. Sed alias quod audio vos desiderasse pensabo si dederit Dominus. Nostri te omnes salutant officiosissime, nominatim vero uxor et tua *Maria*, quae Dei benignitate rectissime valent. Saluta collegam et fratres tuos et reliquos amicos. Vale. Lausannae 9. Aprilis 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1175.

VIRETUS CALVINO.

Occasione mortis uxoris non tam consolatur eum quam summis prosequitur laudibus ob animi fortitudinem in sustinendo tanto tamque acerbo casu.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 86, Laus. p. 190, Hanov. p. 213, Chouet p. 115, Amst. p. 52.)

---

2) *Hoc vocabulum* Heri *Ruchatio fraudi fuit, mortem Idelettae ad 6. Apr. referenti. Quum tamen accuratius textum inspicienti vel hinc pateat iam pluribus diebus ante defunctam fuisse.*

1174. 1) *Farellum huic desiderio satisfecisse non apparet.*
2) *Vide Halleri ep. ad Calvinum infra N.* 1178.

Quae mihi uno multorum ore, eorumque gravissimorum testium, de tui animi constantia ac fortitudine nunciantur, in hoc tam acerbo familiae tuae vulnere luctuque domestico, faciunt ut mihi apud te opus esse gratulatoriis quam consolatoriis literis potius existimem, atque eo magis, quo penitius novi animi tui, ut ipse appellas, teneritudinem. Hoc enim potius nomine, quam mollitiei, esse appellandam censeo. Nam id neutiquam mollis animi opus est quod praestas. Quo fit ut magis mirer vim in te agentem divini illius spiritus, qui se vere consolatoris dignum cognomine in te palam facit. Annon merito illius in te vim agnoscam, tam forti ferente animo domesticos casus, quibus nihil tibi acerbius privatim contingere potuit aut propius attingere, qui ad alienas calamitates ita commoveri soleas, earumque sensu haud secus afficiare, atque si tua ipsius res ageretur? Non est vulgaris, crede mihi, haec tua virtus, neque vulgare testimonium divinae erga te benevolentiae. Quo fit ut me mei vehementer pudeat, quod olim in consimili casu non praestiterim eandem animi fortitudinem, aut saltem umbram ipsius sim aliquam assequutus.[1]) Adeo totus abiectus et prostratus fui eo calamitatis telo, ut totus orbis nihil mihi nisi mera solitudo videretur. Nihil erat suave, nihil quod animi dolorem lenire posset. Ego me frequenter apud memetipsum accusabam, quod mihi mollius longe ferre viderer meum dolorem quam deceret, non dico eam duntaxat personam quam sustineo, sed virum qui vel a primo limine philosophiam illam coelestem salutarit, cuius me non solum discipulum, sed aliorum doctorem profitebar: quodque iis nescirem in illo meo morbo remediis uti, quae aliis suppeditare soleo quos iis video indigere. Tu vero contra, tantum abest ut frangaris debiliterisque animo, ut potius caeteros longe reddas tuo exemplo fortiores, quando quod aliis praecipere consuevisti, te quoque facere posse testaris: utpote qui non solum quum valeas noris certa aegrotis consilia dare, sed ab iis quoque aeger remedia petere, ac idem sentire quod valens et sanus. Mirifice et incredibiliter me recrearunt, non inanes tantum rumores, sed tam multi nuncii, qui narrarunt te tam infracto pectore, ac tam dextre, imo et felicius quam hactenus unquam omnia procurasse quae tui sunt officii, ac tam ubique semper fuisse praesenti animo in conventibus vestris, in concionibus, in omnibus denique negotiis quum privatis tum publicis, ut omnes magna ceperit admiratio: idque eo potissimum tempore, quo recentior ac proinde acerbior tuum animum dolor lancinare ac prosternere debuit. Perge igitur quo coepisti pede, ac tu te ita gerito, ut hanc omnibus de te confirmes opinionem, hoc luctu adeo de sua sede animum non deturbari tuum, quin semper tibi adsit praesentissime: neque sic te dolore impediri, quin ea omnia facile perspicias, quae ad te consolandum aliquid possunt habere momenti. Hoc autem ut efficias, utque subinde constantius in hoc perseveres proposito et magis atque magis confirmere, maiusque in dies percipias solatium, ardentissimis votis Dom. exposco. Quid enim aliud conferre possum? Nam neque tanta est mea autoritas, neque tam acutae rationes, quibus te a moerore luctuque deterrere possim aut revocare, nisi hoc tibi sua sponte tua suppeditaret institutio, et confirmatus in ferenda cruce animus, et divinae bonitatis exuberantissimus in te favor, cuius reliqua omnia munera sunt, quibus te affatim Dominus cumulavit. Quamobrem non ero hac in parte longior. Quin potius metuo ne haec nimis sint apud te multa. Salutat te uxor officiosissime, quae non vulgarem concepit dolorem ex carissimae sororis obitu, quae mecum eam calamitatem nobis omnibus communem existimat. Mihi vehementer dolet, quod mihi non datur tuo praesenti frui conspectu. Quaecunque me rationes impediant, si te cupere intellexero, crede mihi, tua solius voluntas, omnes difficultates ut superem, facile efficiet. Salutant te collegae et reliqui omnes fratres officiosissime, inter quos et *Franciscum* Viviacensem[2]) annumera, qui nunc hic est, et qui tibi suo nomine salutem quoque adscribi iussit. Saluta domesticos et reliquos amicos nostros, meo praesertim nomine *Gallasium*, *Bezam*,[3]) *Ottomannum*: cui et *Franciscus* salutem dicit. Vale. Lausannae, 10. Aprilis 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1175. 1) *Imo statim de novo coniugio ineundo cogitavit. Vide N.* 774 *et eas quae aestate* 1546 *Calvini ad Viretum scriptae exstant epistolae.*

2) *Sampaulinum.*

3) *Quum haec prima sit Bezae mentio, non abs re erit nonnulla de eius adventu in Helvetiam afferre, accuratiora iis quae Baumius habet Tom.* I. *p.* 113 *seqq. Ipse Beza in Ep. ad Volmarium confessioni suae christianae fidei praemissa* (*Tract. theol. Vol. I. init.*) *dicit se anno* 1548, *IX. Cal. Nov. Genevam ingressum ibi domicilium posuisse. Verum hoc consilium ibi pedem figendi non statim exsequutum esse ex eo patet quod demum d.* 3. *Maii* 1549 *cum septem aliis nobilibus Gallis a senatu veniam petiit Genevae manendi* (leur permestre habiter en Geneve: ce que leur et accorder et hont fayct le seyrment en tel cas requis *Reg. du Conseil.*) *Beza l. l. pergit:* Porro quum de vitae genere cogitarem, et te, mi pater, Tubingae invisissem, ecce me nihil tale exspectantem Lausannensis academia ad graecas literas ibi profitendas vocat. Lausannam igitur anno insequenti veni. *Cf. ep. Volmarii ad Calvinum* 25. *Sept.* 1549.

1176.

MINISTRI GENEVENSES PIIS FRATRIBUS.

Literae commendatitiae.

(Ex apographo Archiv. Conventus eccles. Ministrorum Genevensium Vol. A. p. 75.)

Pastores et ministri ecclesiae Genevensis piis omnibus Christi servis et qui regnum eius propagatum cupiunt S.

Quoniam hic bonus vir, cui nomen est Ioannes *de la Barre*, circiter octo menses apud nos vixit, nunc autem conditionem non invenit qua se sustentet, ideoque migrare in aliquem vicinum locum cogitat ubi melior illi commoditas offeratur, non debuimus illi negare quod petebat, ut testimonium illi redderemus qualiter se hic gesserit. Quanquam autem interior eius vita nobis comperta esse non potest, quoad tamen scire nobis licuit, intelligimus hominem honeste pieque versatum esse ut christianum et timentem Dei decebat: nec dubitamus quin recto studio agatur, atque etiam fore speramus ut eadem qua coepit via pergat. Quare, ubicunque fidem reperiet nostrum testimonium, non est quod suspecta sit eius vita quae nobis saltem nota esse potuit. Ex conventu nostro 13. Aprilis 1549.

Ioannes Calvinus
fratrum nomine.

1177.

BUCERUS MINISTRIS ARGENTORATENSIBUS.

Feliciter Londinum advectus de se amicisque comitibus pauca praefatus statum ecclesiae et evangelii in Britannia exponit, mox vero in prolixum delabitur sermonem de disciplina christiana, quem ne cramben recoctam dicere velint ipse quasi facundiae propriae pertaesus rogat.

(Ex autographo in Archivis Thomanis Argentorati asservato, Epp. Buceri Tom. III. N. 157. Edita est in Epp. Tigur. p. 349.)

Eximiis Christi servis dominis ac collegis nostris carissimis D. Hedioni, M. Theobaldo, Io. Lenglino, D. Marpachio, M. Ludovico atque caeteris ecclesiae Argentoratensis ministris.

Dominus noster Iesus Christus servet vos sibi, et totam istic ecclesiam suam, ereptosque praesenti afflictione optata det rursus pace frui. Amen.

Oramus vos in Domino, gratias pro nobis agere Domino velitis, qui huc nos mira perduxit benignitate. Ut enim iter terrestre omnino quietum ab infestis hominibus, ita traiectionem freti Caletani dedit tranquillam a ventis, nec ultra quinque horas in ea nos detinuit. D. *Cantuariensem* heri convenimus, patrem ecclesiarum et piorum hominum benevolentissimum et benignissimum, qui nos ut fratres non ut clientes excepit habetque. Apud hunc reperimus, quod gratissimum fuit, desideratissimum nostrum D. Petrum *Martyrem* cum uxore et *Iulio* suo, D. *Immanuelem* cum sua, *Dryandrum* item et alios quosdam pios Gallos quos istinc praemisimus. Hos omnes fovet D. *Cantuariensis*. Religionis causa habet, quod ad constitutionem dogmatum et definitionem rituum attinet, admodum optate: satagendum nunc est ut comparentur idonei ministri, qui ista quae salutariter decreta sunt vero zelo exsequantur et populis tradant. Ut enim in Gallia et Italia, ita et in hoc regno pastores ecclesiarum munus suum hactenus caeremoniis maxime praestiterunt, conciones rarissimas, catechismum nullum habuerunt. Hinc permagna laboratur doctorum ad plebes inopia. Sed si Dominus initia misericordiae suae in hoc regnum declarata velit, ut coepit, persequi, brevi tempore succurri poterit isti docentium greges Domini inopiae. Plurima enim et lauta habent stipendia pro discentibus theologiam, unde etiam quam plurimi ex iuventute ad sacra discenda sese conferunt. Ubi traducta fuerit in latinum caeremoniarum descriptio, quod nunc fit, eam ad vos mittemus. Data audio quaedam et veterum reverentiae et praesentium infirmitati, ut sunt vestes vulgatae in sacris eucharistiae, et luminaria: item de memoriis defunctorum atque usu chresmatis: nescimus tamen quantum aut quale hoc sit. Affirmant nihil esse in his superstitionis, et ad tempus tantum servanda esse, ne populus nondum Christum edoctus nimia novatione a religione Christi absterreretur, magis alliceretur. Illud vero nos valde recreavit quod leguntur et canuntur omnia in templis lingua vernacula, et doctrina iustificationis pure et solide traditur, atque eucharistia dispensatur iuxta institutum Christi, missis privatis sublatis. Quantum intelligimus academiae alicui adiungemur, et forsan Cantabrigiensi, quum Oxonii sit D. *Petrus Martyr*. Faxit Christus ut ad gloriam suam id cedat. Negotium Domini et aedificium ecclesiae eius agitur, ut solet inter initia, quum fortis armatus atrium suum tuetur strenue. Quo igitur pauciores sunt qui pugnam Domini subeunt, hoc plus hic paucis incumbit certaminis. Det Dominus ut et hinc peccatorum nostrorum et

in ministeriis nostris negligentiae efficaciorem concipiamus poenitentiam. His enim id meruimus, ut quo ministerii nostri tempore et qua vitae nostrae aetate fructum laborum nostrorum istic percipere debebamus, ubi tot annis aliquid tamen laboravimus, idque exoptata omnium ordinum et aetatum ecclesiae progressione in omni cognitione filii Dei et disciplina regni eius, eo tempore et aetate deducamur, ne dicam depellamur ad excitanda novalia, idque in gente quae, quamvis magnis et ipsa donis Domini cumulata sit, tamen lingua et moribus tantopere diversa, quaeque ut omnes sua quoque peculiaria habet ad cultum verbi Dei impedimenta. Interim tamen agnoscimus merito hoc maximum esse Dei in nos indulgentiae beneficium, quod ibi et certare et laborare nos vult Dominus, ubi eius praecepta omnia exponere quam liberrime licet, ubique non desunt qui velint esse nobis in his et certaminibus et laboribus quum solatio tum adiumento. Tempus igitur quietis nostrae sit, quum Dominus nos ad se transtulerit. Adsit tantum ipse nobis, dum hic nos vult a se peregrinari, idque et vos sedulo orate ab eo nobiscum, ut fidos nos ei et ecclesiae eius frugi praestemus ministros, quocunque in loco et quacunque carnis commoditate vel incommoditate id fieri ipse velit. Nos [1]) quoque orabimus Dominum sedulo ut ecclesiam istic et vos servet ne et vos ab ea avellamini: quoque id fieri possit, ut largiatur ut iugum suum commodissimum, i. e. disciplinam eius, omnes libenter recipiant, sine qua profecto stare ecclesia non poterit. Quam multos enim annos exspectavit Dominus hunc a nobis fructum, quamque benigne omnem nobis cultum, ut hunc tandem fructum a nobis perciperet, impendit? Ab omnibus quidem suis, etiam hodie primum sibi regenitis obedientiam omnium suorum praeceptorum iure suo requirit. At non potest non gravius irasci illis qui hanc obedientiam pergunt detrectare, quum ad eam vocare illos, atque quum amplissimis beneficiis invitare, tum acribus quoque impellere flagellis non desistat, per tam multos iam annos. Nam hic praeter horribilem ingratitudinem adversus amplissima beneficia Domini tam locupletis tamque diuturnae doctrinae et institutionis, gravissima se involvunt culpa offendiculi quod obiiciunt omnibus eos in agnitione evangelii sequentibus. Experimini quotidie quid obiiciant homines in pagis pastoribus suis urgentibus Christi disciplinam: Tamen in civitate ista non exiguntur, ubi sunt pastores tam docti et boni quam tu sis? ubique sunt prudentes et religiosi etiam magistratus? Expertique sumus quid nobis obiecerint nostri quorum cervices adhuc rigent amplius quam ut submittere illas Domini iugo sustineant. Nec Wittenbergae nec illic ista recepta disciplina est: quanquam disciplinam quae in his viget ecclesiis multo minus admitterent quam eam, vel potius eam disciplinae rationem quam nos proposuimus. Disciplina enim Christi in se una est et in eo perstat ut membra Christi se invicem omnia et agnoscant et complectantur quam familiarissime et quam amantissime, et aedificent se mutuo in cognitione et obedientia filii Dei quam studiosissime et efficacissime, atque ecclesiarum administri oves Christi singulas agnoscant curentque et pascant, ut princeps pastor Christus dedit exemplum: oves vero vocem huius pastoris sui boni in ministris exaudiant et sequantur, non aliter atque si illa ore ipsius Domini insonaret. Hanc esse Christi disciplinam omnes novimus. Innumeris enim locis scripturarum eam Dominus nobis descripsit et proposuit, quo vita et scriptis et concionibus illam ipsi quoque tot iam annis clarissime praedicavimus. Quapropter si non tandem vel in aliqua ecclesiarum parte re ipsa exhibeamus, post tanti temporis doctrinam maximaque Dei in nos collata beneficia, atque iam etiam adiecta acerbissima flagella, annon omnibus nos ad Christum sequentibus et sequuturis praebemus, imo obtrudimus etiam infelicem illam disciplinae excusationem perniciosam quidem usurpantibus, non minus autem noxiam, imo amplius, magistris eius: Quid ita nobis iugum hoc imponere laboratis cui tamen nondum submiserunt se ecclesiae, quae viginti et triginta annos evangelion Christi audierunt? Nobis scilicet ingeretis cibum hunc solidum pridie Domino renatis, quem nondum potuistis inferre vestris illis qui tam multos iam annos in Christo numerant? Perfectus est discipulus si sit sicut magister suus: vestrae ecclesiae nostris sunt loco magistratuum. Praebeant igitur prius illae nobis disciplinae istius exemplum in hac magna aetate sua in Christo: tum indulgeant nobis tantum temporis, ut huc usque irroboremur, quantum indulserunt sibi, ac deinde et nos sub hoc Domini iugum ducant. Haec quanquam impia sit excusatio (Domino enim obedire debemus secundum verbum suum, non secundum exempla hominum), tamen carni quum videatur valde aequa, eam certe cunctis ecclesiis ingerimus, quibus iam et propter tempus et amplissima Dei dona, quibus nos ante tot gentes ornavit benignissime, exempla praebere debemus omnis pietatis et obedientiae. Atqui novimus terribilem illam vocem Domini: Vae mundo a scandalis. Haec det Dominus ut omnes nostri istic, et in magistratu et in plebe, vobiscum pie pensitent. Quibus enim datum permultum est, ab his multum etiam exigitur. Quumque necesse sit Dominum diligere super omnia, et totum mundum omnino cum omni nostra sapientia plane abnegare, longissime a nobis profligenda illa sunt. Nunc alia sunt quam erant

---

1177. 1) *Sequentia non leguntur in edit. Cantabrigiensi.*

apostolorum tempora. Numerosae ecclesiae sunt. Homines non ferunt istud iugum. Opus est omnium consensu. Quae oves enim sunt Christi sequuntur salutarem vocem pastoris sui et alienorum vocem fugiunt, etiamsi totus reclamet mundus. Et hoc recte si doceantur. Non possunt non libenter se iugo Domini submittere: norunt enim in eo suam constare sempiternam salutem. Ac quo plures sunt numero, eo magis sese invicem adiuvant, ut iugum hoc Domini et libentius suscipiant et salubrius sustineant: quumque eandem Christi vocem sequantur in ipso renatae, omnino competere sibi agnoscunt quaecunque donata sunt et observata apostolis, ut quibus idem tempus acceptabile, iidemque dies salutis illuxerunt. Et quomodo possint alia esse apostolorum et alia nostra tempora, quos vivere necesse est in eodem Christo agique eodem spiritu? Certe si non et nostra eadem ferant quae apostolorum tulerunt in obediendo Christo tempora, quum eiusdem nobis doctrinae tempora vere et tamdiu iam donata sint, non erunt nobis etiam eadem cum apostolis tempora recreationis et perfectae salutis exspectanda. Sed ipsi ista vobis semper inculcatis et vestris. Dominus det iusta incrementa. Vestri sumus et vos nostri. Scimus et quotidie audimus in quam sublimem Dominus vos et ecclesiam nostram istic evexerit, quantumque momentum habeant vestra exempla, et ad aedificationem ecclesiarum plurimarum, si illa donis Domini in vos respondeant, et ad destructionem, si secus. Hinc fit ut non possimus non ista vobis ingerere subinde, quae quum sint Domini, sint monita vitae aeternae, non poterunt vobis videri crambe reposita. Tamen amatis nos, et laborum nostrorum memoriam amicam retinetis: et eo itaque nomine grata ista vobis erunt quantumvis et ipsi ea teneatis et a nobis audieritis saepe.

Anxie[2]) exspectamus literas vestras, ut cognoscamus quomodo superet Antichristum apud vos filius Dei, quod omnino tandem et brevi perficiet. Commendemus nos invicem Domino assiduis precibus, et valete in Domino omnes cum omnibus vestris uxoribus atque liberis, amicis, totaque et ecclesia et schola quam felicissime. Ubi de nobis et de regno Christi hic certiora habuerimus ea vobis quoque impartiemus. Benedictio Domini augeatur vobis semper. Amen. 26. Aprilis Lambeti ex aedibus D. Cantuariensis prope Londinum.

Vestri toti in Domino
M. Buc. et Paul Fagius.

2) *Reliqua praebet etiam Cantabrigiensis editio.*

1178.

HALLERUS CALVINO.

Quid in synodo Bernensi gallicana actum sit et qualem opinionem ipse hac occasione de ministris illius nationis conceperit, fuse exponit; Viretum suspicionibus liberatum gaudet, Marcurtium repulsum significat, denique animadversiones in confessionem Calvini sacramentariam proponit ipsamque conventui non exhibitam fuisse fatetur.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 35.)

Insigni servo Iesu Christi D. Ioanni Calvino fratri suo et symmystae venerando pastori ecclesiae Genevensis.

S. Debueram ad tuas iam pridem respondisse, colendissime vir et frater venerande, sed puto te mihi . . . . .[1]) condonare, quum non nescias ecclesiae nostrae et ministerii mei conditionem, quod non omnia quae velim et deberem possim prae negotiis. Non enim vidi molestiorem unquam conditionem quam ea sit quae imminet huic qui in hac ecclesia fideliter laborare velit. Amplissima illa ditio amplissima etiam nobis exhibet negotia. Accedit et alia causa propter quam ego liberius distuli ad te scribere: quia non ignorabam clarissimum fratrem nostrum et symmystam D. *Viretum* diligenter ad te perscribere,[2]) quum quid in synodo nostra actum, tum quid de vestra ad nos missa declaratione[3]) nobis visum sit. Quod ad tractationem synodi attinet, sunt scio multi qui multa querantur: his visum est non ecclesiastica procedi ratione, sed civilem potestatem et disciplinam ecclesiasticae misceri, quod viderent iudices et censores nobis e senatu esse deputatos. Aliis visi sumus nimis clementer egisse cum multis. Atqui confiteor nonnihil esse desideratum, imo perfectius quid me etiam desiderare. Sed quum considero eum qui hactenus fuit et adhuc est ecclesiae statum, nescio quomodo commodius haec fieri potuerit censura, quam ut sub testimoniis fratrum a praesidentibus dominis censerentur et castigarentur leviores fratrum mores. Hoc enim animadverti facile, quod nisi hanc sequuti fuissemus rationem, et ita autoritate assessorum repressa fuisset procax quorundam dicendi petulantia, citius ad pugnas quam ad concordiam aut commodam aliquam et ecclesiae conducibilem pervenissemus tractationem. Miratus enim sum valde et adhuc mecum deploro, dum illas intueor ecclesias quae

1178. 1) *charta deficit.*
2) N. 1170.
3) N. 1161.

a plus affectibus quam sinceritate doctrinae regun-
ur: quidquid admonerentur fratres ut memores
siurandi* proferrent non nisi vera et lecta, nihilo-
inus tamen illi contra se mutuo testari, levissime
ffectus et odia prodere. Hi accusare, illi defen-
ere, ut maxime se ipsos censura dignos facerent
ui alios censere debuerant. Ad singulorum enim
re censuras ipsi in se mutuo odiosissimis insurgere
nimis et plus quam aculeatis vocibus mordere et
acerare, dum eundem alii defendere alii accusare
onarentur. Nescio an huic genti peculiarior sit
ixandi libido et facultas quam Germanis. Certe
n germanica gravius omnia, brevius etiam et ma-
ore cum fructu. Hic nihil fere deprehendi quam
enenatorum nidum serpentium. In hoc unum
rgo laborandum fuit ut ferocientes et excandes-
entes reprimerentur animi, ne ad contentionem de-
eniremus exitialem. Quilibet enim sibi datam pu-
abat saeviendi in alterum occasionem. Et videor
go mihi bene habere quod vel talem potui videre
xitum. Bone Deus! Quid futurum erat si nobis
olis sine arbitris e senatu agendum fuisset. Pro-
nde vellem melius consulerent hunc modum agendi
li qui neque meliorem dare possunt nec hoc sine
alumnia esse contenti. Eadem fuit ratio quare
tiam minus videamur fuisse severi, quum satis
rga se mutuo severi et inclementes, imo furiosi
uerint fratres. Certe utilis haec fuit clementia:
lioqui periculum erat ne in aliquot classibus si-
nul omnes abdicarent. Tales enim iam audiebantur
Dominis sermones, adeo exacerbabantur, quum
iderent quomodo illi se mutuo accusarent et excu-
arent, ut manifestissimum esset nihil fere ex veri-
ate, pleraque autem ex odio, livore, et e spiritu
maricationis proficisci. In hoc ergo tantum incubui,
uum viderem quid alias futurum esset, ut diligen-
er singulorum censurae in scripta redigerentur,
uae nobis posthac perpetuo qualis quisque esset
xhiberent, quo et commodius posthac erga illos
gere liceat. Et haec non unica fuit ratio quare
go tantopere urserim et institerim, ne differretur ille
onventus, quo possem singulos cognoscere, tam
ermanos quam Gallos. Quid enim potui corrigere
n his quos habebam incognitos? Atque utinam
am essent cogniti. Aliquem tamen habeo eorum
ognitionis gustum, et quod iam fieri non potuit,
et tamen posthac per occasionem commodius. Me-
uo enim valde ne, si voluissem iam omnes curare
icatrices, omnia renovassem vulnera, et sensissent
ravius omnes ecclesiae dispendium. Videtur etiam
oc non exiguum, quod ego hactenus studiosissime
uaesivi, ut frater noster dilectus *Viretus*, qui
naxima premebatur suspicione et gravia de ipso
emper erant praeiudicia,[4]) his tandem aut libera-
retur, aut ab ecclesia nostra dissentire manifeste
deprehenderetur. Liberatus est is, et tanto nunc
principibus et nobis omnibus carior, quanto suspicio
de ipso fuit iniquior. Et si nullus omnino fuisset
huius synodi usus, esset tamen ille, qui certe non
exiguus est, quod consuetudo horum conventuum
renovata et quasi postliminio reversa et recepta est,
qua hactenus ecclesiae hae non sine magnis pertur-
bationibus caruerunt. Frequentius ergo posthac, ut
spero, celebrabuntur, unde paulatim veterascent et
evanescent odia, suspiciones, restitueturque pia ec-
clesiis pax: unde non potest non sequi etiam
communis correctio, instauratio et aedificatio eccle-
siarum.

Quod *Marcurtium* attinet, ereptus est ei suus
ille libellus quem etiam obtulit examinandum, et
fuisset sine dubio abdicatus nisi delirare magis
quam ex malitia agere videretur.[5]) Recantavit quo-
que suam illam baptismi necessitatem ultro. Con-
siderationes de gravaminibus ecclesiarum et rebus
vel corrigendis vel instituendis scripto exhibuerunt
fratres, ita constituente senatu, ne negotium protra-
heretur diu, et denuo in illis plus quam in censu-
ris contenderetur, atque ita fratres cum duplici pe-
riculo ab ecclesiis abesse cogerentur. Eae ante
diem resurrectionis neque a nobis propter negotia
ecclesiastica, neque a magistratu propter sua legi
expendi et considerari potuerunt. Distuli etiam ego
libenter in adventum D. *Musculi*,[6]) qui Tigurum
reversus paucis diebus ante Palmarum[7]) rediit.
Nunc vero illae nobis sunt in manibus. Laborabo
ego quantum possum ut aliquem effectum et exse-
quutionem sentiant ecclesiae. Non tamen omnia pos-
sum quae vellem: est nobis ita per gradus progre-
diendum perpetuo ad meliora, ut aedificetur corri-
gaturque ecclesia.

Quod vero vestram attinet confessionem sive
declarationem de coena Domini, licet D. *Viretus*
sine dubio exposuerit tibi rationes quare non vi-
sum fuerit ipsi et D. *Musculo* et mihi ut propone-
retur fratribus, alias plus satis efferis et commotis
atque contentiosis, nihilominus tamen ego meas quo-
que tibi non gravabor significare rationes, quare
consultius mihi visum fuerit supprimere quam pro-
ponere.[8]) Hic vero, pro tuo candore et iam satis
cognita et perspecta mihi pietate et benevolentia
qua me complecteris, benigne meas rationes iudica-
bis. Non ea enim ratione visa fuit celanda fratri-

4) *Vide quae ipse Viretus de his dicit N.* 1136.

5) *Cf. N.* 1164 *et* 1168.

6) *Interfuerat synodo gallicanae.*

7) *Dies Palmarum hoc anno incidit in* 14. *Apr.*

8) *Vides errare Hundeshagenium qui p.* 246 *contendit, nihil memoriae traditum esse de iudicio quod Bernenses tulerint de confessione Genevensium, ideoque eam cum applausu receptam putat.*

bus, quod ego impiam aut adversam nobis iudicem aut iudicare possim, sed quia quaedam propositiones viderentur duriores continere loquutiones quam quibus ecclesiae nostrae, maxime etiam rudiores et minus exercitati usi sint aut diiudicare queant. Quae suspicionem fortassis plus augere quam elevare potuerunt, quum ego hoc unum quaeram ut suspicio cesset, quum videam nos re ipsa parum vel nihil dissidere et dissentire, et facile in re convenire posse, si in dicendi modo formulis possimus. Ut in prima propositione ponitis *caett.*

(*Sequuntur Animadversiones in confessionem ministrorum Genevensium nomine synodo Bernensi oblatam. Quas quum iam supra Opp. Tom. VII. pag. 723 seqq. ediderimus hic denuo excudendas curare supervacaneum ducimus, ideoque statim clausulam epistolae hic subiicimus cuius fragmentum tantum illo loco tibi obtulimus.*)

Haec ad te, carissime et venerande *Calvine*, dare volui, non quod ego mihi tribuam aliquid iudicii vel eruditionis, quae sentio quam sit exigua, aut quod ego vel corrigiam tibi solvere possim, sed ut amice tecum ut discendi cupidus conferrem, et exponerem: quare non visum fuerit illam vestram confessionem conventui nostro exhibere, quum contentio illa diutina animos nostratium plus satis reddiderit suspiciosos, et perverterit paene quorundam omne iudicium. Quae ego hic addidi non sic addidi, ut ego his vestris loquutionibus adeo offendar, quum facile ex his meis intelligas quo sensu ego a vobis positas esse iudicem: sed volui perpendere omnino quid simpliciores, rudiores, suspiciosiores, contentiosiores offendere potuerit, ne fortassis, dum ego pro tollendis laboro suspicionibus, hisce propopositis nutrirem magis. Quae utinam tandem cessent. Videor mihi videre vos idem sentire quod nos: abhorrere utique ab his erroribus, qui hactenus tolerari et dissimulari non potuerunt, utpote de corporali corporis Christi praesentia et humanitatis ipsius in ubiquitatem extensione, item ab alligatione gratiae ad sacramenta. In quibus duobus articulis meo iudicio omnis hactenus constitit controversia. Utinam ergo in loquutionibus etiam convenire possimus talibus, quae nihil veteris fermenti saperent, sed ad ecclesiae aedificationem essent appositae: ut non modo idem sentiremus, sed et iuxta quod apostolus monet loqueremur. Dominus tribuat nobis spiritum suum, qui est unitatis et concordiae spiritus, ne afflictissimam alias ecclesiam nostris magis affligamus contentionibus. Amen.

Meam in scribendo ruditatem et libertatem condona mihi, obsecro. Diligo te ut insignem Christi Domini mei servum et peculiare organum Dei. Deinde tua humanitas, qua me proxime tam amice et honorifice excepisti Genevae, facit me tam protervum ut tecum non agam tam sollicita ut merito deberem reverentia sed tanquam cum fratre coniunctissimo, ut non curem quomodo aut quid scribam, modo mentem teneas meam. Ut enim meae mihi tenuitatis et inscitiae conscius sum, quae etiam facit ut rarius scribam, ita tamen ex animo diligo omnes pios eruditos et insignes viros qui pro gloria Domini aliquid et audent et possunt. Quos si nullo alio officio iuvare possum, iuvo tamen precibus, quantum in me est, et iuvabo quoad vixero. Vale, mi praestantissime et carissime frater. Dominus te custodiat perpetuo et ad ecclesiae suae utilitatem quam diutissime conservet. Salutat te *Musculus* noster, *Gironus* et Nicolaus *Zerkindes*. Saluta tu nostro nomine et fratres et symmystas tuos omnes, viros praestantissimos et gravissimos, inprimis D. *Gallasium*. Bernae 3. Cal. Maj. 1549.

Tuus in Domino
Ioan. Hallerus.

Uxori tuae congratulor quod Dominus illam ad se transtulerit. Hoc enim significavit mihi *Viretus*. Tibi vero condoleo quod ea carere cogaris donec eam in Domino sequaris.

1179.

A MADAME DE CANY.

Relation de la mort de Madame de Normandie.

(Il existe plusieurs copies de cette lettre. La plus ancienne à la Bibl. de Genève MSS. 107[a], fol. 328; trois autres aux Vol. 107, f. 22 et 26 et 111, fol. 219, une cinquième à Berne Epp. VII. 993, enfin chez Simler Vol. 69. Elle est imprimée chez Henry, Vol. I. App. p. 85, chez Bonnet, Lettres fr. I. 295 et en anglais II. 205. M. Bonnet suit les copies récentes.)

Madame, [1]) combien que les nouvelles que ie vous mande sont tristes, et pour contrister celuy auquel ie vous priray les communicquer, toutesfoys iespere que mès lettres ne laisseront pas destre bien receues de vous. Il a pleu a Dieu de retirer de ce monde la femme de mon bon frere, Monsieur de *Normandye*. [2]) La consolation est pour nous quil la

---

1179. 1) *Sur Made. de Cany et M. de Normandie voyez N.* 1117.

2) *Anne, fille de Eloy de la Vaquerie, de la noblesse de Picardie. Son fils aîné Jean, né à Noyon en* 1545 *fut la souche d'une famille genevoise très-distinguée.* (*Galiffe, not. gén.* II. 530.)

recueillye a soy car il la conduicte iusques au dernier souspir, comme si luy eust visiblement tendu la main. Or pource quil faut que le pere delle en soyt adverty, nous avons pence quil ny avoit moyen plus propre que de vous requerir quil vous plaise prendre ceste paine de lappeller a vous, afin que la douleur soyt adoulcye par vostre moyen. Ce que nous a escrit le gentilhomme qui vous presanta naguerres noz lettres, nous a donne hardiesse de ce faire. Cest quavies introduict le bon homme, dont est question, au droict chemin de salut, et luy aviez donne goust de la pure et saine doctrinne a laquelle il nous fault tenir. Ainsy nous ne doutons point que vous ne layez presse [3]) et mesme en telle necessite comme cestecy. Car vous ne pourriez [4]) mieux vous amployer qua porter le mesaige au nom de Dieu, pour consoller celuy auquel vous avez desia faict tant de bien, a ce quil ne soit desconforte oultre mesure. Or, Madame, ie vous laisseray a luy amener les argumens et raisons que vous congnoistres estre propres a lexorter a patience. Seullement ie vous reciteray en brief listoyre qui vous donnera assez emple matiere de luy faire telle remonstrance quil aura de quoy se contenter. Et selon vostre prudence et la grace que Dieu vous a faicte, vous en puyserez ce que lopportunite requerra.

Ayant entendu lindisposition de la bonne femme, nous fusmes esbahys comment elle avoyt si bien porte le travail du chemin, car elle vint toute fresche, et sans monstrer signe de lassitude. De faict elle recongnoissoit bien que Dieu luy avoit singullierement ayde depuis se temps la, selon sa debilite. Elle se portoyt assez bien iusques un peu devant Nouel. Toutesfoys le desir et zelle quelle avoyt douyr la parolle de Dieu la soustint iusques au moys de ianvier. Alors elle commenca a tenir la couche, non pas quon estimast encore le mal estre mortel, mais afin de pourvoyr [5]) le danger quon y iugoyt estre a la longue. Tant y a quattendant bonne yssue, et esperant de recouvrer sente, elle se disposoyt neantmoins a mourir, disant souvant que si se nestoit pour ce coup, elle ne pouvoyt targer longtemps. Quant aux remedes, on y a faict ce quon a peu. Et si elle a este servie de ce qui concernoyt le soullaigement de son corps, ce quelle prisoyt le plus ne luy a pas failly, assavoir sainctes admonitions pour la confermer en la crainte de Dieu, en la foi de Iesus Christ, en patience, en espoyr de son salut. De sa part elle a bien monstre tousiours quon ne travailloyt pas en vain: car en tous ses propos, vous eussiez veu quelle avoyt le tout imprime au profond de son coeur. Brief, en tout le cours de sa maladye, elle cest monstree une vraye brebis de nostre Seigneur Iesus, ce laissant paisiblement mener a ce bon [6]) pasteur. Deulx ou troys iours devant la mort, comme elle avoyt le coeur plus esleve a Dieu, aussy parloyt elle dune plus vehemente affection que iamais. Mesmes le iour devant, comme elle exortoyt ses gens, elle dist au servyteur quil se gardast bien de iamais retourner en lieu ou il se polluast en ydolatrye; et puis que Dieu lavoyt conduyt en une Eglise Chrestienne, quil avisast dy vivre sainctement. La nuyt suyvante elle fut fort pressee de grandes douleurs et continuelles. Toutesfois iamais on navoyt autres complaintes delle quen priant Dieu quil eust pitie delle et quil la delivrast de ce monde, luy faisant grace de perseverer tousiours en la foy quil luy avoyt donnee. Environ cinc heures du matin, ie vins a elle. Apres quelle eut ouy fort patiemment la doctrine que ie luy proposay, selon que le temps le requeroyt, elle dist: Lheure aproche, il fault que ie parte du monde; ceste chair ne demande que de sen aller en pouryture; mais ie suys certaine que mon Dieu me retirera en son Royaulme. Ie congnoys bien que ie suis paovre pecheresse, mais ie me confie en sa bonte et en la mort et passion de son filz. Ainsy ie ne doute point de mon salut puis quil men a asseure. Ie men vois a luy comme a mon pere. Comme elle tenoyt ces propos, il arriva bonne compaignie. Ientrelassoys par fois quelques motz, selon quil me sembloyt estre expedient: et aussy nous faisions prieres a Dieu selon lexigence de la necessite. Apres avoyr monstre derechef la congnoissance quelle avoyt de ses peches pour en demender pardon a Dieu, et la certitude quelle avoyt de son salut, mettant sa fiance en ung seul Iesus, et ayant a luy tout son refuge, sens estre incitee de nul, elle commenca a prononcer le Miserere, comme nous le chantons a leglise, et continua a haulte voix et forte, non sans grand peine, mais elle pria quon luy permist de continuer. Sur ce ie luy fis un bref recueil de largument du pseaulme, voyant le goust quelle y prenoyt. Elle apres, me tenant [7]) par la main, me dist: Que ie suys heureuse, et que ie suis bien tenue a Dieu, de ce quil ma icy amenee pour y mourir. Si iestoys en ceste malheureuse pryson, ie noseroye ouvrir la bouche pour faire confession de ma chrestiente. Icy non seulement iay liberte de glorifier Dieu, mais iay tant de bonnes remonstrances pour me confermer en mon salut. Quelque foys elle disoyt bien:

3) vous ne soyez preste à continuer 107. *S. H. B.*
4) nous ne pourrions (*les mêmes*).
5) prevenir (*Copies*).
6) grand *Bt.*
7) prenant *Bt.*

Ie nen puis plus. Quant ie luy respondoys: Dieu pourra pour vous, il le vous a bien monstre iusques icy comme il asiste aux siens: elle disoit tantost: Ie le croy, et me faict bien sentir son ayde. Son mary estoit la, sesvertuant en sorte quil nous faisoyt pitie a tous, et cependant nous faisoit esbahyr de sa constance. Car menant un dueil tel que ie say, et estant presse dextreme engoisse, il avoyt gaigne ce point sur soy dexorter la bonne partye, aussy franchement comme sil eussent deu faire un voyage bien ioyeux ensemble. Les propos que iay recites estoyent au milieu des grans tourmens destomach quelle enduroyt. Environ les neuf ou dix heures ilz lappaiserent. Cependant comme ayant plus de relache, elle ne laissoyt[8]) de glorifier Dieu, se humiliant tousiours pour chercher son salut et tout son bien en Iesus Christ. Quant la parolle luy fust faillye, elle ne laissa pourtant de parler de son visaige, monstrant signe[9]) combien elle estoyt ententive tant aux prieres quaux admonnitions quon luy faisoyt. Au reste elle estoyt si paisible quil ny avoyt que la veue qui donnast aparence de mort.[10]) En la fin, pensant quelle fust passee, ie dys: Or prions Dieu quil nous face la grace de la suyvre. Comme ie me levoye, elle tourna ses yeux sur moy,[11]) comme se recommandant a ce quon perseverast a prier et a la consoler. Depuis nappersusmes nul mouvement, et trespassa aussy paisiblement, comme si elle se fust endormye.

Ie vous prie, Madame, de mexcuser si iay este trop long. Car iay pence que le pere seroyt tant mieulx contente, estant plainement informe de tout, comme sy luy mesme eust este sur le lieu. Et iespere que pour un oeuvre si saincte, vous ne trouverez rien facheux. Sainct Paul traictant de la charite, noublie point quil nous convient[12]) pleurer avec ceux qui pleurent, cest a dire que si nous sommes chrestiens, nous devons avoyr telle compassion et tristesse de noz prochains, que nous portions[13]) voluntiers une partie de leurs larmes, pour les soulager daultant. Il ne se peult faire que le bon homme ne soyt de prime face navre de grant dueil. Toutesfois il debvoit estre prepare de longue main a recevoyr les nouvelles, attendu la maladye qui avoyt desia gaigne tant en la personne de sa fille, que les remedes en estoyent desesperez. Mais le principal est de lexemple quelle luy a monstre, et a nous tous, de nous renger a la volunte de Dieu. Ainsy puis quelle cest offerte sy paisiblement a la mort, suyvons la en cest endroict, acquiescant en cest endroict a ce que Dieu en a dispose. Et si le pere la aymee, quil declaire son amour en se conformant au desir quelle a eu de sassubietir a Dieu. En voyant que son issue a este sy heureuse, quil se resiouysse en la grace que Dieu luy a faicte, laquelle surmonte tous les biens que nous pouvons avoyr en ce monde.

Sur quoy, Madame, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie supplye nostre bon Dieu de vous estre tousiours protecteur, de vous augmenter en tous ses biens spirituelz, et de se servyr de vous a glorifier son nom iusques a la fin. Ce penultiesme dapvril 1549.

Vostre humble serviteur et frere,
Charles despeville.[14])

8) cessoit (*copies*).
9) monstrant signe *om. Bt.*
10) vie *Bt.*
11) nous *Bt.*
12) fault (*copies*).
13) prenions *Bt.*

1180.

VIRETUS ZEBEDAEO.

Exordio facto ab amicitiae laude primum historiam narrat ecclesiae Lausannensis ab ipso fere creatae, tum quo pacto olim a Carolo turbata fuerit commemorat, denique Zebedaei ambitionem notat eiusdem ecclesiae paci et prosperitati infestam.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 42 seqq.)

S. Si ethnici homines, qui verae amicitiae vix unquam fores aperuerunt, ut eam vel a primo limine salutarent, imo qui ipsum amicitiae venerabile nomen ne cognoverunt quidem exacte, ut qui eius ingenium quibusquo fontibus oriretur ignorarent, eam tamen censuerint omnibus rebus humanis anteponendam esse, neque quidquam tam naturae aptum tamque conveniens vel ad res secundas vel adversas, nos qui christiani nominis titulo gloriamur et filiorum Dei opt. max., qui ipse verus est pacis et amicitiae autor atque parens, si eam non ex animo coluerimus, nonne nos hoc indignos nomine apertissime ac etiam turpissime testabimur? Quid enim aliud est vera amicitia quam fructus suavissimus sanctissimus illius caritatis atque benevolentiae quam nobis tam praeclaris ubique elogiis scriptura divina commendat cuius coelestis spiritus vinculum est, qua sublata omnis est e vita sublata iucunditas, imo ipsum christianae religionis nomen exstinctum, cuius ea est praecipua nota, ipso autore et

14) *La souscription manque dans la copie la plus ancienne.*

teste Christo Domino, ipsius verissimo et absolutissimo exemplari. Ergo si illi umbram illam amicitiae, quam pro vera amicitia amplexati sunt, velut Ixion pro Iunone nubem, violare nefas esse duxerunt, procul dubio non satis video quod possit nomen excogitari quo eius scelus exprimatur qui iura christianae amicitiae non solum violarit sed etiam prodiderit. Quandoquidem is non iura duntaxat humanae violat societatis, sed in ipsum Dei spiritum violentas quoque iniicit manus, quem ipsius autorem conciliatoremque agnoscimus et profitemur, atque vinculum quo nullum oportuit sanctius firmius indissolubiliusque inter homines exsistere. Quum itaque sic se res habeat quis se spiritus huius putet manus ultrices evasurum, qui ipsius violarit maiestatem et sacrosanctum amicitiae caritatisque christianae nomen? Quod si huic sunt iudicio omnes obnoxii futuri quicunque vel e vulgo christianorum secus se in colenda conservandaque amicitia habuerunt quam par est, quam grave eos supplicium manere existimamus qui coniuncti non solum communi christianae religionis nexu, sed etiam eiusdem ministerii, idque in eadem ecclesia et urbe, in eodemque collegio,[1]) si turpius atque perfidiosius omnia iura humana atque divina violarint quam quisquam potuerit, non dico e vulgo tantum christianorum, sed etiam Turcarum? Profecto si ullum esse numen credimus humanorum scelerum vindex, miror sane si non toti exhorrescimus concutimurque, vel ad solam harum rerum memoriam et cogitationem, atque eo magis quo gravius ii ecclesiam offendunt qui, quum aliis ipsi pacis et concordiae autores esse deberent, totius ecclesiae pacem, tranquillitatem ac totum denique illius statum pessime ac deploratissime suis studiis disturbant evertuntque. Non est illa Christi comminatio inanis: Vae mundo ob offendicula, at vero vae illi qui eorum autor fuerit. Si homini huiusmodi Christus ipse utilius multo iudicat ut praeceps in mare, appensa eius collo mola asinaria, demergatur, quanto ei horribiliores in futuro saeculo poenas esse paratas putabimus?

Atqui infitiari tamen non possumus, non modo in hoc nostro collegio violata fuisse omnia amicitiae caritatisque christianae, adde et religionis, iura, verum etiam inde nata, excitata, dispersa ac dissipata, vel in remotissimas regiones usque, offendicula, quibus nulla hactenus, non huic solum ecclesiae sed et toti Bernensi agro totique viciniae unquam nocentiora, tristiora funestioraque experti sumus. Ne quis vero hoc velut vanum commentum irrideat, rem ipsam clarius oculis subiiciamus cuius te quoque testem advoco, utpote eorum quae dicturus sum minime ignarum.

Qualis fuerit huius urbis status[2]) quum adhuc episcopi et sacrificulorum iugo ac ipsius denique Antichristi premeretur, et quanta in ea morum omnium corruptela, priusquam ei illuxerit lux evangelica nihil necesse est verbosius explicare, nec tu penitus nescius esse potes. Nam id ipsum cives ipsi satis testabuntur quod et aliorum complurium testimonio pridem ipse cognovisti. Ex iis itaque coniicere potes qui fuerint nobis exantlandi labores, et quae subeunda pericula sub ipsa rerum initia quum repurgando hoc Augiae sacrificulorum stabulo manus admovenda fuit. Tu, qui huius militiae non es prorsus imperitus et expers, vides, opinor, quibuscum fuerit nobis confligendum monstris. At Dominus, sub cuius merebamus vexillo successum dedit feliciorem quam vel ausi fuissemus sperare. Solus eram quum primum hic vestigium pressi. Urbs nondum Bernatium parebat imperio sed duntaxat socia erat et foederi cum ipsis coniuncta. Episcopum habebat stipatum ingenti canonicorum sacrificulorumque satellitio et magna monachorum turba. Collegia erant saltem quatuor praeter episcopi factionem, quibuscum mihi certandum erat, unum erat canonicorum, alterum cleri, tertium Dominicanorum, quartum Franciscanorum. Taceo mulierum conventus. Iam cogita quot secum isti omnes coniuratos habuerint. Praeterea quantae molis erat illud Ephesiae Dianae propugnaculum et arx Minervae? Quae spes eius expugnandae affulgere poterat? Quis ego eram qui me tot tamque horrendis monstris obiicerem? Non fuit tamen irritus conatus. Quamvis ego imbecillus et tenuis admodum vermiculus essem, cum gigantibus illis comparatus, voluit tamen Dominus exercituum, mea opera meoque utique[3]) ministerio ad debellandos formidabiles istos gigantes gladio spiritus, quo me armaverat accinxeratque, atque in eos primum facere impetum et impressionem. Quam impar essem huic labori haud me latebat, meae satis mihi conscium tenuitatis et imbecillitatis. Sed Domini nitebar praesidio, qui me in hanc militiam asciverat. Ac proinde mihi protinus non socios operis modo sed et duces adiunxit, quorum auxiliis, consiliis, ductu et auspiciis adiutus in coepto persisterem opere, progredererque quo coeperam pede. Nam ex civibus complures mihi auxiliares manus praebuerunt, qui mecum eandem mox doctrinam et religionem professi sunt. Deinde divina effectum est providentia ut christiani nostri principes D. Bernates summum in hanc urbem imperium obtinuerint, nimirum ut velut sub eorum

---

1180. 1) *Ex hoc colligere possis de Zebedaeo removendo nondum serio cogitatum fuisse.*

2) *Viretus m. Februario* 1536 *primum Lausannam venit.* (*Ruchat* IV. 137).

3) *legendum videtur:* uti.

tutela atque patrocinio opus Domini quod coeptum fuerat procederet, perficereturque, sicut et eventus comprobavit. Eorum enim opera effectum est ut habita disputatione publica[4]) falsus idolorum cultus, superstitio et impietas sacrilegorum sacrorum abrogata deiectaque fuerint, quemadmodum tum ipsa disputationis acta, tum annales testantur.

Atque hactenus de primo nostro conflictu cum his qui se apertos pietatis hostes profitebantur et a nostra religione alienos. Nunc ad domesticos hostes veniamus; quo clarius quisque videre possit quibus machinis miseram hanc ecclesiam Satan impetierit quantoque Dei miraculo hactenus consistat.

Quum iam omnibus perfuncti laboribus et periculis videremur, utpote ab externis hostibus liberati qui iam minus nocere poterant, ecce repente nobis Satanas bellum intestinum commovet maximasque domi concitat tempestates et totam ecclesiam maximis obiicit periculis. Facem atque flabellum intestini huius belli sibi *Carolum* delegit,[5]) qui, quo ecclesiam minore negotio incenderet, mihi collega adiunctus est, postquam sua se hypocrisi falsaque eruditionis et sanctitatis persuasione in bonorum principumque virorum amicitiam insinuasset, quos plurimum autoritate ac gratia in ecclesia et republica valere cognoverat. Quas hic nobis turbas moverit, quae excitarit offendicula, quibus me, collegam et socium, in cuius labores ingressus fuerat, qui ei nidum paraverat, quum ipse vixdum haberem quo vitam substentarem, dolis circumvenire conatus sit, quibus obruere et quam impudentissimis calumniis, cum reliquis amicis et symmystis meis, quibus potuerit insidiis, quam doctrinam invehere in ecclesiam studuerit, quibusque studiis contenderit me meumque ministerium infamare ac funditus evertere, ipsamque vixdum natam ecclesiam, acta testantur duarum synodorum, Lausannensis videlicet et Bernensis[6]) in quibus falsae et perniciosae doctrinae atque calumniae foedissimae ac perfidiosissimae convictus publice fuit, totius conventus suffragiis. Testantur et principum adversus eum edicta, diplomata et exsilia, atque eius annales qui hodie *Gallasii* nostri opera et diligentia[7]) per omnium manus volitant, quibus famoso eius adversum nos libello respondet et eius diluit sycophantias. Sed tametsi nihil quidquam horum exstaret, quae tamen postea perpetravit, totiusque vitae ipsius progressus et facinora, studia et eventus, abunde quo sit fueritque ingenio declarent.

Verum his contenti hunc missum faciamus, qui a nobis aperte defecit velut transfuga et ecclesiae proditor, factus tandem apertus hostis, et ad alios[8]) nostra decurrat oratio, qui etiamnum in ecclesia resident habenturque pro viris non malis, qui tamen multis vitae dedecoribus maximisque offendiculis ecclesiam perturbarunt, eiusque ministerium maximis hominum ludibriis et conviciis prostituerunt.

Novus hic rursum nobis labor nascitur, atque eo molestior quo qui ista patrarunt nobis visi sunt fuisse coniunctiores et arctiore nobiscum amicitia constricti. Quo fit ut eorum nomini parcam eorumque, imo potius ecclesiae, sortem deplorare malim quam exagitare quae videntur utcunque consopita ac denuo ignem gladio fodere: quamvis me non lateat quo etiamnum in nos sint animo. Id enim suis studiis satis produnt quum nullos habeant hostibus nostris cariores gratioresque, iisque sint velut a consiliis, quidquid simulent aut dissimulent. Quam vero iustam in nos odii causam habere queant, non video, nisi quod ecclesiae Christi et eius ministerio consulere quam eorum dignitati et quaestui maluimus, et quod ad eorum noluimus contaminatam vitam et scelera connivere, et Christi prodere ecclesiam nostrumque ministerium omnibus conculcandum prostituere. Hac in re non sinit nos sui esse immemores vetus illud proverbium: Amicus usque ad aras: cui si usquam locus esse debuit, hic debuit. Quum autem complures hoc fuerint ingenio, duo tamen praecipui duces fuerunt[9]) qui velut aliorum fulcra videbantur qui quamdiu in nostro conventu locum habuerunt, nulla unquam stabilis pax et concordia obtineri potuit.

Porro hi omnes eo ecclesiae erant pestilentiores, quo caeteris omnibus praestantiores videri volebant, et eas artes non ignorabant quibus poterant sibi hominum gratiam et favorem conciliare et eruditionis opinionem. Sed longe fuit vis veritatis potentior, quae omnes has fraudes retexit. Deprehendit enim Deus astutos in suis astutiis ac velut *ἐν αὐτοφώρῳ*, ut nulla qua elaberentur rima ipsis patuerit. Ergo his rursum hostibus liberata ecclesia aliquamdiu respiravimus. Magnus fuit fratrum omnium totiusque classis in doctrina et moribus consensus. Dicerem de his plura nisi tibi omnia essent notiora quam ut longa sint narratione prosequenda. Quo fit ut magis mirer te his nunc adiungere quorum mores et ingenia satis habes explorata et quos tu nobiscum aliquando damnasti. Sed hac solum tibi ratione ideo caros existimo, quia nobis sunt infensiores, atque idcirco ad danda consilia aptiores.

---

4) *Cal. Oct.* 1536 (*Ruchat* IV. 172 *ss.*).
5) 5. *Nov.* 1536 *a Bernensibus pastor designatus.*
6) *M. Maio et Iunio* 1537.
7) *Quid de hac re sentiendum sit, pluribus docuimus in Prolegg. ad Tom.* VII. *Opp. p.* 31 *ss.*

8) *Haec de Beato Comite dicta videntur.*
9) *Haec omnia satis ambigue et obscure dicta, quamvis perspicua esse potuerint coaetaneis. Fortassis alludit ad ea certamina quae de disciplina et de abbatia a.* 1543 *et seq. orta sunt. Apud Schmidtium* (*Viret et Farel* 1860) *frustra quaeres quae rem illustrent.*

Sed his omissis ad alia progrediamur. Tu tandem huc advocatus es.[10]) Sed hic te oro ut intra te ipsum descendas, tecumque loquare, et abs te rationem exigas, et causas tui ad nos adventus, modumque quo in nostrum irrepsisti collegium. Hic tuam appello conscientiam cuius non potes iudicium effugere. Quum is cui successisti adhuc carcere conclusus detineretur[11]), nonne tu te huc neque rogatus neque vocatus a quoquam contulisti? Nonne tu mihi domi meae tuum consilium et quid expeteres pratefacere coepisti? Quamvis non dubitem te iam tunc temporis spectasse quae tua prae se ferret oratio: sicut postea satis declararunt tua studia et eventus. [Quin[12]) et tua te oratione nonne satis prodidisti, quum roganti ex fratribus Iverdunensibus cuidam, cur hanc scholasticam conditionem deligeres potius quam verbi ministerium, respondisti te non diu in hac futurum conditione, aliam te manere, alioqui recusaturum fuisse?] Sed hoc tuae relinquo coram Domino conscientiae, qui omnium non solum dictorum factorumque arbiter atque iudex futurus est, sed et cogitationum. Quo autem honestior esset praetextus coepisti ea mihi commemorare et altius repetere quae aliquando de te a senatu Bernensi nobis procurantibus statuta furant, ut scilicet stipendiariis duodecim scholasticis praeceptor, moderator praeficereris. Causas afferebas quas asserebas tunc tibi impedimento fuisse quominus conditionem admisisses. Alia iam esse tempora dicebas. Querebaris de tua in ecclesia Iverdunensi conditione, quod non tibi tua illic opera admodum fructuosa ac frugifera esse viderentur. Tibi vero futuram videri longe fructuosiorem, si in eam accersereris conditionem quam recusaras prius, si modo hoc tuum consilium collegis ac symmystis meis, et toti fratrum consessui probaretur. Te porro in hanc venisse cogitationem dicebas, quod exigua spes esset exitus felicioris eius cuius tum conditionem aucupabare.[13]) Ego autem, qui eo haec omnia animi candore, qua abs te dicta existimabam, interpretabar, simplicissime respondi consilium mihi non improbari, meque tuam voluntatem fratribus explicaturum, et hac de re ad eos relaturum promisi: quod in bona fide praestiti. Sperabam enim fore ut tua praesentia et eruditione nostris esses scholis ornamento et usui maximo, unde et ad mea quoque studia aliquid fructus rediturum non dubitabam. Atque utinam mea me non fefellisset opinio, meaque spes non frustrata esset. Ut enim fatear ingenue, nondum mihi satis erat tuum ingenium exploratum, etsi eius non potuerim penitus esse ignarus, sed mihi mea simplicitas et bona spes fraudi fuit.

Hic te rursum appello et tuam conscientiam, obtestorque ut apud te expendas ac memoria repetas, quis te tunc ageret spiritus, quo aspirares, quoque animo haec abs te dicerentur. Cogita num tu te ipsum potius quam gloriam Dei quaesieris, tuisque potius optaris commodis atque nomini consulere, quam ecclesiae Christi. Expende num[14]) te magis celebritas urbis accenderit, et conditionis pinguioris illecebra illexerit, et spes paulo post honoratioris potiundae quam sincerum gloriae Dei studium et literarii profectus. Neque mireris si haec tibi in mentem revoco. Nam magnae multaeque sunt coniecturae quae id ut faciam suadent. Etenim fructus tui ad nos adventus ecclesiae tam exitialis[15]) facit ut merito de tua vocatione non solum dubitem, non equidem fratrum qui te elegerunt causa, sed tua, non ex Deo esse ab eoque profectam, sed etiam certo sim persuasus. Scio in quo spectarint fratres et qua conscientia omnia confecerint. Fieri enim potest ut quis legitime ab ecclesia vocetur, qui tamen sibi male conscius sit malaque sua conscientia vocationem suam, quae alioqui quod ad ecclesiam attinet legitima est, penitus evertat. Quod si quid peccatum est, nimia caritatis et bonae spei fiducia[16]) peccatum est. Nam non deerant in illo conventu et consessu qui nonnihil subdubitare[17]) se satis aperte testarentur de tuis moribus, quibus tuum erat ingenium exploratius. Ad alios enim rumor sinistra quaedam de tua ambitione atque avaritia et tenacitate attulerat, alios autem ipsa terrebat experientia, et merito quidem. Si namque nulla potest pestis excogitari ecclesiae nocentior ac magis exitialis quam ambitio atque avaritia, et si ad eam funditus evertendam altera satis est, quam horrendum nobis monstrum conflabunt, si utraque simul cum altera in uno homine coniuncta inveniatur? Utriusque tamen non vulgaria passim specimina ediderat. Sed caritas, quae minime suspicax esse solet, sed de quamlibet deploratissimo etiam pene[18]) sperare iubet, effecit ut cuncta illa diluerimus. Quis enim non sperasset te verbo Dei aliqua ex parte immutatum et tam celebris et sancti conventus monitis et autoritate, adde et amicitia, commonendum? Ergo fratrum suffragiis electus es.

10) *m. Ianuario* 1547 *Zebedaeus rector Collegii constitutus est.*

11) *Ruchatius quidem Zebedaeum dicit Curioni successisse* (V. 298) *quem inter Oct. et Dec.* 1546 *Lausanna discessisse constat.* (N. 837, 844, 863). *Ex loco nostro colligimus alium quempiam per aliquod tempus suffectum fuisse, nisi ipsum Curionem hic innui crediderit.*

12) *Haec in margine.*

13) *scripserat primum:* venabare. *Alterum vocabulum superposuit.*

14) *lapsu calami scripsit:* non.

15) *superscripsit:* exitiosus.

16) *scripserat primum:* abundantia.

17) addubitare, *a prima manu.*

18) *lege* bene.

Sed audi quae, praeter ea quae iam attigimus, faciunt ut suspicer non tam fuisse sincerum animum quam res ipsa postulare videbatur. Re ipsa comperi, te iam inde ab initio maximo captum cupiditate locorum celebriorum. Hoc abunde testari possunt tuae apud Orbanos[19]) querelae. Nam locus ille tibi videbatur tui minime capax. Hinc tam multae deliberationes de emigrando alio, quamvis tu aliud praetenderes. Hoc loquuntur tuae artes quibus Genevam interea irrepere studebas. Non enim ignoras quid cum *Ecclesiano*[20]) tentaris efficere [ut[21]) scilicet ipse Orbam in tuam emigraret locum, tu in suum Genevam. Quod palam in ministrorum et collegarum suorum conventu fassus est. Nam quum ipse quoque celebritate gauderet urbium nec sibi postremas in ministerio cum grege tenere videbatur, haud satis aequo animo tuam tulit ambitionem].

Praeterea quum me perpetuo obtunderes, ut tibi successorem quaererem, graviterque expostulares quod te illic confici sinerem, atque eo importunius, quod mea opera et studia et consilio eo te vocatum et illi pistrino alligatum affirmares, quum ad te scripsissem mihi esse in manu quem illi ecclesiae idoneum iudicarem, Michaelem *Dubitatum*[22]) scilicet, tunc sententiam mutasti. Nec ideo tamen desiisti ultro citroque accurrere, modo cum hoc modo cum illo paciscens de permutatione ecclesiarum, quasi tu ex oppido in pagum commeare parares. Huius rei testem praeter alios plurimos habemus praecipue Ioannem *Boninium* nunc Lonarensi praefectum ecclesiae, tunc vero Wuilleracensi. Sed quidquid simularis, nunquam urbem deseruisti, donec aut celebriorem aut saltem aeque celebrem nactus es. In qua necdum potuisti acquiescere donec ad nos traductus es.

Quum haec gererentur, tametsi haec quae nunc mihi videre videor mihi aliqua ex parte animus praesagiret, reprimebam tamen hanc cogitationem, veritus ne quid sinistra suspicione concepta in fratrem peccarem. Sed utinam non ita me excaccasset meus in te amor et amicitia. Huc accedit quod, quum Iverdunum missus sum ad classem vestram legatione functurus meae classis nomine, ut scilicet cum bona fratrum venia te in nostrum possemus collegium cooptare, hic mihi rursum cogita qualem te gesseris, quam cupidus esses non solum oblatae sed ambitae conditionis, quam trepidares, veritus ne succederet apud fratres legatio ex animi tui sententia. Quam callida fuit illa tua apud fratres Iverdunenses verborum meorum interpretatio, quum illi me rogassent ut ab instituto supersederemus, idque suo nomine fratres classis nostrae rogarem? Respondi me quidem non in eam gratiam missum esse, sed hoc certo scire ac polliceri, fratres Lausannenses nihil quidquam hac in re tentaturos atque effecturos, nisi servata rite ecclesiae disciplina: vereri autem ne forte principes aliud aliquid statuerent, compulsi necessitate, quam ipsi vellent. Tu ea perinde arripuisti et interpretatus es, ac si ego obscure minatus fuissem, id nostros curaturos apud principes, etiam si fratres Iverdunenses non assentirentur, quum penitus diversa esset mea oratio [adeo[23]) ut id mihi palam sit in Bernensi synodo a *Monchio*[24]) exprobatum, qui callidam tuam et parum sinceram verborum meorum explicationem, non sententiam meam sequebatur, magis mei odio quam tui amore. Nam noverunt omnes ecclesiae, praesertim Bernensis, quae prius fuerit inter vos amicitia et animorum coniunctio, quam tamen nihil dubitavit in tam praeclaro consessu impudentissime et mendacissime *Monchius* iactare omnium conscientiis refragantibus. Cui respondi, non ut merebatur, sed ut ferebant postulabantque tempora et consessus honos[25]) in quo considebamus]. Qua in re tu me et fratres meos afficiebas gravissima iniuria. Etenim nonne id fuisset tyrannos agere in ecclesiam et fratres ac eos irridere et perdere? Si enim id tentassemus, perinde fecissemus atque hi qui quod semel statuerunt simulant quidem se bona cum eorum venia velle consequi, ad quos res aliqua ratione pertinet, ne irrogasse iniuriam videantur. Sin vero id non succedit, id tamen efficere conantur quo iure qua iniuria.

Nunc vero veniamus ad ea quae abs te gesta sunt ex quo huc pervenisti. Principio, simul atque huc appulisti, voluisti in tuam gratiam violari disciplinam scholasticam, quo hac via tibi discipulorum, quorum curam suscepturus eras ac iam aliqua ex parte susceperas, gratiam conciliares, quasi rex aut princeps aliquis adventu vinctos solvi iubet. Nam tum nondum eos domi alebas, sed docebas tantum. Imo vixdum docere coeperas. Id quia tibi non annuimus, quod non possemus citra iacturam et contemptum disciplinae scholasticae, quasi iam non socius sed princeps aut primarius aliquis vir indigne tulisti, ac nobiscum coepisti expostulare et contendere, neque ullis rationibus tibi poterat satisfieri. Quamvis autem id tibi non annuissent fratres, quum tamen ii a ludi magistro qui deliquerant

19) *Orbae fuerat minister* 1539—1545, *unde Iverdunum transiit.*

20) *Phil. de Ecclesia.*

21) *haec in margine.*

22) *Ministrum in Ormonts, postea ap. Monsbelgardenses* (*N.* 459 *not.* 6).

23) *haec in margine.*

24) *nomen dubium. Bernensis synodus m. Martio* 1549 *celebrata.*

25) *vox dubia.*

lecterentur, tu tua autoritate arrogantissime[26]) te nterposuisti, neque sivisti ludimagistrum exsequi uod suum erat, sed ex eius manibus eripuisti, noiis omnibus praesentibus et contra omnium fratrum ententiam. Nos vero, etsi nobis illa tua insolentia n auspiciis ipsis tui ad nos adventus displicuisset, ılimus tamen, non probavimus, sed eam valde suus mirati. Nemo enim erat nostrum qui hoc aus fuisset, etsi id nobis magis quam tibi,[27]) novo dhuc apud nos homini, quod tu tibi contra fratrum ententiam arrogasti. Haec fuerunt in ipsis statim nitiis velut auspicia quaedam et prooemia tuae amitionis et tyrannidis in fratres tuos, sed levissima.[28]).

1181.

SPINA CALVINO.

Gratias agit de epistola sibi nuper missa, quam on ut iucundam modo sed plane necessariam praedixat ad fidem suam confirmandam in tanto rerum et emporum discrimine.

(Ex autographe Cod. Genev. 110, fol. 24.)

Clarissimo viro Carolo Passelio.

Accepi postremas tuas literas, quas qui reddierit haud scire unquam potui. Commeantes enim er multorum manus tritae ac lacerae tandem ad os pervenerunt. Dicerem *αὐτοματὶ καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ*, isi divino consilio id factum potius esse cogitarem, *ρονοίᾳ τῆς τοῦ θεοῦ πάντα τὰ εἰς ἡμῶν σωτηρίαν ἀνήοντα προσκαίρως καὶ ἐν δέοντι διοικοῦντος*. Scilicet on tulit Dominus mihi perire quae ad fidem meam xcitandam et confirmandam plurimum conducere ovit. Non enim post sacras literas et spiritus ancti oracula, quae interdum non ea qua deceat iligentia ac humilitate legentes adoramus, quidquam esse puto mihi magis necessarium ad fidem stis praesertim temporibus retinendam, et hanc eandem postea simplici ac pura confessione declarandam, quam familiares istas epistolas, quibus nos candide et sapienter mones, et si torpere metu ac inertia desidere velimus non sinis, sed quodam velut stimulo urges, et pergere ac progredi viam exhortaris. Vim enim eximiam habent ad ignaviam et timiditatem excutiendam, tam illam quae nobis insita semper a contento et celeri cursu revocat, quam hanc violentam quae carcere incendio minis et praesentibus periculis extorquetur . . . . . [1]) abditos domi tanquam spelunca aliqua tenere contendit. Exsistunt interdum nobis impetus quidam et hic metus repagula perfringere aliquando instituimus. Sed quum prodeuntes in publicum id tentamus et deposita omni formidine et coram proponere qui * ipsi sentimus et iam dudum multi a nobis exspectant, nescio quomodo relinquit nos animus ut metas nobis a timore positas transgredi non audeamus. Et rursus hunc revocamus, quum reversi domum facti * nostri altiorem paulo cogitationem suscipimus, aut sacra legentes in eos locos incidimus, quibus hic animi languor accusatur. Sed multo omnium maxime quum ipse scribis et constantis Christiani officium a nobis requiris. Nam quae ad mores nostros corrigendos pertinent, quum ab aliis audiuntur, maius quodammodo pondus habent: ea vero quae sponte sua nobis in mentem veniunt fere contemnimus, certe non magni ducimus. Itaque oro te per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi et caritatem illam qua fratres tuos complecteris, ut, si aliquod forte tempus tibi vacet a rebus ecclesiae, nostri memineris et literas aliquas dare non graveris. Nobis etiam brevissimae periucundae erunt.

Avidissime commentaria in epistolam ad Hebraeos exspectamus.[2]) Si apparuerunt, an vero adhuc premas, nos quaeso redde certiores. Dominus Iesus Christus te servum suum fidelissimum et ecclesiae hac tempestate pernecessarium incolumem servet. Salutes ecclesiam quae istic est et nos precibus fratrum commenda. Vale.

Tuus ad omnia
Ἰοάνης ὁ ἀπὸ τῆς ἀκανθης.[3])

---

26) *superscripsit:* audacissime et impudentissime.
27) *supple:* convenisset.
28) *Hic subsistit schediasma, quod autor evidenter non absolvit, adeoque Zebedaeo non tradidit. Quod ad tempus scriptae huius invectivae attinet, vero simillimum est, exaratam fuisse antequam Zebedaeus Lausanna remotus fuerit, i. e. ante m. Iunium medium, et post Martium, quia synodi mentio fit.*

1181. 1) *Hic et infra unum aut alterum vocabulum vel dubium mansit vel omnino desperatum omitti debuit.*
2) *Quum Commentarius in ep. ad Hebraeos d.* 23. *Maii* 1549 *Regi Poloniae inscriptus sit, hanc epistolam vix recentius exaratam dixeris quam ut hoc loco inseri debuerit.*
3) *De Ioanne a Spina s. Acanthio (de l'Espine) vide N.* 870.

1182.

VADIANUS BULLINGERO.

Calvinus et Viretus docte quidem de coena disputarunt in suis articulis et confessionibus; sed multo magis e re christiana foret si tandem aliquando disputandi fine facto omnes ad apostolicam simplicitatem suam fidem exigerent. Gallorum maxime, utpote ex nationis ingenio superstitiosorum et sophistarum, senatus Bernensis recte nimiam curiositatem cohibet.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 62, olim Epp. T. 27, f. 524. — Simler. Vol. 69.)

Eruditissimo viro D. Henrico Bullingero clarissimo urbis Tigurinae episcopo domino suo et tanquam fratri.

S. Legi qua potui diligentia prope omnia quae ad me misisti. Peracuta sunt *Calvini* et ministrorum Gebennensium, quae de vi et ratione sacramentorum in certos articulos digesserunt.[1] Est et *Vireti* dissertatio[2] meo iudicio docta, sed illud dolet perpetuo quod non aliter quam in themate aliquo declamatorio alia atque alia, ceu vel ingenii exercendi vel ostentandae doctrinae gratia, proferimus de verbis coenae et apostoli et Christi, nec uni simpliciter fidei nec pari mysteriorum explicationi incitemur, in ecclesiis praesertim tam vicinis, quae nullo labore ad omnimodam unitatem sese cohibere possent, antequam quidquam evulgaretur. Itane licet curiosis ingeniis omnes, ut dicitur, forulos excutere, ne cum aliis consentire sed privatim eximium quiddam et spumosum, ut ille dixit, in medium afferre videantur, quum apostolus requirat recte ut, quoniam uno spiritu in doctrinam Christi sumus regenerati, omnes eodem spiritu animati non varium, non diversum aut pugnans, sed idem pro una eademque fide nostra sentiamus, et certum sit nullam aliam dissensionem hostes evangelii Christi plus ad opprimendos nos animare, quam hanc ipsam, qua de etiamnum infelicissime controvertitur, de coena dominica tractationem? Verum oportet fortassis, eodem apostolo teste, sectas esse eiusmodi, ut qui probati sunt manifesti fiant. Recte vero agit amplissimus ille senatus Bernensis ut, quoniam in suam ditionem variis e locis advolarunt peregrinae et discolores aviculae, quarum et varium esse cantum ex *Halleri* literis didici, summa ope curet ne ratio doctrinae sanae horum genuina curiositate dissiliat, et misere curentur oves Christi quae illius imperio parent. Nam superstitiosos esse Gallos omnis historia vetus testatur, neque ulli alii terrae sophisticam debemus, quae a proximis tribus saeculis ecclesias Christi oppressit. Sed de iis nimium. Id unum oro ut Helvetiam nostram Dominus concordiae spiritu non dedignetur, sive doctrinae unitas requiritur, sive civilis administrationis integritas. Dissensione enim video omnia lapsura quae consensione non poterunt labefactari. Vale. Sangalli postridie Calend. Maii Anno MDXLIX.

Ioach. Vadianus.

1182. 1) *Bullingerus cum Vadiano articulos Calvini* (*N.* 1101, 1129) *communicaverat.*

2) Du ministere et des sacremens.

1183.

FARELLUS CALVINO.

Autor est Calvino ut ipse Turicum properet quo facilius negotium conciliationis in re sacramentaria absolvatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 86, coll. c. apographis Cod. 116, fol. 8; Bernens. Epp. VII. p. 1002, et Simleri Vol. 70.)

Christi servo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis vigilantissimo pastori ut pietate ita doctrina rarissimo ornatissimo fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Nuper ad te scribebam[1] de iis quae alioqui attingere non soleo: sed quum ea sint tempora quae neminem non debeant admonere, quin coniungendis omnibus si non studeant, saltem in mora non sint quae coniuncta vastitati quam imminere videmus occurrant.[2] Sperabam mox tuum responsum, quid sentires, et ut ad eos scriberes per quos negotium impeditur. Sed nihil hactenus excepi.[3] Sane si non probent aliqui, non admodum miror. Sed non tamen in eorum sententiam descendo, nec rursus contra sentientibus assentior: tantum quod tutissimum est sequi omnes vellem, nimirum ut omnes serio resipisceremus, et ad Dominum conversi

1183. 1) *Deperdita est epistola, quod eo magis dolendum quod eius argumentum non nullius momenti fuisse videtur in negotio de consensu Tigurino.*

2) *Sic ille. Quod ne mireris Simlerum non intellexisse qui legere vult:* quin coniuncti vastitati etc. *Caeterum notare videtur Bernenses consensionis declarationem detrectantes, nisi malueris haec quoque ad Turicenses referre.*

3) *sic autor, non* accepi, *quod praebent apogr.*

ipsum ardentissime precaremur veniam, et quae iam nos obruunt et vastant mala deprecaremur. Sed quum hoc non fiat, quid sperare possumus? Si nostris malis aliena coniungimus, [4]) quam est verendum ne ocyus pereamus! Tamen si tibi probetur ac iudices, non tantum nobis hoc usui hic fore, verum etiam non tam atrocem desaevituram tyrannidem in pios quam quidam aiunt tam inflammandam esse, si coniunctio non fiat ut par nunquam fuerit, et verendum ne improbi in hoc omnes conveniant ut perdant omnia, et ubi spes erat aliqua leniendorum animorum nihil supersit quam in rapiem prorsus iam furentes verti: proinde si iudicas hoc esse e re piorum, et plus impediturum Satanae conatus et gloriae Christi inserviturum, id te poscerem ut ad viros te conferres [5]) qui refragantur, et coram ageres quod expediat, et non tantum hoc absolveres, verum quod scriptis inter vos nondum est perfectum absolveres, ut tandem illa tam desiderata concordia tua opera plene absolveretur. Id tibi diligenter et cito faciendum. Huius causa sine invidia potes te ad illos conferre et sane digna res ob quam, si potes, hanc suscipias profectionem, et illam, si expedit, una curabis. Assume quos voles: sine rei familiaris iactura poteris. Quod si coram non potes verbis, saltem literis contende et eas ocyus huc mitte.

Bullingeri literas [6]) ad *Viretum* remisi per Blasium *Ulrichum*. [7]) Spero ad te missas fuisse. Multa me fugiunt, quum non videam quibus respondeat. In multis vetus est cantilena. Sed alia spem faciunt maiorem. Utinam quod abs te petitur alii ita ut tu praestent, et discant tandem communi omnium saluti prospicere, et non tantum domi sapere sibique placere. Clades illa tam infausta [8]) mirum quod oculos non aperiat, ut cum aliis nostra prudenter conferamus. Quod si factum fuisset, non ita contigisset misere. Heri audiebam istos, quum pecerent ob sumptus ferendos et onus belli ut aliis adiungerentur, et id genus alia, aliud non esse responsum: pergerent conventis stare, idem se in eis quos rogabant inventuros, et spem esse ipsis petentes ita facturos. [9]) Si candide fiant omnia, et Christus sit scopus, non male cedent. At verendum ne affectus improbi, quos velant quidam praetextu puritatis conservandae, multa suadeant fugienda quae non adeo mala essent. Laudant plerique Antiochum, [10]) favent alii Pharaoni. [11]) Christum precor ut se unum faxit ab omnibus coli, et omnia ut tollat offendicula. Fertur *Bucerum* per Saxoniam iter fecisse. [12]) Servum suum servet Dominus. *Caesar* urbes dicitur maritimas impetere, et *Moguntinus* nescio quae comitia vocare. [13]) Dominus e coelo feriat impietatem, et omnes ad pietatem vocet. Vale bene ac semper perge ecclesiam aedificare. Servet tecum Dominus tuas collegas et qui tecum agunt, *Laurentium* et *Franciscum*, [14]) et quidquid est piorum. Collega te salutat. Neocomi 3. Maii 1549.

Farellus tuus totus.

4) *Simlerus et hic et supra substitui vult:* compingimus.
5) *Iam Simlerus et Kirchhoferus* (*p.* 94) *recte hic videnti consilium itineris m. Maio vergente ad Turicenses susceptl.*
6) N. 1165.
7) *Fortassis ille qui N.* 1154 *Huldrichus dicitur.*
8) *Belli Smalcaldici exitus et quae sequutae sunt interistitiae turbae.*
9) *Haec satis obscure dicta. Simlero agere videtur de foedere inter pagos et Regem Galliae renovando, de quo tunc temporis illi conventus celebrabant. Undecim pagi tam catholici quam reformati iam assenserant, soli Turicenses et Bernenses iis sese adiungere recusarunt.* (*Ruchat* V. 356 *seq.*)

10) *Franciscum regem.*
11) *Carolo imperatori.*
12) *Bucerum par Galliam et fretum Caletanum iter fecisse supra vidisti.*
13) *synodum provincialem habuit archiepiscopus Moguntinus initio Maii* (*Sleid.* III. 166).
14) *Laur. de Normandie et Franc. Hotman.*

1184.

VIRETUS CALVINO.

De Alysio et Villierii testamento. Halleri literae feliciora posthac omnia pollicentes. Etiam Zebedaeus ad meliorem sensum rediit.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 173.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensium ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae coniunctissimo.

Genevae.

S. *Alysius* [1]) nuper a me repetiit testamenti formulam quam ad nos *Willierius* [2]) miserat. Quid statuerit *Wilierius* ex eius literis assequi non possum. Nam ad tuas me remittit. Quid autem contineant ex *Alysii* verbis aliqua ex parte intelligo. Mutavit sententiam et aliorum sequutus est consilia. Bonis avibus. Valde offensus est *Alysius* quod se et *Danionem* [3]) a quibusdam istic traduci audierit. Qua de re tecum erat expostulaturus. Tu admone viros bonos quibuscum tibi est familiarior consue-

1184. 1) *Cf. N.* 1058, 1064 *seq. etc.*
2) *N.* 1098.
3) *Si nomen bene legimus de Franc. Bourgoing loquitur qui saepius Mr. d'Agnyon dicitur.*

tudo, ne quam eis praebeant offensionis materiam. Nam levi offensiuncula commoventur. Aegre ferunt ita fuisse suum perfunctorie exagitatum apud vos. [4]) Ego viros bonos existimo, sed iis sunt moribus quibus multa sunt condonanda.

Literas *Bullingeri* [5]) remitto lectas a *Farello*, quibus non mediocri affectus est laetitia. Utrumque nostrum hortatur ut, quoad eius fieri poterit, eos homines in officio contineamus studeamusque paci et concordiae uti hactenus fecimus. Accepi et alias ab *Hallero* literas, quibus pollicetur posthac feliciora omnia omnibus ecclesiis auspiciis *Musculi* et cuiusdam Benedicti *Martini* Bernatis, Marpurgo revocati, cui ludi literarii commissa est provincia. Huius eruditionem magnis vehit laudibus. Nonnihil videtur fuisse literis *Farelli* commotus, quibus apud eum *Farellus* expostulat de eorum in postrema synodo in malos pastores lenitate et clementia. Excusat factum et causam videtur in nos reiicere, hoc est, ministros omnes, inter quos asserit nullum omnino fuisse accusatum qui suos non habuerit defensores. Quo fit ut nobis minus sit mirandum si non omnibus censores satisfecerint. Ego hac de re statui cum eo quam plenissime agere. Opportunam enim mihi praebuit occasionem. Nam proxima hebdomade *Pyrrhus* noster rediit ad ingenium. Compresserat suas furias, et quantum a suis affectibus impetrare potuit sese demisit Berna reversus. Sed sibi excidit ex oenopolio reversus, dum cuiusdam scholastici ageretur censura, cui favebat impensius quod socium eum habuisset sceleris. Nos mirifice armavit adversum se. Nam causa nostra est iustissima et aperitissima. [6]) Scribam haec quoque ad *Hallerum* primo quoque tempore. Is te officiosissime in suis ad me literis salutat, et se testatur utrumque nostrum magno prosequi amore. Optime spero de eo. Salutant te nostri omnes. Vale. Lausannae 5. Maii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

4) *sic.*
5) *N.* 1183 *not.* 6.
6) *sic.*

1185.

CALVINUS FARELLO.

Laborem itineris Turicensis non detrectat, verum de praetextu inveniendo incertus haeret, scilicet metuens ne adversarii absurdissima quaeque de suo consilio suspicentur.

(Ex autographo Cod. Genev. 107 a, fol. 8. Habet et Turretinus Cod. 111. fol. 225, Cod. epp. Bern. VII. p. 1005, et Simlerus Vol. 70.)

Insigni Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et amico integerrimo.

S. Acceptis tuis literis anxie apud me deliberavi quidnam mihi agendum foret. Laborem itineris [1]) non refugiebam. Rumores fortiter contemnere didici. Sed multa mihi obstiterunt. Non possum tam longam profectionem suscipere quin multa spargantur. Hoc erat minimum. Sed quis apud senatum praetextus a quo petenda erat missio? Promptum erat aliquid fingere quod ad paucos dies illos placaret: sed longius respiciendum fuit. [2]) Me vero Berna magis deterruit. Nam comicus noster Caesar postrema sua legatione [3]) valde exasperavit illorum animos, ac vereor ne gravem nobis tragoediam moverit. Simul atque auditum esset me illuc profectum quo volebas, quidvis potius suspicarentur quam quod nobis est in animo. Deinde nosti alta illa pectora quibuscum agendum est. Mulceri se forte literis patientur, nullo teste nec conscio. Meus ad eos adventus vanum forte metum iniiceret. Porro epistolam tibi descriptam curavi. Non potui aliter. Neque enim homini mos gerendus, quem Pharaoni [4]) obsequi certum est. Ut literae tuto perferantur, non expones nisi quando commodum censueris. Brevius tibi respondeo, quod a concione ad prandium quum descendissem, domum nisi peracto catechismo non sum reversus. Indo totum fere diem in deliberatione consumpsi. Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te servet, et semper in ecclesiae suae aedificationem dirigat. Amen. Symmystis salutem plurimam. Si qua melior spes vobis se ostendat, sic profectionem distuli, ut me accinctum fore pollicear si iusseris. D. *Mirabilem* salutabis meo nomine. *Laurentius* meus et *Franciscus* te amanter salutant. Nonis Maii 1549.

1185. 1) *ad Turicenses quibuscum de re sacramentaria et consensione promovenda acturus erat.*

2) *Praetextum revera invenit hunc: senatui dixit se Turicum proficisci velle ut ministris persuadeat ne suum diutius magistratum impediant quominus foedus gallicum renovet, quasi illi negati foederis sola causa fuissent. (Reg. du Conseil 20 Mai.)*

3) *Iam initio Februarii inter utramque rempublicam de foedere actum fuerat, postea m. Martio, quum rumores spargerentur de Geneva armis ab hostibus impetenda, Genevenses in pagorum confoederationem recipi cupientes cum Bernensibus de ea re egerunt.*

4) *Imperatori.*

1186.

CALVINUS VIRETO.

Ferronium et Perrinum notat. Halleri animadversiones in confessionem Genevensium leves et nugatoriae. Hotomanum Lausannensibus commendat munus academicum ambientem.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 9. Praeter Turretini exemplar Cod. 111, fol. 217 apographon aliud non extare videtur. Anglice versa legitur Tom. II. p. 209.)

Eximio Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri et amico integerrimo.

S. Quum reversus esset *Ferronius* [1]) te scripturum dixerat de causa sua. Nihil accepi. In conventu nostro tam insolenter se extulit ut facile exemplum esset hominis mente alienati. Dominus qualem volet dabit exitum. Nos ita moderate agere decrevimus, ut intelligat sibi cum viris et Christi servis esse negotium. Comicus Caesar quibuscunque potest modis nocet. Hactenus eo usque profecit, ut nihil retulerit praeter summam ignominiam. Et tamen cum sua factione nihilo minus quam victor exsultat.

Hallerus tandem exposuit [2]) quid in nostra confessione desideret. Levia sunt pleraque et nugatoria. Quum opportunitas dabitur rescribam. Non misi ad te literas antequam fratribus recitatae essent. Caeterum qua de causa hanc ad vos profectionem *Otthomannus* susceperit, ipse tibi coram melius referet. Non satis teneo, nec scrupulosius inquirere libuit, ad quam conditionem adspiret, nisi quod Domino et ecclesiae suam operam offerre decrevit, ne otiosus vivat. Hoc ego consilium maxime probo: pollet enim ingenio, doctrina instructus est et habet alias dotes non poenitendas. Quanquam ita eum abs te amari scio, ut commendatione nulla opus habeat: deinde quia utilem eius operam fore iudicas, te ad eum promovendum sponte satis animatum fore non dubito. Nolui tamen committere ut meas sibi partes defuisse putaret. Nihil dico nisi ut intelligat, nobis nihil magis cordi esse quam ut operam suam ecclesiae impendat. Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te una cum uxore et filiola servet tuosque sanctos labores benedicat. Salutabis omnes meo nomine diligenter. Nonis Maii 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1186. 1) *Videtur aliam sibi conditionem apud Lausannenses quaesivisse, quum iam Genevae vix manere potuerit. Inde ab Idibus Martiis saepius eius nomen in Actis senatus occurrit. Cf. N.* 1163 *not.* 4. *Pridie nonas Maii recusavit rus abire quo eum senatus miserat cum Bernardo V. D. M. in Pigney permutaturum. Postquam frustra eum cum collegis reconciliare conati fuerunt, tandem nonis Sept. eum dimiserunt consules. Caeterum Anglus hic vertit nescio quid hallucinatus:* When F. was deposed.

2) *N.* 1178.

1187.

CALVINUS BULLINGERO.

Pauca praefatus de itinere suo propediem instituendo, multus est in suadendo foedere cum rege Francisco ineundo, consilium suum variis exemplis biblicis firmans.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI, Vol. 166 olim Epp. T. 24, fol. 11. Exstat quoque Genevae apographon Turretini Cod. 111, fol. 217, Bernae Epp. VI, p. 61 et VII p. 76, denique Turrici ap. Simlerum Vol. 70. Anglice versa exstat T. II. p. 211).

Ornatissimo viro D. Henrico Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. Quia ut literis tuis [1]) respondeam nunc temporis brevitas non permittit, hoc tibi solum testatum esse velim, mihi vix ullas unquam abs te venisse gratiores, ut non parum mihi ad levandum domesticum moerorem profuerint, qui ex morte uxoris meae paulo ante conceptus summopere me angebat. Plurimum enim gaudeo nihil fere, aut quam minimum, restare, quin verbis etiam inter nos consentiamus. Certe, si ita expedire censeas, non recusabo data opera istuc venire, [2]) ut omnes animi mei sensus melius compertos habeas. Neque per me unquam stabit quominus coalescamus in solidam pacem, ut eundem uno ore Christum profiteamur omnes.

Sed nunc alia me ad scribendum ratio impulit. Quid vos a francico foedere [3]) prohibeat aliqua ex parte significas. Merito, fateor, pios terret exem-

---

1187. 1) *Ultima Bullingeri, quae quidem exstat, scripta erat Idibus Martiis ante obitum Idelettae; quae quum vix post huius mortem demum Genevam pervenerit facile aliquam recentiorem intercidisse crediderim.*

2) *Anglus haec ita intellexit ut C. Bullingerum Genevam vocaverit* (to come hither). *Caeterum Calvinus Myconio scribit* (26. *Nov.*) *se iter subito arripuisse de quo biduo ante nihil cogitaverit. Vides haec vero non esse consentanea, quum non nisi* 21. *Maii Genevam reliquerit.*

3) *De hoc iam supra saepius. Cf. etiam Hess. Bull. II. p.* 9.

plum Iosaphat, qui in suam regnique perniciem infausta regis impii societate se illigavit. Ego tamen non ideo tantum poenas dedisse interpretor, quod foedus cum rege Israel percusserit, sed potius quod malam et improbam causam susceperit, ut eius cupiditati morem gereret. Illum incitabat ambitio ad Syrios ultro lacessendos. Obsequitur Iosaphat et arma temere induit. Huc etiam accedit quod, Domino clare per Micheam vetante, pertinaciter irruunt. Hoc igitur exemplum non eo usque apud me valet ut quovis cum impiis foedus illicitum esse arbitrer. Video enim Abraham nulla religione impediri quominus amicitiam cum Abimelech paciscatur. Video Isaac, Davidem, aliosque idem fecisse, nec sequutam fuisse ullam vel reprehensionem vel poenam. Sic quidem statuo: minime appetenda esse eiusmodi foedera, quoniam plurimum semper in se periculi contineant. Verum si qua nos iusta ratio impellat, imo etiam urgeat, non esse cur in totum abhorreamus. Hoc porro foedus de quo agitur sic metuo, ut iure fugiendum censeam, nisi praesentium temporum status me in contrariam partem cogeret. Negotium vobis est cum professo Christi hoste, et qui in fratres nostros quotidie saevit. Parum fidei meretur, qui nos una cum Christo exstinctos esse cuperet. Absurdum est nos cum eo sociare amicitiam qui commune cum omnibus Christi servis bellum gerit, eam manum amplecti quasi sociam quae sanguine innoxio polluitur. Et certe nollem quidquam transigi nisi nominatim ac diserte piis fratribus caveretur. Mira enim truculentia nunc ubique grassantur eius praefecti. Huc accedit belli anglicani suspicio.[4]) Neque enim fas esse puto quidquam auxilii ad oppugnandum regnum praebere in quo Christus colitur. Et ipsa etiam causae iniquitas aliud est obstaculum. At rursus dum mecum reputo quam afflictae sint res nostrae, quantae adhuc calamitates impendeant, quae propemodum ecclesiae vastitatem minantur, multum vereor, ne si ea subsidia quae modo licita sint negligamus, nimiae id magis securitati tribuatur quam piae fiduciae. Nec vero me latet, tunc nobis maxime Deum adesse potenterque opitulari, quum omnes nos humanae opes destituunt. Scio etiam nihil esse difficilius quam, ubi se aliqua Aegypti umbra ostentat, non illuc deflectere oculos, qui, nisi in unum Deum defixi sint, male et exitialiter vagantur. Itaque sedulo his periculis occurrendum est. Interea tamen cavendum ne, si in tantis nostris angustiis ea recusemus quae citra Dei offensam adiumento esse poterant, postea nostro damno sentiamus, nos fuisse nimium securos. Hoc primum timeo ne Pharao noster, omni spe contrahendae vobiscum amicitiae exclusus, ad Antiochum[5]) se conferat. Quamlibet graves habeant dissidendi causas, mirus est artifex ad excogitandos praetextus hic posterior. Et qui hodie in aula nostra regnant nihil magis cupient quam imperiti iuvenis[6]) et parum cordati animum inflectere ad quasvis pacis conditiones recipiendas. Certe, nisi quid impetraverit, se brevi proiiciet. Nec deerunt qui eum praecipitent. Atque utinam non sint inter nos qui se et nos venales habeant Antiocho, si qua talis occasio data fuerit. Quidquid vero tentabit, non illo tantum plaudente sed adiutore faciet, quia se hoc modo repulsam ulcisci putabit. Interea in regno ipso passim crudelitas inflammabitur.[7]) Nam ut feminae solent,[8]) furorem suum alio convertet. Huius vero loci non postrema nobis habenda est ratio. Ego si vitae meae aut privatis rationibus vellem consultum, alio me statim conferrem. Sed dum expendo quantum habeat hic angulus momenti ad propagandum Christi regnum, merito sum sollicitus de eo tuendo. Atque hic quoque vestrum commodum et quies aliqua ex parte vertitur. Quo non hominem malis consiliis imbutum impellet desperatio, ubi a vobis fuerit alienatus? Putas autem nobis deesse homines, partim inquietos ac cupidos rerum novarum, partim famelicos, qui manum illi longe praetendant? Praecipue tamen, quoties de miseris fratribus cogito, qui sub dira illa tyrannide oppressi iacent, mollescit animus ac magis huc propendet, quod magis ad eos sublevandos profuturum est. Facile apparet quorsum eruptura sit rabies tyranni, ubi se contemptum et repudiatum viderit, quanto maiorem habituri sint licentiam improbi ad vexandos innocentes. Quod si aliqua societas intercesserit, quum in praesens nonnihil mitigabitur ipse Pharao,[9]) minusque audebunt carnifices, tum vero in posterum ad ignes sopiendos patebit aditus. Te ergo, mi *Bullingere*, oro atque obtestor, ut dum tempus est haec omnia expendas. Quod si vestri in aliquam pactionem descenderint, contende atque effice ut fratrum suorum meminerint quorum tam misera est atque dura conditio. Tametsi enim salutem eorum tibi satis commendatam esse novi, et te ad eam curandam, ubi res tulerit, voluntarium fore confido, nolui tamen

4) *Helvetii pollicebantur Regi auxilium ad capiendum oppidum Boulogne tunc ab Anglis occupatum.*

5) *Antiochus, ut ubique alibi, rex Galliae, Pharao Imperator.*

6) *Eduardi* VI.

7) *Nuper Divione Hubertus Barré, Parisiis Peloquinus Genevensium discipulus combusti fuerunt.*

8) *Diana aut Catharina, aut utraque.*

9) *Vides Bullingerum foedus illud respuentem maiori sagacitate in rebus politicis dignoscendis praeditum fuisse quam Calvinum, qui gallicam suam originem abnegare nesciebat et pergebat in omnibus γαλατίζειν (s. v. v.) Plane aliter iudicat Bonnetus.*

partibus meis deesse. Ea quidem ferocia est ut certam sibi legem praescribi minime sustineat. Spero tamen obtineri posse ut moderatio qualiscunque adhibeatur.

Vale, eximie vir et frater in Domino plurimum colende. D. *Theodoro*, D. *Pellicano*, D. *Gualtero*, *Werdulero* [10]) et reliquis symmystis plurimam salutem. Collegae etiam mei vos salutant, atque inter alios *Gallasius*. Dominum Iesum precor ut vos spiritu suo regere pergat, vobis adsit, vestrosque labores benedicat. De tomo concionum, [11]) quem misit tuo nomine *Hallerus*, plurimam tibi gratiam habeo. Nonis Maii 1549.

1188.

VIRETUS CALVINO.

Inter alia obiter memorata pluribus agit de Ferronio quocum nuper Lausannae egerat. Dedicatione epp. ad Timotheum in Anglia bene accepta, iam de simili ep. ad Hebraeos cogitandum esse suadet.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 87. — Exstat quoque in Cod. Genev. 116, fol. 112, in Epp. Bernens. VII. p. 1007 et ap. Simlerum Vol. 70.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori vigilantissimo fratri et symmystae suavissimo.

Genevae.

S. Distulimus hactenus hebraici professoris electionem [1]) quia mihi spem feceras aliquam de *Budaeo*. [2]) Proinde abs te velim certior fieri an nobis putes hanc esse spem retinendam. Nam si id nos consequi non posse suspiceris, fac nos primo quoque tempore certiores, et si quem alium noris quem in eam professionem nobis asciscere possimus. Laboramus enim non parum hac in parte, neque possumus commode diutius multo hoc differre negotium.

De *Otthomanno* audies ab eo quid hic egerit et quid ceperit consilii. [3]) De *Ferronio* longa esset historia. Miror istam insolentiam de qua scribis. Longe meliora nobis pollicitus erat. Transiit huc veniens Wuilleriaco: sperabat enim se illic inventurum *Nicolaum* ministrum quocum sua consilia communicaret. Sed tum forte aberat. Erat autem hic apud nos. Huc quum appulisset suam causam voluit exponere coram me, collega meo *Ribitto* et *Nicolao*. Narrare rem videbatur ab ovo. Multa dicebat quibus se non parum gravabat, praesertim de illa contentione quam habuit tecum et cum reliquis fratribus. Summa erat, se non posse in eam sententiam adduci ut locum mutaret. Suas habebat rationes quibus praetendebat offendiculum et alia id genus. Postulabat nostrum consilium et auxilium. Concludebat interea se potius a vobis excessurum quam conditionem oblatam admissurum, nisi Dominus mentem mutaret. Confutavimus eius rationes. indicavimusque quam pugnarent adversus offendicula quae praetexebat. Admonuimus hominem serio officii. Consuluimus ut ecclesiae pareret et se fratrum submitteret sententiae, caveretque ne se hostibus vestris adiungeret aut vindictae aliqua cupiditate aut spe potiundi ea re quam optat, nisi se vellet in praesentissimum exitium coniicere: precibus ad Dominum converteretur, bonorum uteretur consiliis, vim faceret suis affectibus, nihil tentaret nisi vestra cum bona venia, daret ipse operam si a vobis id ipsum posset obtinere quod cupiebat: sin minus, cederet fratrum et senatus consiliis. Recepi me seorsim ad te scripturum, ut ex te intelligerem causam melius, ut ea cognita melius statuere possem quid a te et reliquis fratribus iure possem postulare. Longum esset reliqua omnia recensere. Spero vos facturos quod literis tuis polliceris. Aliud a vobis non ausim postulare.

Bienassius [4]) mihi narravit qua animi gratitudine exceptus sit commentarius tuus in Anglia ab eo cui dicasti. [5]) Is cupit dicari commentarium in epistolam ad Hebraeos aut episcopo Cantuariensi aut Polono Regi. [6]) Quum videamus huiusmodi officiis istos homines affici et gaudere, atque animari magis ad pietatis patrocinium, ego quoque tibi censeo id esse faciendum, nisi tu praestantius aliud habes consilium. Salutant te nostri omnes. Saluta amicos. Vale. Festinanter. Lausannae 8. Maii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

---

10) *Werdmüllero.*
11) *N.* 1165 *not.* 6.

1188. 1) *in locum Imberti m. Sept. defuncti.*
2) *Ludovico, qui postea Genevae munere academico functus est.*
3) *Quem Viretus tunc nondum suffragio suo ardentius commendasse videtur* (*Ruchat* IV. 437.)

4) *Tale aliquid nomen occurrebat N.* 998 *not.* 7.
5) *N.* 1053.
6) *N.* 1195.

1189.

BALDUINUS CALVINO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 54.)

Clarissimo viro D. Carolo Passelio.

Qui has tibi literas offerunt, mi pater, quam me vehementer amant tam valde volunt tuorum numero adscribi, et religiose cupiunt, eoque te nomine adeunt me autore aut saltem hortatore. Ego vero eos tibi pluribus verbis commendarem nisi scirem hac pietate viros alia apud te commendatione opus non habere, et in eo temporis articulo equos conscenderent quo nihil mihi plane ad scribendum sit otii. Sed *Arenaeus* atque *Burgundus* [1]) meo rogatu facient, ut spero, ad tuam humanitatem ut iis facilis pateat editus. Dominus te tuosque semper conservet. XII. Maii. [2])

Rochius tuus.

1190.

VIRETUS MYCONIO.

Puero cuidam Basiliensi, quem hic Lausannam mittere volebat, hac conditione ut vicissim alius inde Basileae educandus traderetur, facilius Genevae apta conditio invenietur.

(Ex autographo Archiv. Hottingeri nunc Bibl. civic. Turic. MSS. F. 82 olim Tom. 47 Epp. fol. 214. — Simler. Vol. 70.)

Singulari eruditione ac pietate ornatissimo D. Osualdo Myconio Basileensis ecclesiae pastori vigilantissimo patri suo plurimum venerando.

Basileae.

S. Neminem adhuc reperi quamvis diligenter investigarim, qui hinc velit alio suos liberos emittere, praeter unum. Illum quidem virum bonum et huius urbis senatorem. Sed quia publicus est hospes, vereor ne tibi parum arrideat conditio. Cuius te volui admonendum, ne quid te lateret fieretque praeter tuam voluntatem. Alii quos conveni respondent, tantum abesse ut ex his scholis in alias suos mittere velint, ut revocaturi potius fuerint si essent alibi.

D. *Corderius,* [1]) cui hoc quoque tuum negotium diligenter commendaveram, monuit me Genevae facilius inveniri posse quam requiris conditionem. Quod si tibi placere existimarem, facile tibi et praesto adesse possem. Imo iam inventus est vir bonus quocum transigi poterit iis legibus quas praescribis. Neque est quod metuas ne Genevae ludat operam puer. Nam illic quoque sunt scholae non vulgares, quamvis non tam quam nostrae celebres. Ludi magister vir est optimus et nobis omnibus amicissimus et familiarissimus. [2]) Habes praeterea *Calvinum* cum reliquis eius collegis, quibus non dubito curae futurum puerum, si eo mittendum iudicaris. Vide igitur ut mihi quid statueris significes, quo eos praemonere possim in tempore, et confirmare cum quibus tibi rem esse voles. Haec omnia tibi proponere volui quae habebam in praesentia, ut si quid esset quod allubesceret eligere commodius posses. Interea tamen non desinam investigare, si forte se commodior alia aliqua offerat conditio. Haec festinanter Lausannae quum iam discessum nuncius pararet. Quod si plus fuisset otii, lubenter ad D. *Sultzerum* scripsissem, quem tecum salvum esse cupio. Vale. 13. Maii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1191.

SOCINUS CALVINO.

Calvinum doctissimum et ab omnibus admirandum doctorem consulit de nonnullis casibus conscientiae ad praescriptiones de vitandis superstitionibus pertinentibus, scil. de coniugio cum femina nondum conversa, de baptismo minus rite administrato, de missa absque damno audienda etc.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 236.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae apud Genevenses pastori vigilantissimo semper colendissimo.

Genevae.

Dominus Iesus, cui Dei patris gloria nostraque

1189. 1) *De his v. N.* 987 *not.* 7 *et N.* 1114. *Vide etiam Ep. Calvini ad Viretum* 6. *Iulii.*

2) *Annum* 1549 *nihil cunctati adscribimus, quum et Crispinum et Arenaeum tunc Genevae fuisse sciamus. Balduinus ipse, nisi fallimur, iam ad Bituriges Lugduno relicto transierat.*

1190. 1) *Scholae Lausannensis rector.*

2) *Erasmus Cornier in quo tamen Calvinus nonnulla desiderabat, maxime propter frequentes eum inter et eius baccalaureos disceptationes.* (*Bétant.*) *Anno sequente* 1550 *in eius locum suffectus est Lud. Enoch.*

salus semper in votis, adeo excellentibus te donis insignivit, doctissime *Calvine*, ut qui te non amaret, non suspiceret, non admiraretur, atque simul Christum ipsum in te non agnosceret loquentem, necesse sit illum omnis veri ac boni ignarum osorem et plane stupidum esse. In hoc me non mentiri sinent myriades filiorum Dei, quos per te a cultu simulacrorum revocatos sibi adduci voluit pater coelestis. Hoc nomine, ut aliis multis, ecclesia tibi non parum debet universa. Ego non ingenue fatebor, etsi hactenus plurimis summe devinctus, unus attamen de vitandis superstitionibus libellus novis adeoque arctioribus nodis illigavit me, ut ultra tibi addictus esse non possim. Totus enim in amorem et admirationem tui raptus Deum in te singulari quodam modo glorifico.

At dices, quorsum haec? Ut in hoc mihi satisfaciendo animum meum habeas testatissimum: idque declarans me exercendo in iis omnibus quae ad salutem electorum faciunt in Dei gloriam. Et cur non optarem etiam ex toto corde eum a te reputari et revera esse, qui omnino frustra in hanc lucem editus non essem. Reliquis te oratum atque exoratum cupio, ex quo salutarem adeo te exhibuisti medicum hisce nostris qui bestiali adhuc morbo laborant, ne detrectes aliquo antidoto ex instructissima illa tua officina consulere quibusdam qui, ut nondum perfecte convaluerunt, ita dubitant an ex aequo a papisticis nuptiis abstinendum atque a iudaicis. Est enim qui existimat, sibi licere eam ducere quae iustitiam quidem omnem in Christo collocat, nec intractabilis est, caeterum detinetur adhuc aliis superstitionibus, procumbit ante idola etc. Alter negat duci posse, etsi in universa doctrina assentiat, donec publica confessione aut aliqua alia manifesta veritatis approbatione ablegato Antichristo Christi ecclesiae sese adiungat: quemadmodum cum Iudaea contrahere vetitum est, etiam in omnibus recte sentiente, quoad usque per baptismum innotescat.

Alius valde haeret, quum sibi alioqui pie vivere liberum sit, num quia infantem cogitur offerre deserenda sint ei omnia, vel potius aliqua sui ipsius contaminatione filio consulere et reliquae familiae liceat? praesertim quum *Melanchthon*, cui subscribitis, hoc velit, *Petrus Martyr* quoque idem concedat, modo detestentur detestanda: quod si faciet, indubie non baptismus sed vita negabitur illi.[1] Deinde, an ratum habeas baptismum per lusum etiam administratum, quum efficacem agnoscas papistarum, qui non ludendo tantum sed blasphemando, ac suis exorcismis et incantationibus, non virtute Dei, baptizatum esse credunt, non verbo, nisi forte quatenus peculiarem vim quandam somniant verbis illis in clusam: quibus haud dubie talem virtutem non tribuis tu, alioqui haudquaquam rebaptizares qui semel eisdem simplicissime ac bona fide ab amico privato aut parentibus semel fuisset tinctus. Dicis enim, et optime dicis, actionem esse celebrandam in conspectu ecclesiae: quam si negas haberi in aedibus quantumlibet fidelis, multo minus in conventu idololatrarum reperietur.

Quantum ad missam, primo approbationem quae nascitur ex nostra praesentia dicunt esse indemnem, nisi damnes etiam qui non invisit quidem missas, ita tamen caute vivit ut unus habeatur ex comprobatoribus, velisque, quoties incidit sermo de illa, protinus exsecrari aperte, non solum gravissimo imminente periculo, verum etiam spe affulgente nulla. Ad offendiculum vero quod tantopere urges, et quo sublato Paulus etiam visus est permisisse esum idolotyti, replicant et sic belle sibi videntur evasisse: En certissime novi, inquiunt, imbecillem nullum prorsus adesse qui meo exemplo ad colenda idola possit induci, quin potius ne unus quidem est qui non me accessisse arbitretur animi tantum gratia, ut haberem quibuscum aliquid confabularer, deambularem aliquamdiu etc., (et hoc sane commune nimis patet apud nos) et qui suspicetur advenisse ut aliquo pacto comprobem quod maxima ipsorum pars minime credat, sed exercitii gratia ita in hebdomada semel conveniunt et tripudiant. Quinimo riderent socii, si possent animadvertere ex corde vel minimam fidem talibus nugis me habere. Adeo bene instituti sunt, ut pauci sint qui vel Deum esse habeant persuasum. Huiusmodi non assistentiam inprimis permittendam obtendunt peregrinis, qui etsi non uno in loco fidem suam professi sunt, illi tamen abominando spectaculo in aliena patria semel atque iterum adstare compelluntur: necessitate, ut ipsi quidem praetexunt, sed ea nimirum qua sua iis quae Christi sunt praeferant. Neque enim tot quaestionibus opus esset, si (ut decet) quodvis genus supplicii prius subire quam optimum patrem vel minimum offendere statutum haberemus. Repondeas tamen, oro, et ne spem meam frustreris supplico. 14. Maii 1549. Tiguri.

Rogo salutes D. Antonium *de Pare*,[2] et alligatas ad *Budeum*[3] cures diligenter.

Observantissimus tui
Lelius Sozinus.

1191. 1) *Vide libellum de Vitandis superstitionibus, ibique Melanchthonis et Martyris consilia.*

2) *Citra dubium eum qui in epistolis ad Fallesium saepius occurrit. Cf. N.* 1143 *not.* 5.

3) *Budaeos tunc iam Genevae fuisse discimus ex N.* 1188. *Caeterum demum d.* 27. *Iunii senatum adierunt, ut ex eius autoritate in urbem reciperentur.*

1192.

SUSLIGA CALVINO.

Ex itinere multa et varia refert, tam facta quam facienda, ex quibus facile tibi persuaseris eum virum fuisse maximi momenti et ubique terrarum insigniori-bus familiarissimum.

(Ex. Cod. Genev. 109, fol. 26 autogr.)

Clarissimo viro et fidelissimo Christi ecclesiae apud Genevenses doctori D. Ioanni Calvino domino et amico observandissimo.

Argentinam veni 6. Maii satis mala valetudine. Literas multas etiam ex Polonia ad te missas intellexi. [1]) Tuo officio egeo, *Calvine* colendissime: velis, obsecro, omnes in unum fasciculum colligatas ad me quamprimum mittere. Consultum autem mihi videtur, si primum ad *Sulzerum*, inde ad D. *Marbachium* Argentinam deferantur. Res ecclesiae Argentinensis ad defectionem spectare videntur. Nunc quidam *Beatus*, [2]) vel potius impius, omnia turbat.

De rebus polonis certa ad te scribere non possum priusquam attigero Antwerpiam. *Bucerus* ut fertur salvus in Angliam cum *Fagio* pervenit. [3]) Mortem tuae carissimae uxoris, mulieris lectissimae, equidem graviter molesteque fero. Si nondum licuerit in Polonia, nusquam libentius quam apud te ero. Ad D. Ioannem *a Lasco* descendere decrevi. [4]) Scribes igitur ad eum, meque ei diligenter velim commendes. D. *Valesium* illustrem admonebis ut etiam ad illum scribat.

Cuperem tibi perscribere quid *Carolus* [5]) in hac infirmitate simulata parturiat. Sed nullo pacto patitur valetudo. Crede enim mihi: plurimum decessit valetudini meae. Sedecim enim diebus cucurri citatis equis. Sumptus excessit centum triginta quatuor coronatos. Nemo tamen maiori molestia me affecit quam ille meus nebulo. Ex illis tamen prolixis literis graecis quas ad te Verona dedi, statim a colloquio *Poli* [6]) cardinalis dimissus, multa potuisti intelligere, facile reliqua coniectura assequi poteris. Sed vivit Dominus, regnat adhuc Christus princeps, irridebit consilia eorum. O quam cuperem tecum multa conferre. Utinam eveniat. Scias tamen me habere scriptum contra hunc satellitem purpuratae meretricis, in quo pro dignitate eius impietas, quae omnium idololatrarum dementiam superavit, declaratur. Ego certe meis propriis sumptibus curabo edendum.

Sed de his brevi plura. Quid istic agatur, etiam coniecturas ad me velim perscribas diligenter. Convenit me *Sturmius* Iacobus: habui enim apud eum a quodam cardinali literas. Multa dixi graviter et constanter. Excusat se, sed apud me frivola sunt eius argumenta. Sanguine et substantiis asserenda erat veritas Dei quam isti turpissime prodiderunt. Adderem plura, non possum prae gravedine capitis. D. *Vallesio* defero studiose omnia mea obsequia. D. *Gallasio* meo carissimo plurimam salutem. Excusabis me oro: nihil nunc literarum ad illum potui dare. Et hae exciderunt, nescio quo pacto. Te certe rogo atque obtestor, velis eo animo erga me esse quo hactenus fuisti. Ego absque dubio tuum mancipium sum. De epistola ad Hebraeos facies quod tibi placuerit. [7]) Etiam atque etiam vale. Oro Christum ut te diu ecclesiae suae conservet. Argentinae XVIII. Maii 1549.

Tuus famulus
Florianus Susl.: a Varshavia [8])
C. V. manu ppra. ssit.

1192. 1) *Non exstant.*

2) *Gerungium a Bernatibus dimissum, a Sulzero Argentoratensibus commendatum Bucerus amice excepit eique munus diaconi ad templum cathedrale concredi iubebat; ipse tamen ministerium primarium ad S. Thomae appetebat et obtinuit, postea vero quum de abrogando Interim ageretur pro eo retinendo satagebat et a.* 1557 *dimissus fuit.* (*Roehrich*, III. 92).

3) *N.* 1177.

4) *Qui m. Martio ex Anglia in Frisiam redierat. Vide epistolas a Kuypero editas, et Bartels, Io. a Lasco, Elbf.* 1860 *p.* 32.

5) *Quemnam hic significet ignoramus.*

6) *Dolendum est hanc epistolam deperditam esse. Non parum nostra interesset accuratius scire quo sensu Polus de rebus religionis cum hoc nostro Polono loquutus sit. De eius sinceritate dubitabatur, et quum regnante Eduardo* VI. *in Italia, praesertim apud Viterbienses, commoraretur partes Caesaris sequi dicebatur. Quid quod mortuo Paulo* III. *nonnulli de eo cogitarunt in sedem apostolicam evehendo, aliis renitentibus qui eum Lutheranismum redolere asserebant.* (*Cf. Sleid.* III. 190.)

7) *Videtur Calvinus ex Susliga quaesivisse num commentarium suum Regi Poloniae dicare deberet?*

8) *De hoc adeundus Hallerus in cuius Ephem. a.* 1551, *p.* 90 *inter alia haec leguntur:* Florianus quidam Susliga (sic enim se nominabat) Polonus Varsaviae dominus, uti se venditabat, cuius in praefatione Ep. ad Hebraeos ad Sigismundum Regem mentionem facit Calvinus, et cui Gualtherus Tigurinus comoediam quandam, quam inscripsit Nabal (Tig. ap. Froschover. 1549) dedicavit, mirabiliter doctissimos quosque per Germaniam [*et Helvetiam*], tum etiam multos reges et principes [*e. g. Iacob. Sturmium, legatos Gallos plures, regem Eduardum et Ottonem Henricum electorem*] artibus suis decepit et fefellit, *scil. pecuniam illis quovis praetextu extorquendo, usque dum m. Aprili* 1551 *subito non dicto vale evanuerit. Apud historicos Polonos nulla eius fit mentio.*

1193.

FALLESIUS BULLINGERO.

Calvino hanc Turicum proficiscenti tradit eo consilio ut et ipse suo suffragio consensionem in re sacramentaria promovendam commendet.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Epp. T. 24 nunc Plut. VI. Vol. 166, fol. 525. — Simlerus Vol. 70 pauca excerpsit. Edita est in Museo helvet. Part. VIII. p. 571.)

Eximio Christi servo D. Henrico Bullingero Tigurinensis ecclesiae pastori fidelissimo.

Tiguri.

S. Quum mihi pius hic vir, [1]) cui meas literas ad te dedi, percommodus visus sit, si quis alius, ad meum erga te in Christo amorem testificandum, et quam te reverear, tum ob eas dotes quibus te Dominus ornavit, tum ob diligentiam quam adhibes in communi ecclesiae utilitate procuranda, non sum veritus ad te per eum familiariter scribere. Existimo enim praesentiam ipsius et seria negotia, quae vobiscum tractaturus est, mihi hac in re excusationi fore. Nam quum eorum causa valetudini suae non parceret, aequum mihi visum est ut operam aliquam impenderem ad vos saltem per literas sollicitandos ut horum temporum necessitatem attente diligenterque consideretis atque efficiatis, quantum in vobis erit, ut fructus aliquis huius profectionis exstare possit. Equidem testari possum, eam ab ipso animi gratia minime susceptam esse, ac iampridem a veris Dei servis ut eam susciperet rogatum fuisse. Et quamvis ipsius hinc discessus mihi molestus sit, quum tamen intelligerem quam necessaria esset ista profectio, ipsum quantum in me fuit incitavi. Huc etiam accedit et alia ratio, ob quam iucundum est ipsum ad vos proficisci: quum mutua communicatione multo plus quam literis efficiatur, meliusque omnino aperiatur via sedandis controversiis, si quae supersint, et confirmandae paci, qua nihil optabilius universae ecclesiae accidere potest. Fac ergo, mi frater, fac quaeso, dum vivis, ut mutua inter ecclesias alatur concordia. Nunquam enim fortassis posthac duo ingenia occurrent qualia vestra sunt, tam accommoda ad audiendas utrinque rationes et ea consilia quae alioqui pios multorum animos perturbarent. Hoc tibi affirmare possum, me communem utriusque vestrum amicum et filium in Domino, quique vobis quam prosperrimum rerum omnium statum exopto, passurum non fuisse, si modo id valetudo mea ferre potuisset, ut sine me ad vos proficisceretur. Adiunxissem enim me socium itineris, vosque et ecclesiam vestram libenter visitassem. Genevae 20. Maii 1549. [2])

Tuus Iacobus a Burgundia. [3])

Si quid novi habes a D. *Hoppero* et eius uxore, indica quaeso. Brevi volente Deo ad illos scripturus sum.

1194.

BULLINGERUS CALVINO.

Mortem uxoris Calvini deflet. Quod ad rem sacramentariam attinet scriptis bene huc usque tractatam, profectione eius, ut coram agat, opus non esse affirmat. Porro de foedere gallico quid Turici actum sit, quidque omnino agendum fuerit, pluribus exponit.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. 30 nunc Plut. VI. Vol. 129, fol. 230. — Simler Vol. 70.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae colendissimo suo.

Genevae.

S. D. Tuas [1]) hodie accepi, colendissime et carissime mi *Calvine*, ex quibus intellexi carae uxoris tuae transitum ad Dominum. Doleo quidem te huius consortio auxilio et consolatione spoliatum esse. Rursus gaudeo illam magnis liberatam molestiis huius vitae iam gaudere cum Christo cui credidit. Oro interim Dominum ut te consoletur et tibi dolores nec iniustos nec culpandos mitiget. Scis vivere illum qui pro nobis vigilat. In huius cura et auxilio te esse non ignoras. Scis denique illam non esse amissam sed praemissam. Brevi enim

---

1193. 1) *Calvinus. Non est quod moneamus, Fallesium non in eo esse ut hunc Bullingero commendet quasi sua laude indigentem: verum a Calvino rogatus scribit ut Turicenses viri nobilis autoritate facilius ad rem componendam adducantur.*

2) *Hoc ipso die Calvinus a senatu veniam petiit, sed praetextu plane alio (N. 1185 not. 2.) Ipse Calvinus iter arripuit antequam Bullingerus ad ipsius ultimam responderit (N. 1187). Vide seq. Quod probe notandum, quum vulgo historici singula minus accurate referant quoad seriem rerum gestarum. (Cf. Ruchat, Henry, Hess, Pestalozzi, Kirchhofer, Hundeshagen.)*

3) *In tergo manu Bullingeri:* D. Iacobus a Burgundia dominus Fales.

1194. 1) *iam Nonis scriptas.*

omnes qui Christo fidimus malis hisce nostris liberati triumphabimus cum victore Christo, qui dilexit nos et tradidit se ipsum pro nobis. Cui gloria.

Et hactenus quidem scriptis mutuum rectius intelleximus quam coram verbis utrinque propositis. Et hactenus quidem scripta cesserunt optime. Proinde non est quod deseras ecclesiam tuam in hisce turbis,[2] ac ad me concedas, magnos item sumptus facias et temet ipsum molestia itineris fatiges. Perge, ut coepisti, scribere quae velis. Si quid desideravero in tuis significabo. Vicissim quae in meis displicent diserte et ingenue indica.

De foedere gallico non disputabo copiosius, neque respondebo ad argumenta tua, sed quid hisce diebus factum sit apud nostros adumbrabo paucis: ex quibus intelliges nihil spei apud nostros supersse, quod unquam vel cum Caesare, vel cum Gallo, vel cum ullo principe coniungantur foedere.[3] Posteaquam Salodori in comitiis de foedere gallico agi coepit, missa sunt foederis capita, quum a regiis legatis tum ab Helvetiorum, amplissimo senatui nostro. Is maiori, ut vocant, senatu convocato, qui constat viris 200, totum negotium copiose exposuit, quid videlicet postulet rex, quid polliceatur, quid fiat ab Helvetiis. Disputatum est diu et diligenter de periculis foederis, item de utilitate quae ex illo videatur speranda. Tandem decretum concordibus votis ut universum hoc negotium referatur ad plebem, omniumque et singulorum suffragia vel sententiae colligantur. Delecti sunt legati, viri praestantissimi, quibus ea functio imponatur, qui in agrum, hoc est, in urbes, comitatus, praefecturas et ditiones Tigurinorum proposita referant, et omnibus proponant fideliter. Id protinus isti sunt exsequuti. Et primum quidem collecta sunt suffragia et sententiae in urbe per singulas tribus viritim. Postea urbem egressi omnium per agrum Tigurinorum subditorum sententias rogarunt. Duravit hoc per dies continuos octo. Divisi fuerunt legati octo in quatuor ditionis fere aequas partes, ut bini legationis munere in partium una functi sint. Redierunt pridie ac referunt uno ore omnes, nunquam in memoria hominum qui hodie vivunt tam concordes inventas conciones atque in hac causa. Postulant uno ore omnes, quod in tanta populi frequentia turba et diversitate dictu mirum attamen verum est, ut magistratus libertatem a Deo concessam tueatur, se peregrinis regibus aut principibus non coniungat foedere et nexu, interim tamen integras servet pactiones olim factas gallicas, burgundicas, austriacas, nulla tamen nova foedera ineat. Recitatae sunt clades acceptae per illos annos quibus Helvetii fuerunt regi Gallorum *Francisco* obstricti. Sed non possem multis foliis complecti ea quae optimi sapientissimi et religiosissimi quique contra huiusmodi principum foedera munera et stipendia, et contra hoc praesertim foedus gallicum, in quo omnia pro rege faciunt, paucula aut nulla pro nobis, protulerunt. Tanta ergo constantia omnes obfirmarunt in Deo suos animos, ut nihil dubitem Tigurinos non recepturos capita foederis, licet omnes alii Helvetii recipiant. Sed et in aliis urbibus et pagis optimi quique abhorrent ab illo foedere. Maiores nostri ab anno 22 supra 1500 saepissime petiti et rogati nunquam tamen consentire voluerunt in foedus gallicum, quod hodie adhuc durat ac cum rege *Francisco* erat coeptum. Senserunt ex ea constantia omnes splendidum emolumentum, ergo abhorrent etiam a novo illo. Neque ego dubito quin amisissemus intra paucos annos evangelium et omnem religionem et disciplinam veram, si militiae regiae per huiusmodi foedera rursus aperiremus ianuam. Videns itaque mirandam illam totius plebis concordiam et Deo gratias ago, et de misericordia Dei optime spero. Quod si se iunxerit Pharao Epiphani Antiocho (quanquam non desint qui suspicentur illos iam dudum pulchre coaluisse conciliatore Carnali de *Guysa* et autore Conestabili) et placuerimus Domino, isque nos servare voluerit, excitabit Macchabaeos et veros aliquot Israelitas, quorum opera istorum frangatur ferocia ac liberetur Dei populus. Si autem visum est Domino virga iniquitates nostras visitare, age, fiat voluntas Dei: is det nobis patientiam et constantiam in fide vera. Certe ut populus noster a foedere gallico abhorret, ita Caesarem non amat, nihil ei fidit, in illum sperat qui solus liberat, et Caesari se, siquidem contra ius et fas nos debellare instituat, intrepide opponet. Det nobis Dominus sapientiam et robur.

Vale, dilecte et honorande mi *Calvine*. Salvi sint D. *Gallasius* et symmystae reliqui. Salutat vos omnes D. *Bibliander*, *Pellicanus*, *Gualtherus*, *Werdmullerus*, *Gesnerus*, *Wolphius*, *Zwinglius*, *Ammianus*, *Collinus* et reliqui. Tiguri 11. Maii anno 1549.

Tuus Bullingerus.

---

2) *Quum haec scriberet, Calvinus iam Geneva discesserat, scilicet rei componendae multo cupidior quam Bullingerus, qui potius vim sibi fieri passus est quam ut sponte amplexum esse dicas quae ei satis imperiose obtrudebantur.*

3) *Hic genuinum se ostendit Zwinglii asseclam, qui et ipse Helvetiis semper autor fuerat ut sibi ab exteris caverent. Cf. Pestalozzi p. 250 sq. Hess. II. p. 11 sq. Ipso hoc mense senatui tradidit scriptum memorabile quo non solum populares sed etiam Bernenses in suam sententiam pertraxit.*

1195.

CALVINUS SIGISMUNDO AUGUSTO.

Alloquutio nuncupatoria Commentario in epistolam ad Hebraeos praemissa.

(Ex editione principe Genevae per Ioannem Gerardum 1549.)

Potentissimo ac serenissimo principi Sigismundo Augusto Dei gratia Poloniae regi magno duci Lithuaniae Russiae Prussiae ac Mazoviae etc. Domino et Haeredi Ioannes Calvinus Salutem. [1])

Quum tam multi hodie insulsi homines passim ac temere scripturiendo imperitos ac minus acutos lectores suis nugis occupent, Clarissime Rex, ad hoc vitium alia quoque indignitas accedit quod dum regibus aliisque principibus viris inscribunt suas ineptias, ut his fucandis vel saltem tegendis splendorem inde mutuentur, non tantum sacra alioqui nomina profanant, sed partem illis quodammodo sui dedecoris aspergunt. Facit ergo importuna talium hominum temeritas, ut excusatione opus habeant graves et moderati scriptores, si quando magnis viris publice dicare instituunt labores suos, in quibus tamen adeo nihil est poenitendum ut eorum quibus offeruntur magnitudini luculente respondeant.

Hoc ideo praefari libuit, ne ex eorum numero unus esse videar qui, perinde ac si liceret quidquid vulgo fieri, licet perperam, consuevit, aliorum exemplo audere sibi permittunt. Neque vero me fugit quantam hoc stultae confidentiae speciem habeat, quod ego (ut reliqua taceam) ignotus homuncio et obscurus Regiam tuam maiestatem compellare non dubito. Verum auditis consilii mei rationibus, si meum factum, o Rex, probaveris, quid alii iudicent non est quod magnopere laborem. Principio itaque, tametsi neque meae tenuitatis sum immemor, neque rursum quae tuae Maiestati reverentia debeatur ignoro, una tamen pietatis tuae fama, quae fere apud omnes sincerae Christi doctrinae studiosos obtinuit, ad eximendum quemvis metum satis est.

Munus enim mecum affero quod illa repudiare tibi non permittet. Quum epistola quae ad Hebraeos inscribitur uberem de aeterna Christi divinitate summoque magisterio et unico sacerdotio disputationem contineat, quae praecipua sunt coelestis sapientiae capita, et in his explicandis sic versetur ut totam Christi virtutem ac officium nobis ad vivum exprimat, merito incomparabilis thesauri locum atque honorem in ecclesia obtinere debet. Apud te vero, qui filium Dei regnare atque eminere unice cupis, quin suum pretium habitura sit non dubito. Eius ergo interpretatione suscepta non dico quid profecerim, nisi quod fidem saltem ac diligentiam, ubi gustum ceperis, tibi probatum iri certo confido. Atque ut mihi neque ingenii neque eruditionis laudem arrogo, ita quid mihi in scriptura intelligenda a Domino datum sit (quando hoc non est nisi in eo gloriari) ubi res ita fert profiteri non pudet. Si qua autem ad iuvandam hac in parte Dei ecclesiam in me est facultas, eius specimen non obscurum in hac mea lucubratione edere studui. Quare munus, ut dixi, fore spero, quod mihi apud tuam Maiestatem, o Rex, non tantum ad excusationem satis valeat sed gratiae quoque non parum conciliet.

Ad [2]) eam rem praeterea mihi animum fecit homo plane generosus Florianus *Suslinga* a Varshavia, nobilitatis polonicae non poenitendum decus: huius preces eo plus apud me ponderis habuerunt quod non inconsulto patriae amore, ut multi solent, accensus ambitiose id a me petebat, verum ut tuae Maiestati, o Rex, ad instaurandum Christi regnum ultro iam properanti, [3]) et plurimis qui sub tuo imperio degunt ad illud suscipiendum propensis hoc quasi novum invitamentum foret. Regnum habes amplum atque illustre multisque ornamentis refertum. Sed haec solida eius demum erit felicitas, si Christum sibi, ut eius fide tutelaque muniatur, praesidem summumque gubernatorem adoptet. Nam hic est cui sceptrum tuum submittere adeo ab ista in qua collocatus es celsitudine non est alienum, ut longe omnibus mundi triumphis sit gloriosius. Nam quum inter homines propria magni et excelsi animi virtus censeatur gratitudo, quid regibus magis esset indecorum, quam si adversus Dei filium, a quo in summum honoris fastigium evecti sunt, ingratos se praeberent? Proinde non ingenua modo, sed plus quam regia servitus haec est, quae nos in angelorum ordinem attollit, dum inter nos erigitur Christi thronus, ut vox eius coelestis unica summis perinde ac infimis vivendi sit et moriendi regula. Nam etsi trita hodie ac omnibus fere vulgaris haec pro-

---

1195. 1) *Hallerus in Ephem. perhibet Susligam Calvino autorem fuisse ut Regi Poloniae suum Commentarium dedicaret: ipse vero Susliga* (*Nr.* 1192) *id minime confirmare videtur. Vide potius N.* 1188 *not.* 4 *et* 6. *Caeterum Sigismundus Augustus nuperrime* (1548) *patri successerat, et dicebatur reformationi favere, ut et nobiles regni, et praesertim Calvini Institutionem magni habere* (*Lubien. p.* 41. *Salig* II. 572).

2) Ad eam. rem *seqq. Haec absunt ab edd. recentioribus, quae statim sic habent:* Forsan et Maiestati tuae ad instaurandum Christi regnum *etc. Gallicum exemplar a.* 1549 *impressum textum integrum exhibet. Patet hoc comma propter Susligae mentionem* (*N.* 1192 *not.* 8) *postmodum suppressum fuisse.*

3) *Mater regis, Bona Sforza, a confessore suo Francisco Lismanino Corcyrensi Franciscano ad sacra reformata amplectenda bene fuerat disposita.* (*Lubieniecii hist. ref. Pol. p.* 18. 21 *etc.*

fessio est, Christi se imperio parere, paucissimi tamen sunt qui eam quam iactant obedientiam illi praestent.

Id autem non aliter fit quam ubi ad certum sacrae eius doctrinae praescriptum tota componitur religio. Hic vero emergunt miri conflictus, dum homines, non superbia modo inflati sed prodigiosa insania fascinati, minus perpetuis coelestis magistri oraculis, quam inanibus suis figmentis deferunt. Nam quoscunque obtendant colores qui ad nos oppugnandos operam suam locant romano Antichristo hic omnium contentionum, quibus iam per triginta annos tam acriter vexata est ecclesia, fons reperietur, quod qui primi inter Christi discipulos haberi volunt eius se doctrinae subiicere non sustinent. Eousque grassata est tum ambitio tum audacia, ut sub innumeris mendaciis sepulta lateat Dei veritas: ut omnia eius instituta foedissimis corruptelis sint inquinata, vitiatus omni ex parte eius cultus, eversa penitus fidei doctrina, adulteratus sacramentorum usus, regimen ecclesiae in barbaram tyrannidem conversum, foeda sacrorum omnium nundinatio instituta, ad effraenatam impiorum tyrannidem traducta sit Christi potestas, in christianismi locum horrenda et crassissimis ludibriis plena rerum omnium profanatio subierit. His dum tot ac tam atrocibus malis unum afferimus remedium, ut loquenti e coelis Dei filio detur in terris audientia, insurgunt extemplo magni isti Atlantes, non qui ecclesiam humeris fulciant, sed qui confictum a se idolum vanis titulorum ampullis in sublime efferant. Hunc porro tam acriter nobis reclamandi praetextum habent quod pacem statumque ecclesiae nostra interpellatione turbamus. Ubi ad cognitionem ventum est, ingeniosi artifices ecclesiam nobis pingunt quae totam gubernandi rationem a Christo separatam alienamque habeat. Hoc autem quid aliud est quam nefariam ac sacrilegam corporis a suo capite divulsionem moliri? Hinc quam frivola apud multos christianismi iactantia liquet: quum maxima pars nihil minus quam pura evangelii doctrina regi se patiatur.

Quod vero agnoscis, o Rex, ut integram regni sui possessionem adeat Christus, seria tot superstitionum repurgatione opus esse, singularis id prudentiae est: suscipere vero atque aggredi, quod ita necessarium vere iudicas, rarae cuiusdam virtutis. Te quidem divinitus instar Ezechiae cuiusdam, aut Iosiae, esse destinatum, qui puriorem evangelii doctrinam, quae Satanae astu hominumque perfidia in toto mundo vitiata fuit, brevi in regno Poloniae restituas, multa sunt quae spem bonis omnibus propemodum certam faciant. Nam ut alias omittam praeclaras tuas virtutes, quas exteri quoque praedicant, tuae autem ditionis homines magno cum fructu sentiunt, quum semper in te mirum pietatis studium enituit, tum vero pietas ipsa hodie refulget. Sed istud praecipuum quod mentem tuam ita irradiarit evangelii sui luce sol iustitiae Christus, ut et veram administrandae ecclesiae rationem non aliunde quam ab ipso petendam scias, et simul discernas quantum inter germanam quam instituit religionis formam et hanc, quae postea invecta est, commentitiam ac degenerem intersit. Nam et corruptum deformatumque Dei cultum, quia innumerae in eius locum superstitiones irrepserint, intelligis: gratiam Christi multis tenebris indigne obrutam: vim mortis eius imminutam: ipsum fere laceratum ac discerptum: eversa funditus salutis fiducia conscientias misere imo horrendum in modum vexatas fuisse atque cruciatas: a sincera rectaque Dei invocatione in varias perplexasque ambages miseros homines abductos: ecclesiam crudeli tyrannide oppressam: denique nullam christianismi partem sinceram relictam esse.

Hac te intelligentia, o Rex nobilissime, non frustra a Deo fuisse instructum credibile est, quin ministrum ad res magnas elegerit. Ac ne innoxius piorum sanguis de inclyto Poloniae regno vindictam exposcens tantam eius felicitatem nunc retardet, ne qua illic gutta funderetur, hactenus mirifica Dei providentia factum fuit. Ea fuit clementia et mansuetudine felicis memoriae Rex *Sigismundus* Maiestatis tuae pater, ut quum saevitiae contagio tot christiani orbis regiones occupasset, ipse puras manus continuerit.[4]) Iam vero tua nobilitas, adeoque eximii quique inter tuos proceres, non modo Christum se illis offerentem facile admittunt sed cupide iam ad eum aspirant. Quin etiam video Ioannem *a Lasco*, ex illustri comitum familia genitum, aliis quoque gentibus facem praetulisse[5]). Quo minus ferenda est *Eccii* improbitas,[6]) qui suum de sacrificio missae libellum *Sigismundo* Regi Maiestatis tuae patri inscribendo foedam, quantum in se fuit, tam illustri regno maculam inussit. Quanquam non fuit hoc mirum in Sileno illo, qui ebriosorum princeps[7]) non minus in altare, quam in

---

4) *Non quidem ab initio, nam et hic edictis promulgatis reformationem a suis finibus arcere primum conatus fuerat, postea demum mutato animo.* (*Salig. l. l.*).

5) *Cui rex episcopatum Cuiaviae obtulerat; ipse tamen Witebergensium discipulus maluit in Frisia evangelium praedicare.*

6) Ad invictissimum Poloniae Regem Sigismundum de sacrificio missae contra Lutheranos libri duo Ioh. Eckio autore 1526. 8. *Dedicationi Ingolstadtii Idib. Febr. datae accedit ep. ad Iod. Lud. Decium regis secretarium quocum Eccius Romae conversatus fuerat. Contra hunc scripsit Urb. Rhegius* Responsionem ad duos libros de missa Io. Eccii. *Aug. Vind.* 1529. 8. (*Wiedemann, Io. Eck. Regb.* 1865 *S.* 554.)

7) *Hac fama vel apud coaetaneos gaudebat ille, qui tamen multum plurimi praestabant in hac parte. Wiedemannus*

sterquilinium vomere solebat. Ego vero, si hunc meum laborem tuae Maiestati nuncupans ac dicans hoc saltem profecero ut a nomine polonico eluantur foetidae illae *Eccii* sordes, ne illic haereant quo tam indigne fuerant congestae, mihi non parum videbor consequutus.

Et sane vix ex tota scriptura eligi ad eam rem aptior potuit ullus liber. Huc enim potissimum incumbit apostolus noster, ut quod *Eccius* asserit sacrificium cum Christi sacerdotio manifeste pugnare ostendat. Missae quidem nulla hic fit mentio, quam tunc Satan ex inferis nondum eructaverat. Sed dum unico sacrificio, quod in cruce peregit Christus, contentam esse ecclesiam iubet, ut omnes immolandi ritus desinant, novis certe istorum commentis viam praecludit. Clamat hic apostolus, semel duntaxat in cruce immolatum fuisse Christum. *Eccius* victimam hanc quotidie renovari fingit. Pronunciat apostolus, solum Dei filium fuisse idoneum sacerdotem qui se patri offerret, ideoque iurciurando constitutum. *Eccius* sacerdotium in eius persona residere negat, sed eius functionem ad conductitios sacrificos transscribit. Neque vero me latet quibus cavillis et haec et alia eiusmodi argumenta eludere conetur. Sed timendum non est ne alios eludat, quam qui sponte vel caecutiunt, vel lucem fugitant. Quanquam sic thrasonico suo fastu inebriatus fuit, ut se insolenter iactando plus operae insumeret quam subtiliter disputando. Ego tamen, ne frustra cani mortuo insultare videar, non aliud addam in praesentia, nisi hunc quoque fore commentarii mei usum, ut quam nebulo ille crapulae suae labem, putidum suum librum exhalando, ingessit in nomen polonicum abstergat. Qui autem legere sustinuerint, ne eius decipulis capiantur timendum non est.

Porro quum laborem hunc meum tuae Maiestati offerendo non tibi modo privatim, o Rex, aliquam observantiae significationem dare voluerim, sed toti eam mundo testatam facere, nunc superest suppliciter ut Maiestatem tuam rogem, ne meum hoc qualecunque studium repudiet. Certe si quem ad pios tuos conatus incitandos stimulum attulerit, amplissimum eius fructum tulisse me putabo. Agedum ergo, magnanime Rex, faustis Christi auspiciis curam quum regia tua celsitudine tum heroica virtute dignam suscipe, ut aeterna Dei veritas, qua et eius gloria et hominum salus continetur, quacunque imperium tuum patet, ius suum Antichristi latrocinio ereptum recuperet. Arduum sane opus tantaeque molis, ut merito sollicitudinem ac metum vel cordatissimis iniiciat. Sed primo nullum est tantum discrimen quod non alacriter subire, nulla tanta difficultas quam non constanter perferre, nullum tantum certamen cui non intrepide nos offerre pro tam necessaria causa deceat et oporteat. Deinde, quia proprium est Dei opus, non tam hic respiciendum quousque se humanae facultates extendant, quum danda eius virtuti gloria, ut ea non adiutrice modo sed directrice etiam freti ultra vires audeamus. Ecclesiae, inquam, et fundandae et instaurandae munus non abs re passim scriptura Deo vendicat. Praeterquam enim quod res est per se omnino divina, et quae omnem mundi captum longe superat, simul atque initium aliquod emergit, quascunque nocendi artes habet Satan, eas quasi in acervum congerit, ut longiorem progressum vel abrumpat vel moretur. Scimus autem mundi principi nunquam deesse innumeros satellites qui ad oppugnandum Christi regnum operam suam locare semper sint parati. Alios instigat ambitio, alios venter impellit. Haec nos certamina pro nostra tenuitate mediocriter exercent. Tua vero Maiestas longe maiores difficultates procul dubio experietur. Ergo quisquis ad promovendam et salutis doctrinam et ecclesiae salutem accingitur, invicta constantia armatum esse oportet. Atqui quoniam res est viribus nostris superior idem e coelo nobis arma suppeditat. Nostrum est interea, quae passim in scripturis occurrunt promissiones, animis habere insculptas: Dominum, sicuti ecclesiae fundamenta manu sua iecit, ita non passurum ut diruta maneat, quin de colligendis instaurandisque ruinis sit sollicitus. Nam ita loquendo se nunquam in hoc opere nobis defuturum promittit. Sicuti enim otiosos suae virtutis spectatores nos sedere non vult, ita laborantes manus fulciendo auxilii praesentia satis clare se principem architectum esse demonstrat. Proinde, quod toties ipse non temere repetit atque inculcat, ne pigeat memoria repetere, quoties cum hostibus congrediendum est, qui assidue infesti prorumpunt. Sunt enim et copia prope infiniti, ut dictum est, et genere varii. Unum autem hoc ad nos animandos abunde sufficiet, quod ducem habemus adeo invictum, ut quo pluribus impetitur proeliis eo plures in manu habeat et victorias et triumphos.

Vale, invictissime Rex. Dominus Iesus te spiritu prudentiae gubernet, spiritu fortitudinis sustineat, omni benedictionum genere prosequatur, Maiestatem tuam florentissime diu conservet regnumque tueatur. Amen. Genevae 10. Calend. Iunii 1549.

---

l. l. p. 377 rem hactenus mitigare conatur ut dicat eum cum amicis alacriorem quandoque fuisse.

1196.

HALLER AN BULLINGER

Er erkundigt sich nach dem wahren Zweck der Reise Calvins nach Zürich.

(Excerpt aus einem Brief im Züricher Archiv. Gestell VI. Bd. 115. ehemals Kasten B Epp. T. VIII. S. 2846.)

— — — — — — — — — — — — — — — —

Ich hör *Caluinus* sye gen Zürich: was er schaff land mich wüssen. [1]) — — — — Datum ult. Maii Bernae 1549.

Tuus quem nosti.

1197.

MINISTRI BERNENSES TURICENSIBUS.

Traditam sibi formulam consensionis de re sacramentaria doctam et sanam esse agnoscunt, etsi in quibusdam non satis dilucidam, subscriptionem tamen denegant et omnino evulgari dissuadent, quippe quibus in pristinis confessionibus acquiescendum videatur. [1])

(Ex autographo Halleri in Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 105. olim Scrinio B. Epp. T. I. fol. 403. — Simler Vol. 70.)

Gratiam et pacem a Deo patre per Iesum Christum qui est unica pax nostra.

Redditae sunt nobis literae vestrae, [2]) viri praestantissimi colendissimique fratres, ex quibus intelleximus quae et qualis collatio inter D. *Calvinum, Farellum* atque vos habita sit de re illa sacramentaria nimium diu iam contentiosissime a multis agitata, non sine gravi offensione et periculo multarum animarum et conscientiarum. Percepimus etiam non sine singulari gaudio datas esse inter vos mutuo dextras, ut concordem constituentes declarationem resecaveritis omnia quae contentionibus hactenus utrinque occasionem dedisse videbantur. Quam declarationem ad nos missam legimus. Intellexi-mus etiam peculiariter ex fratre nostro *Hallero* qua occasione ad hanc collationem utrinque deveneritis. Petitis vero ut et nos super hac declaratione nostra vobis perscribere quoque velimus iudicia. Quod quidem facere parati sumus, et eo libentius quanto penitius nobis vestra humanitas, dilectio atque cura pia, quam et pro nostris geritis ecclesiis, perspecta est, quibus non dubitamus vos quam optime consultum esse expetere. Haec ergo pauca ad vestra respondere voluimus, neque quidquam nostri vos celare arbitrii.

Et primum quidem, quod ipsam attinet declarationem, licet inprimis aliquot capitibus videatur non ita dilucide, sed aliquantulum subobscure posita esse, nihil tamen habemus quod in re ipsa (quantum quidem nostris assequi possumus iudiciis) reprehendamus. Sed videntur omnia bene docte et christiane dici, maxime quum in posteriore parte diligenter reiiciantur ea quae hactenus huic contentioni materiam suppeditarunt. Caeterum, quia non nescimus quantum ratio illa concordandi mali dederit nostris ecclesiis, et quid denuo fieri posset fratribus illis insidiose agentibus, et quum etiam in praefatione dicatur, non omnia hac confessione complecti quae utiliter apteque de sacramentis dici poterant, et maxime alioqui ad veram eorum intelligentiam conveniunt etc., suspicamur et veremur ne hoc praetextu quaevis obscuritates obtrudi aut obvelari possint. Et proinde icti piscatores non possumus non esse perpetuo solliciti, maxime quum non lateat nos quales aliquando deprehensi sint in hac causa qui nunc vobis in hac parte (de quo tamen et illis et vobis vehementer gratulamur) dextras iungunt. Hoc ergo unanimi consensu omnibus nobis videtur, ne hac tempestate confessio ista in lucem eat, sed sufficiat in praesentiarum mutuus ille inter vestras et nostras ecclesias consensus, ne insperata illa concordia plus suspicionis pariat et perturbationis quam pacis. Quod si vero omnino vobis consultum videtur ut edatur publice, per nos quidem licebit: nihil praescribimus. Non poterimus tamen nostra subiicere et subscribere nomina. Non quod suffugiamus testimonium dare veritati, sed quia nec tempora nec ecclesiae nostrae mores hoc ferrent. Gliscentibus enim adhuc

---

1196. 1) Farel und Calvin waren nach Zürich gereist, des Consensus wegen, ohne Hallern unterwegs zu begrüssen. (Vergl. N. 1202).

1197. 1) *Calvinus c.* 20. *Maii Geneva profectus Farello Neocomi comite assumpto sine mora Bernae transiens Turicum petierat. Ex hac nostra et Halleri Ephemeridibus p.* 87 *colligimus formulam consensionis postridie Cal. Iunias iam ad Bernenses allatam fuisse, ergo ultimis Maii diebus Turici conscriptam. Cf. etiam Calvini ep. ad Myconium infra* 26. *Nov. qui ipse iam postridie Nonas Genevae redux fuit testibus Commentariis senatus. Vides eum etiam in hoc secundo itinere Bernae non commoratum, ubi scilicet praesentiam suam non tam promoturam quam impedituram sciebat quae ipse persequebatur consilia.*

2) *Quas deperditas dolemus, ut et ipsam Declarationem, quae fortasse non verbo tenus eadem fuit ac illa quae postea edita est. Caeterum de formula Bernensibus ministris oblata vide epp. proxime seqq. Halleri et Musculi, item Bernensium infra* 10. *Sept. Etiam Hessius et Pestalozzius hanc intermediam recensionem non viderunt. Quum tamen et antea et postea articuli olim a Calvino propositi varie mutati fuerint vero simillimum est et hanc Bernensibus traditam formulam aliquatenus singularem textum praebuisse.*

odiis [3]) facile a nostris, maxime infirmioribus, nescio quarum insimulari possemus machinarum, unde perturbatior nostra redderetur ecclesia quam pacatior. Facilius erit hoc vobis facere, quorum ecclesias non tantus concussit motus quantus nostras. Neque etiam liceret hoc nobis sine magistratus nostri consensu. Quem vero hac de re interpellare non arbitramur fructuosum futurum. Praeterea quum nostra disputatione et vestra contra *Lutherum* confessione satis superque declaratum sit quidquid ad causam hanc pertinet, non videmus quantopere conducat aliam edere confessionem. Sed et neque inter Gebennensem et nostram ecclesiam unquam publicum fuit dissidium, ut videatur necessarium publice etiam papistis nostrum testari consensum. Quin fructuosius esse videtur ut ex scriptis posthac utrinque editis totus mundus deprehendat nos omnino nihil dissidere. Item ex sermonibus quotidianis. Pergite ergo vos in ea doctrina qua hactenus usi estis, sicut non est dubium de vobis. Pergemus et nos in eadem fideliter. Pergant et Genevenses in ea quam hic declararunt, resecatis amphibologicis illis loquutionibus quibus hactenus usi sunt. Desinant nostrorum calumniari doctrinam. Hac ratione videtur tutius declarari posse consensus noster, quam ita mox edita confessione, de qua adhuc dubium an illi illam per omnia in docendo et scribendo sequuturi sint. Quod si fecerint, stabit per se concordia, et idem spiritus de nostro testabitur consensu. Interea diligamus mutuo, deponamus odia, suspiciones, sobrie singula diiudicantes, et oremus Dominum ut is spiritu concordiae nos vere uniat, et in pura veritate conservet. Amen.

Haec ad vos liberius, observandissimi fratres: non quod vobis quidquam praescribere velimus, sed ne celaremus vos iudicia nostra, quae tam candide et studiose a nobis requiritis. Vestrum erit omnia boni consulere. Dominus Iesus rex et pontifex noster custodiat vos et ecclesiam vestram. Orate pro nobis et nostra. Bernae 4. Non. Iunias Anno 1549.

Ioannes Hallerus
suo omniumque symmystarum pastorum et lectorum nomine in ecclesia Bernensi.

3) *etiam in ipsum Calvinum directis, maxime ex choro optimatum, Wattevillii, Naegelii etc.*

1198.

HALLERUS BULLINGERO.

Privatim breviter eandem sententiam profitetur de Turicensium et Genevensium declaratione quam modo nomine collegarum fusius exposuerat. Etiam foedus gallicum a Calvino tam ardenter commendatum perhorrescit [1]).

(Ex autographo Archiv Turic. olim Scrin. B. Epp. T. 32, nunc Plut. VI. Vol. 154, fol. 100. — Simler. Vol. 70.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Heinrycho Bullingero domino et compatri suo fidelissimo.

Tiguri.

S. Quod declarationem attinet D. *Calvini, Farelli* et vestram, non opus est quod privatim multa respondeam, quum publicis quid nobis videatur testemur literis. Non puto vobis nostram displicituram libertatem, qua neque vobis praescribere quidquam, neque modum dare, sed requisiti iudicium nostrum celare non voluimus. Moderavimus tamen quantum potuimus. Non deerant qui mox malignarentur, quorum tamen aestum hac moderatione repressimus. Serio nobis non videtur consultum ut edatur, multo minus ut nos subscribamus. Poteritis vos facere quidquid vobis visum fuerit. Gaudemus tamen et gratias agimus Domino qui talem in simplici veritate dedit inter vos consensum. Certe, ut scribis, magnus est *Calvinus*, cui multum deferendum. Universa ab ipso pendet Gallia, et nihil mihi poterit contingere optabilius quam si pergat posthac etiam scripta sua secundum hanc declarationem mitigare. Non erit periculum ab ecclesia nostra. Miror si non et Basilienses huc tentet pertrahere. [2]) Pergamus orare Dominum ut vindicet ille veritatem suam ab omnibus tenebrionibus, qui eam hactenus obfuscare sunt moliti. Spem mihi non exiguam etiam aliorum bonorum hic facit vester consensus. Dominus confirmet.

Quod vero illi tentarunt persuadere foedus gallicum pangendum esse ratione afflictorum a Rege, miror illos existimare hac ratione Antichristi mores et pfafforum frangi posse. Miror hanc succurrendi rationem, ut coniiciendo nos in poenas aeternas illos a temporali et beato liberemus martyrio. Est quidem laborandum pro illis, sed longe alia quam hac ratione: precibus devotis et indefessis ad regem

1198. 1) *Cf. eius Ep. ad Bullingerum infra ad* 14. *Sept.*
2) *Quod revera factum est, vel invito Myconio, qui aegre tulit se non in consilium a principio adhibitum fuisse. Vide infra ad* 26. *Nov.*

nostrum Iesum, qui est in dextra patris et novit suos e tentatione eripere. — — — — — — — — — Bernae secunda Iunii 1549.

Tuus ad omnia obsequentissimus
Io. Hallerus.

1199.

MUSCULUS BULLINGERO.

Et hic declarationem illam acceptam significat, verum non omnibus numeris acceptabilem.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 81, olim Epp. T. 46, fol. 300 — Simler. Vol. 70.)

Spectatissimo theologo ac Christi ministro M. Heinrycho Bullingero domino ac fratri plurimum colendo.

— — — — — — — — — — — — — — — — — —

De conciliatione, imo magis declaratione, quae inter vos istic et D. *Calvinum* et *Farellum* hisce diebus intercessit, literas tuas vidimus. Nondum lectae sunt communiter. Legentur tamen hoc vesperi. Domino sit gratia, qui hoc animi vobis inspiravit, ut de praesentium temporum necessitate cogitaveritis, et consensionem causae, quae erat antea in cordibus, in lucem produxeritis. Legi scriptum declarationis, nec video quid desiderari possit, nisi quod haec ipsa simplicius et clarius poni poterant. Sed dandum est hoc praesentium temporum malignitati, praesertim quum causae veritas nihil patiatur detrimenti. — — — — — — — — — — — — — — Bernae Helvetiorum 2. Iunii 1549.

W. Musculus
tuus in Domino.

1200.

BADUELLUS CALVINO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 3.)

Doctissimo viro et optimo homini D. Carolo Passelio amico suo singulari.

Lutetiae.

Etsi Ioannes *Feronius* [1]) ad me scripsit te in pagum Tigurinum esse profectum, ut componas eam controversiam quae ad hunc usque diem de gravissima re maxima exstitit, tamen facere non potui quin, quum et te iam reversum esse arbitrarer et iste iuvenis istuc ad vos proficisci cogeretur, ei aliquid literarum darem, quibus eam opinionem quam de illo habeo tibi declararem. Quae fuerit eius et ante ratio vitae et nunc professio, ex ipso intelligere poteris. Ego eius vitae, quam modeste integreque in hac civitate degit, testimonio [2]) ei dare non dubitavi, praesertim quum multorum et prudentium et piorum hominum autoritate comprobatum videretur. Itaque a te etiam atque etiam maximopere peto, ut ei pro tua gratia et autoritate eam conditionem cures, in qua cum aliqua suae artis et operae opportunitate pietatem apud vos colere, turbulentissimumque ac periculosissimum vitae tempus traducere possit. Nam ex bonorum virorum opinione et vita eius anteacta spero illum ita versaturum apud vos, ut nullam offensionem aut mihi aut vobis allaturus sit. Vale in Domino, amice carissime. Datum octavo idus Iunii. [3])

Tuus Appius Claudius.

1200. 1) *Minister Genevensis ad S. Gervasii cuius hoc anno et in Actis publicis et in hoc Thesauro saepius mentio fit.*

2) *sic.*

3) *Unde scripta fuerit ambigi potest. Haagio autore Baduellus ab a.* 1540 *ad* 1553 *Nemausi rector collegii fuit Verum eum etiam Carpentoracti tali munere functum vidimus. Hic autem Nemausus vix indicari videtur, quum dicat Calvinum probabiliter iam reversum ex Turico: cui itineri quum pauci dies sufficerent, reducem fuisse credere debebat vel antequam Ferronii epistola profectionis nuncio ad ipsum eo pervenire potuisset. Vide tamen N.* 1205.

1201.

VIRETUS CALVINO.

Villierii et Alysii negotium denuo tractatur. Halleri et ipsius sententia de consensus formula non vulganda.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 175.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino.

Genevae.

S. Mearum ad *Willierium* [1]) literarum ad te mitto exemplum. Si mittendas censes, et per hunc tabellarium, mitte. Sin minus, retine, et ad me cum exemplo remitte. Vereor enim ne quid offendatur, quamvis pro rei indignitate mihi satis modestae videantur. Aut si literis non offenditur,

1201. 1) *N.* 1184.

ne nuncio offendatur, quem ne male apud eum *Alysii* opera audiat metuo. Scio enim quid aliquando ab eo audiverim, de eius temeritate, imprudentia, et alia id genus, quae valde damnat *Alysius*. Non dubito quin illic longe plura sparserit. Sed tuo omnia iudicio relinquo.

Mitto et *Halleri* ad me literas [2]), quas perlectas etiam ad me remittes. Audies eius consilium et Bernensium. Non mihi omnino eorum improbantur rationes. Fortasse satis esset hoc tempore inter nos istum esse consensum. Si res et tempus tandem postularit ut edatur formula concordiae, satis erit tempestivum. Meum quoque requirit consilium. Tu quid mihi putes respondendum significato. *Senarcleus* narravit, nonnihil moleste tulisse *Hallerum*, te et *Farellum*, quum Tigurum proficisceremini, Berna iter fecisse eo insalutato. [3]) Vides qui spargantur rumores. Facilis tua apud eum erit excusatio.

Causa nostri Atychi [4]) acta est in consistorio. Iussus est a ministerio abstinere. Causa tota ad Bernenses mittetur ut de poena ipsi statuant. Sunt enim multa in uno scelere scelera, etiamsi praecedentia negligantur. Causam *Budaei* tibi commendo [5]). Si venerit, indicato primo quoque momento, et quid habeat animi. Nam nimis diu protrahimus tempus quo classis habendus est conventus, hanc unam solam ob causam. Saluta amicos. Nostri te omnes salutant. Vale. Lausannae 7. Iunii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1202.

CALVINUS FARELLO.

Ferronius patronorum suorum auxilio denuo restitutus. Victrix causa diis placuit sed victa Catoni.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 10, quod pridem descripsit Turretinus Cod. 111, fol. 227. Habet quoque Cod. Epp. Bern. VII. p. 1010, non vero Simlerus.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et amico sincerissimo.

S. Nihil habeo novi, nisi quod multos invenimus novos hospites [1]), quod futurum sperabam. Hoc videri novum non debet quod *Ferronius* locum suum retinuit adiutus improborum patrocinio [2]). Aurea autem eius promissa tantundem apud me valent ac si acerrimum se fore hostem denunciaret. Ego multas indignitates devorare cogor, ne tot pias animas, quae meam fidem implorant, destituam. Atque id vident qui mea patientia abutuntur. Nec aliud est quod eos reddat tam audaces.

Caeterum quatuor coronatos et dimidium *Mirabili* remitto, quod ex summa quam numeraverat residuum fuit. [3]) Eum salutabis meo nomine, et omnes amicos. Bene vale, frater integerrime. Dominus Iesus te gubernet, tibi adsit, tuumque ministerium semper benedicat. Amen. Genevae pridie pentecostes. [4]) Salutant te plurimum fratres mei et plurimi boni viri, praesertim vero frater meus *Normandius*.

1203.

CALVIN A MADAME . . . . . [1]).

Il l'encourage à persévérer dans la foi évangélique qu'elle a embrassée.

(Copie. Bibl. de Genève. Vol. 107[a], fol. 333. Autres plus récentes Vol. 107, fol. 28 et 111, fol. 221. Berne Epp. VII. p. 1011. Simler. Vol. 70. — Ruchat V. 537. Bonnet, Lettres fr. I. 301. Trad. angl. II. 215.)

Madame et bien aymee soeur, comme nous devons estre ioyeux quant le regne du filz de Dieu nostre sauveur se multiplye, et que la bonne se-

---

2) *deperditas. Earum tamen argumentum ex proxime praecedentibus facile colliges.*

3) *Cf. N.* 1197 *not.* 1. *Quod et in reditu Hallerum non invisit, ipso Bullingero autore factum videtur, qui semetipsum facilius Bernenses delinire posse aestimabat, quam illum. Vide epp. m. Nov. scriptas.*

4) *Nomen evidenter fictitium.*

5) *cui l. hebraicae docendae munus tradi volebat, quod tamen non illi sed Merlino demandatum fuit.*

1202. 1) *profugos Gallos, nisi fallimur.*

2) *D. 7. Iunii in Senatu actum fuit de Ferronio et ministris mandatum ut cum eo paci et oblivioni studerent.*

3) *Fortasse is viaticum Neocomi transeunti suppeditaverat.*

4) *Pascha fuerat d.* 21. *Aprilis. Pentecoste ergo d.* 9. *Iunii.*

1203. 1) *Au dos de la copie* 107*:* Ie pense quelle est escripte à Madame de la Roche-Posaz, abbesse de Thouars. *A. Lièvre, Hist. des Protestants du Poitou* I. 49*:* En 1549 Philippe Chasteigner abbesse de S. Jean de Bonneval près Thouars avait embrassé la réforme et entrait en correspondance avec Calvin, à qui elle communiquait son projet de quitter le couvent et de passer en Suisse. — *En effet elle aurait exécuté ce projet en* 1557 *avec huit de ses religieuses. Une seule serait restée au couvent. (Recueil des Archevêchez de France I.* 182). *L'auteur invoque la présente lettre comme confirmant ces données; nous n'y découvrons absolument rien de positif à cet égard, et le nom de la personne à laquelle elle est adressée ne saurait être déterminé, seulement on voit qu'il est question d'un couvent de femmes.*

mence de sa doctrine est espendue par tout, iay este fort resiouy voyant par voz lettres sa grace et bonte estre parvenue iusques a vous, pour vous attirer en la congnoissance de sa verite, en laquelle gist nostre salut et tout bien. Et deffait cest comme ung miracle quant il luy plaist de faire luyre sa clarte au lieu de sy profondes tenebres, ce que ie diz affin que vous et voz compagnes soyez tant plus incitees a priser le bien inestimable quil vous a fait. Car si les mensonges de Sathan par lesquelz il a aveugle et ensorcele le monde regnent auiourduy partout, ils ont principallement leur siege en ces malheureuses prisons quil a basties pour y tenir les ames doublement captives. Congnoissons donc que nostre bon Dieu vous a tendu la main iusques aux abismes, et quen cela il a declare une misericorde infinie envers vous. Parquoy vostre office est, selon ce que nous dict S. Pierre, de vous employer a magnifier son sainct nom. Car en nous appellant a soy, il nous desdie affin que toute nostre vie serve a son honneur, ce qui ne se peult faire sans nous retirer des pollutions de ce monde. Et deffait cest bien rayson quil y ayt difference entre ceux qui sont illuminez par Iesus Christ, et les pouvres aveugles qui ne savent ou ilz vont. Ainsy mettez peine que la congnoissance quil vous a donnee ne soit point oysive, de peur quil ne vous soit reproche au grant iour que vous aures aneanty sa grace. Mais pource que ie me confie que vous le faictes tant quil vous est possible, ie ne vous en tiendray point plus long propos. . Vray est que nous ne pouvons estre trop solicitez en cest endroict. Pourtant ie crois que vous recevrez ceste exortation comme vous devez, ne lestimant point superflue, dautant quelle vous pourroit servir contre beaucoub dassaulz que Sathan ne cesse de faire a tous enfans de Dieu. Or sil a beaucoub de moyens en ce monde pour nous desbaucher du droict chemin, nous sommes tant fragilles que cest pitie pour estre tantost vaincuz. Pourtant nous avons bon mestier de nous armer de toutes pieces. Aureste, sentant linfirmite qui est en nous, laquelle nous fait souvent deffaillir il nous fault conioindre avec les exortations qui nous sont faictes au nom de Dieu, oraisons et prieres, affin quil plaise au Pere celeste nous fortifier par sa vertu, et supplier a nostre deffault. Quoy quil en soit, que nous ne cherchions nulles excuses pour nous flater en noz vices, comme font la plus part, mais que nous soyons tous resoluz que son honneur merite destre prefere a toutes choses, voyre a nostre vie mesme. Et ne trouvons point estrange, sil fault que pour son nom nous soyons chasses de lieu en aultre, et quil faille abandonner le lieu de nostre nayssance, pour nous transporter en lieu incongneu; car mesme il nous fault estre prestz de sortir de ce monde, toutesfoys et quantes quil nous appellera. Jentens bien quen telle servitude ou vous estes, vous ne povez purement servir a Dieu, que la rage et cruaulte des iniques ne sesleve incontinant contre vous, et que le feu ne soyt allume. Voyant cela quant vous devries circuyr mer et terre, ne vous lassez iamais a chercher le moyen de vous pouvoir reiller du tout a la volunte de ce bon pere celeste. Toutesfois quil vous souvienne cependant que par tout ou nous irons, la croix de Jesus Christ nous suyvra; mesmes au lieu que vous povez avoir la voz aises et commoditez. Faites vostre conte questant venue en pais ou vous aurez liberte tant dhonorer Dieu que destre confermee par sa parolle, vous aurez a endurer beaucoub de facheries. Car voyla comment Dieu veult esprouver nostre foy, et savoir si nous le cherchons renoncant a nous-mesmes. Il est bon que vous soyez advertie de cela, affin que vous ne le trouviez point nouveau, quant ce viendra a la pratique, comme ie ne doute point que vous et voz compagnes ne vous y soyez desia preparees. Mais le principal est de prier Dieu quil vous prenne en sa conduyte, tant pour vous guyder que pour vous tenir la main forte, affin comme il a commence en vous, quil continue iusques a ce quil vous ait amenees a la perfection a laquelle il nous fault tousiours aspirer, tant que nous soyons sortis de ce monde. Et pour vous confermer a ce, renduysez tousiours en memoyre quel malheur cest destre en perpetuelle inquietude et tourment de conscience. Surquoy il vous sera facille de detester ceste condition tant miserable en laquelle vous estes, et tenir pour fiente toutes delices et tous biens quil vous fault racheter par un si grand mal que doffencer Dieu iournellement. Quant vous penserez que nostre vie est maudite et par consequant pire que nulle mort, si nous ne sommes en estat approuve de Dieu, il ny aura lien si ferme de toutes commodites terriennes, qui ne vous soyent aisez de rompre pour vous retirer dune facon de vivre que Dieu condemne, mesmes pour vivre en lieu ou non seullement il vous soyt licite de suyvre une vocation saincte et chrestienne, mais aussy vous aurez moyen de vous exercer tous les iours en saine doctrinne, comme il nous est bon mestier de profiter. Une telle recompence nous doyt bien suffire pour navoyr nul regret aux friandises et voluptes degipte et nous donner couraige de suyvre plustost Dieu au desert que de nous amuser a tout ce que nostre chair souhaite et desire.

Cependant, Madame et bonne seur, appres mestre recommende affectueusement a vostre bonne grace, et de vostre compaignie, ie priray nostre bon Dieu de vous augmenter de plus en plus ses benedictions spirituelles, vous tenir du tout en son obeissance, et vous avoir en sa protection et deffense

ontre toutes les embuches de Sathan et des siens. Ce 10 iour de Iuing mille 49.[2])

1203 bis.

HUBERTUS CALVINO.

Tarditate sua excusata mittit ei versionem pridem promissam.

(Ex schedis autographis autoris in peculiari codice Arch. Thoman. asservatis, quae tamen lituris scatentes minus faciles lectu sunt.)

Ad D. Ioh. Calvinum.

S. D. Pudet me profecto mei ipsius, praeceptor observandissime, quoties benevolentiae tuae singularis erga me memor meam mihi vicissim negligentiam, ne an ingratitudinem dicam nescio, oculos statuo. Et quamvis dum hic mansit D. *Bucerus* multum, in abitione tamen ipsius plurimum impedimenti obiectum sit, unde saltem aliquis excusandi me locus superesset, tamen eum iam subequutum tempus omnino auferre videtur. Sperabam quidem me ad mundum transscriptum exemplar[1]) veriis paschalibus per vestrates mercatores transmittere posse: sed ecce hi propter festorum nova onera inabsolutum illud repererunt, quod et *Maietus* novit. Ab eo itaque tempore iam voti compos factus certo nuncio ad te mittere non potui. Mordet me illud dictum: bis dat qui cito dat, et recte quidem. Ego itaque qui tarde, ne semel quidem do, praesertim tibi cui plurima debeo. Itaque praetitisset me primae versionis immundius etiam scriptum quam nullum transmittere. Sed quidquid fit, condonabis mihi libenter, mi praeceptor, hoc peccatum ut qui aliquando, nae gratificando, amicis nihil gratificer. Versionem nostram fidelem esse puto, et non omnino obscuram: eloquentem enim ab eo qui in hoc genere parum sit versatus expectandam tibi esse non puto. De alterius hominis versione iudicium aliis relinquo. Quam cum hac remitto una cum literis D. *Buceri* ex Anglia ad te scriptis. Vide quo ingratitudo nostrarum suos profligat fidelissimos ministros. Omiseram Germaniam, postquam sua bona nescire et negligere pergit. Oremus tamen et bene speremus saltem de reliquiis per Dei misericordiam salvandis. Nos hic ministri haeremus quamdiu datur. In religione nihil mutatum, praeterquam in revocatis quibusdam festis, ut scis, in quibus tamen verbum Dei etiam sonat. Vale, mi praeceptor. Argen. die 10. Iunii 1549.

2) *La copie que nous suivons* (107[a]) *ajoute:* Par Monsieur Calvin. *La copie suivie par M. Bonnet, et dont nous négligeons les nombreuses variantes sans importance, n'a aucune souscription. C'est l'éditeur qui l'y a ajoutée.*

1203 bis 1) *Aliunde certissime constat Hubertum versionem parasse Apologiae pro Fallesio a Calvino scriptae. Quae quum serius absoluta fuisset, iam antequam Genevam mitteretur alia a Balduino exarata prelo mandata est. Diu postea Hubertus, suam nempe Fallesio traditam ratus, mirari se scripsit quod a Fallesio nihil remunerationis acceperit.*

1204.

VIRETUS CALVINO.

Budaeum vult sollicitari ut professionem linguae hebraicae apud Lausannenses suscipiat. Bernae decretum esse significat ut Zebedaeus transferatur.

(Autographon exstat in Cod. Genev. 111a, fol. 88, recentiora exemplaria habes Cod. Genev. 116, fol. 113, Bernae in Epp. VII. p. 1026 et apud Simlerum Vol. 70.)

Praestantissimo viro D. Ioanni Calvino fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. *Budaeos* cum matre advenisse gaudeo.[1]) Oro te ut quam primum poteris de eius me voluntate facias certiorem, quem hebraeum professorem nobis optamus[2]), eumque ut ad eam provinciam horteris suscipiendam quibuscunque poteris argumentis. Vereor enim ne aegre adducatur nimisque sibi diffidat. Ea spes, quam de eius adventu concepi, fecit ut classis conventum indixerim, quem hactenus distuleram. Quinto decimo abhinc die conveniemus. Fac igitur ut interea aliquid hac de re certi statuere possimus.

Hodie sunt mihi literae *Halleri*[3]) redditae quibus quid senatus statuerit de *Zebedaeo* significat. Scribit, se iussum de eo transferendo cogitare. Negotium ei difficile videtur. Ait, non desse qui eius translationem impedire moliantur, quod metuant ne

1204. 1) Me. Budé de Paris supplie au nom de luy et de ses freres et de leur mere pouvoir habiter a Geneve. Accordé. (*Reg. du Conseil* 27. *Juin*).

2) *Is fuit Ludovicus (seigneur de la Motte.* Galiffe III. 85) *Edidit versionem gallicam psalmorum sec. hebr. veritatem c. notis Gen.* 1551. *Post eius mortem prodierunt quinque libri sapientales qui dicebantur, latine et gallice Lugd.* 1558. (Haag. III. 75). *Obiit a.* 1552.

3) *deperditae* (*cf. N.* 1207).

eo exploso nimium nobis permittamus. Decretum est tamen ut transferatur. Meum super ea re consilium desiderat. Ego vicissim tuum, ut ei commodius respondere possim. Effice igitur ut hoc quoque mihi brevi praestes. Nostri te omnes salutant. Saluta amicos. Commendo tibi nostrum Paterniacensem.[4]) Vale. Lausannae 12. Iunii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1205.

CALVINUS VIRETO.

De aegroto quodam a Vireto Textori commendato cuius valetudo pariter et opes medicina egent. De Budaeo et Zebedaeo.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 11, coll. cum exemplaribus Turretini Cod. 111, fol. 228, Bernensi Epp. VII. p. 1033, et Simleri Vol. 70.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

Pium hunc fratrem[1]) ideo remitto, quia *Textor*, quod illi utile iudicaverit, aeque absenti praescribet. Spem curationis perquam tenuem facit. Tentandum nihilominus aliquid censet. Ac iam coepisset, nisi quod ipse quoque aegrotat: sibi ergo petit abs te ignosci quod non celerius manum admoverit. Rogavi an non praestaret hominem hic retineri donec sua remedia adhibuisset? Negavit esse necessarium. Deinde, si hic maneret, volebat apud se agere. Nam postridie quam appulerat, domum suam ascivit. Nosti autem morositatem uxoris. Praeterea bonus vir, longioris morae taedio captus, redire istuc malebat. Si nullus erit remediorum profectus, cum Senatu Bernensi agendum certe erit ut ex publico alicubi tranquille alatur. Coronatum remitto. Bonis fratribus qui illum comitantur dedi quod in eius viaticum sufficeret. Si mandabis, agam cum *Maldonado*[2]) ut ex *Davidis* pecunia aliquid eroget, tametsi quod restat valde est exiguum.

Budaei proxima septimana vos invisent. *Ludovicus* et alia quaedam et linguae impedimentum causatur. Hortatus sum ne tam sanctam provinciam detrectet. Tu cum eo ages. De *Zebedaeo* nihil habeo consilii nisi ut ecclesiae Iverdunensi reddatur siquidem impetrari hoc poterit. Ipse tali populo dignissimus, nec iniuria populo fiet qui talem pastorem meretur. Qui nunc praeest, libenter, ut spero, migrabit: in successore plus erit negotii.[3]) *Baduellus*, scio, nihil magis cuperet, sed fratres ignotum et tam procul remotum[4]) non eligent. Sed eo amoto, satis ad consultandum temporis dabitur. Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te gubernet ac tibi adsit. Uxori tuae et filiolae plurimam salutem. Genevae 15. Iunii 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Hallero et Tigurinis propediem scribam.

1206.

MINISTRORUM TURICENSIUM CONSILIUM.

An liceat homini christiano simulare assensum falsae doctrinae et superstitionum, quas tamen animus damnat.

(Edidimus ex impresso Opp. Tom. VI. pag. 641. Incipit a verbis: *Quum solutio quaestionum omnium* caett. et datum est d. 17. Iunii 1549.)

1207.

CALVINUS HANNAE SEYMOUR.

Petit ut interpres sit grati ipsius animi apud matrem a qua annulum dono acceperat, simulque virtutes eius et pietatem evangelicam laudat.

(Autographon non vidimus. Exemplaria ad manus fuerunt in Cod. Genev. 107[a], fol. 12. Cod. 111, fol. 228 v. Bernense Epp. VII. 1035. Simleri Vol. 70. — Edita est in Epp. Tigur. p. 455. Anglice versa in Edit. societ. Parkeriana III. 702 et in Edit. Edinb. II. 222.)

Nobilissimae ac summae indolis puellae Dominae Hannae Angliae Proregis filiae primogenitae Dominae in primis honorandae.

Quod mihi nuper illustrissima princeps mater

---

4) *An illum de quo Calvinus in sequenti?*

1205. 1) *An illum Paterniacensem de quo Viretus in praecedenti?*

2) *Qui cum Calvino exsequutor fuit testamenti Davidis de Busanton. Videntur pecuniam pauperibus destinatam non in foenore posuisse, sed ipsum caput paullatim erogasse.*

3) *Erat professor philosophiae.* (*Ruchat* IV. 436.)

4) *Hoc sane ad Nemausense domicilium spectare videtur.* (*N.* 1200 *not.* 3.) *Baduellus a.* 1552 *demum Genevam venit.*

tua [1]) annulum dono miserit, suae erga me benevolentiae symbolum [2]), idque fecerit nullo meo merito provocata, nullum gratitudinis signum dare, meam saltem observantiam testando, valde absurdum foret. At rursum quum mihi lingua desit qua debito hoc officii genere apud eam defungar, mihi nihil aptius visum est, quam si te mihi in subsidium advocarem, nobilissima Domina, et virtute tua non minus quam genere illustris. Nam quum prae aliis omnibus idonea apud matrem interpres futura sis, hoc quoque obsequium pro eximia tua pietate libenter deferes, praesertim quod ei non ingratum fore iam, nisi fallor, persuasum habes. Sic enim audio, quam amico in me animo esset, te ex eius sermonibus intellexisse. Quod si quid etiam apud te preces meae valent, summopere te rogatam velim ut humilem illi salutationem a me cum omnibus obsequiis offerre ne graveris, saltem ut intelligat se munus illud, quo me dignata est, non apud ingratum hominem collocasse. Porro mihi apud te eo plus fiduciae sumere ausus sum, quod non ingenuis modo disciplinis excultam esse intellexi, (quod in huius loci et generis puella singulare est) sed ita in Christi quoque doctrina esse eruditam, ut facilem eius ministris aditum praebeas. E quorum numero me unum esse, nisi fallor, agnoscis. Superest ut te ad persequendum adeo felicem cursum exhorter. Tametsi enim satis, ut audio, es voluntaria et Dominum, qui hunc animum dedit, constantiam quoque ut ad extremum usque perseveres daturum spero: quia tamen inter tot mundi obstacula et remoras, deinde in tanta carnis nostrae infirmitate nunquam supervacui sunt stimuli, exhortationem meam boni consules. Certe inter tot eximia dona quibus te praeditam esse atque ornatam voluit Dominus, hoc facile primum est quod tibi a tenera pueritia manum porrexit ut ad filium suum, autorem aeternae salutis bonorumque omnium fontem adduceret. Quo maiori studio te eniti decet ut vocantem alacriter sequaris, praesertim quum ea adminicula simul addiderit, quibus non principum modo filias sed principes quoque ipsos saepe destitui videmus. Fratri, heroicae indolis puero, et nobilissimis sororibus salutem. Dominus sua indies benedictione vos augeat, seque vobis perpetuum ducem toto vitae decursu praestet. Vale, praestantissima Domina et mihi colendissima. Genevae 15. calendas Iulii 1549.

Ioannes Calvinus
vere tuus, et paratus ad
tibi obsequendum.

1207. 1) *Lady Anna Stanhope uxor Eduardi Seymour ducis Somerseti, post cuius dimissionem ipsa per biennium fere et ultra supplicium mariti in carcere retenta fuit. Eius filia Ioanna Seymour appellatur apud Hume, history of England. Cap.* 23. *Duxit eam a.* 1550 *Lord Dudley, filius Comitis de Warwick (qui alias acerrimus fuit Protectoris aemulus et inimicus) quo tempore inter dissidia publica et privata utriusque patres aliquantisper reconciliati erant.*

2) *De hoc annulo cf. quae scribit ad Farellum N.* 1223.

1208.

VIRETUS FARELLO.

Felicem ei peregrinationem gratulatur, Hallerum laudat, firmam futuram sperat concordiam.

(Excerptum ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium Epp. Vireti fascic. III. N. 10.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Optime spero de *Hallero*, et indies magis atque magis nobis suam pietatem testatam facit, fidem, candorem, et quo nos prosequitur amorem. Laetum nobis omnibus nuncium attulit de vestra peregrinatione *Calvinus*. Est et Bernensibus vehementer grata. Scripsit ad me diligenter de ea re *Hallerus*. [1]) Undique affulget spes optima concordiae. Aspiret Dominus tam felicibus coeptis. — — — — — — Lausannae 19. Iunii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1209.

VIRETUS CALVINO.

Denuo urgeri iubet Budaeum ut munus Lausannense acceptet. Mittit libellum de Spierae historia et obiter nonnulla addit de Zebedaeo et Beza.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 176.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino
Genevae.

S. Si venturi sunt *Budaei* urge, obsecro, adventum, ut antequam conveniat classis habeam quod certo promittere fratribus possim. Quod si per negotia venire prohibentur, fac tamen me de eorum

1208. 1) *Ad Bullingerum nuper et mox infra aliter (N.* 1204. 1215). *Ubinam sincerius et sine fuco, tu facile perspicies.*

voluntate certiorem. Si recuset *Ludovicus*, videat ne ei Dominus irascatur. Conditio est non aspernanda si fructum respiciat, non quem ipse reportare potest, sed ecclesia. Da igitur operam ut intelligamus hanc rem tibi curae fuisse. Nisi venerint, aut tu scripseris ante proximum diem Martis [1]), nimis longa erit mora.

Mitto ad te libellum qui historiam continet Itali illius hominis desperati [2]), quem reliquit Biturícensis quidam apud *Marloratum* [3]), qui unum tibi similem reddidit. Is dixit sibi fuisse commissum ut hunc apud te relinqueret asservandum ei mercatori qui alterum ad te miserat.

Historiam tragoediae pyrrhicae [4]) audies ab his tabellariis. Nostri te omnes salutant, nominatim collega et mea uxor. Dolet mihi *Bezae* casus, sed Dominus aderit. [5]) Ei et reliquis amicis salutem dices meo nomine. Vale. Lausannae 20. Iunii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1210.

MUSCULUS BULLINGERO.

Consensionem sacramentariam ipsam quidem probat, evulgari tamen non vult.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. C. Epp. Tom. II. nunc Plut. VI. Vol. 117b, fol. 250. — Simler. Vol. 70.)

Clarissimo theologo M. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori vigilantissimo domino ac fratri in Christo carissimo.

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

De conciliatione inter vos istic et *Calvinum* ac *Farellum* constituta feci quod petis. [1]) Quum primum legeretur in conventu fratrum, non mihi modo sed et aliis videbatur hoc scriptum longius petitum habere principium, ideoque obscurius quam quod rudioribus probari posset. Sic, inquam, videbatur, quum primum legeretur. Lectum est autem obiter ac semel tantum, nec posthac in manu mea fuit. Sententia non improbabatur a quoquam, mihi maxime probabatur. Haec ut acciderunt ad te simpliciter scripsi. [2]) Nunc, quoniam sic voluisti, resumpsi [3]) hasce concordiae formulas et singulas diligenter inspexi. Et quo magis eas ac propius intueor, hoc magis Deo gratias ago quod hoc pacto dedit simultatem illam e medio tolli, quae sinistrae suspicionis interventu et hominum inquietorum studio fuerat oborta. Sciebam antea nihil dissensionis in hac sententia esse in cordibus vestris utrinque, modo de formulis loquendi certi aliquid statui posset. Facile cogitabam quae utrique parti obstarent remorae. Verum beneficio Domini sublatum esse video quidquid speratam hanc conciliationem, imo verius declarationem, impedivit hactenus. Nihil est itaque quod in hoc scripto vel mutatum, vel additum, vel sublatum velim. Et huius meae sententiae testimonium habes hoc meum chirographum. Quod vero publicationem scripti huius concernit, ut ingenue dicam, arbitror non esse praeter rationem factum quod fratres hic in illam aegre consentiunt, a quibus me seiungere non convenit. Cogitant illi etiam atque etiam cavendum, ne quid huic ecclesiae offundatur, cuius novitate nova excitetur commotio, idque inter eos quorum animi vix aliquantulum post praecedentem perturbationem consederunt. Ego, ut homo peregrinus, et morum huius gentis adhuc ignarus, ubi huiusmodi causas audio, quid possum aliud quam ut illis credam qui se ingenia sui magistratus et populi ad unguem tenere dicunt? Et tu ipse, quum huc Bernam migraturus essem, monebas ut me fratribus istis et ministris huius ecclesiae coniungerem: id quod et diligenter facio, facturusque sum quoad eius ad conservandam veritatem et ecclesiae pacem fieri potest. Haec ad te tanquam fratrem amicissimum et prudentem ecclesiae Dei ministrum scribo. Communes vestrae literae, quibus nostris respondetis, nondum sunt in conventu lectae, ut nondum scire liceat quid sint effecturae. — — — — — — — Bernae 21. Iunii 1549.

W. Musculus
tuus in Domino.

1209. 1) 25. *Iunii.*

2) *De Franc. Spiera v. Prolegg. Opp.* IX. *p.* 70. *Ibi docuimus plures exstitisse de eo relationes ante eas quibus praemissa fuit Calvini praefatio editiones. Quam hic Viretus Nostro mittat haud facile definire aliquis praesumpserit; posset tamen illa ipsa esse quam ap. Gerardum a.* 1550 *denuo edidit; Mox* (*N.* 1222) *videbis aliam a Socino missam. De editione illa locupletiore quam l. c. laudavimus adeas Gesnerum in sua Bibliotheca ed. Simler. et Mus. Helvet. part.* 25 *p.* 549, *ubi tamen falso annus libri natalis* 1549 *indicatur. Liber ex officina Oporini prodiit sine anno et loco, et certissime post editionem Genevensem ex qua Calvini praefatio descripta fuit.*

3) *Anno superiore minister creatus in vico Crissier.* (*N.* 1058 *not.* 4).

4) *Zebedaeus transferri noluisse videtur.*

5) *Quid haec sibi velint, nescimus. De adversa valetudine cuiusvis generis aliter loquutus fuisset.*

1210. 1) *Musculum interpellasse videtur Bullingerus de commendanda Bernensibus nova formula, postquam Hallerum minus fervidum expertus fuit.*

2) *N.* 1199.

3) *Scilicet fere invitus et urgente Bullingero, quum rem iam ad acta relatam crediderit.*

1211.

CALVINUS BULLINGERO.

Lausanennses et Genevenses declarationem consensus gratulabundi exceperunt. Ipse tamen iam nonnulla corrigenda proponit.

(Duo contulimus exemplaria authentica: alterum Calvini manu scriptum, quod autor sibi servasse putandus est, in Cod. Genev. 107a fol. 13, in cuius margine notatum est: *Haec ita reposita inveniuntur in Consensione edita ut hoc scriptum edi non expediat;* alterum calligraphi manu exaratum et cum inscriptione et subscriptione autoris manu propria Turicum missum, quod ibi hodieque exstat in Archivis Plut. VI. vol. 105 fol. 407 olim Scrin. B. Epp. Tom. I. Habent praeterea Turretinus Cod. Genev. 111, fol. 229, Bernenses Epp. T. VII. p. 1037 et Simlerus Vol. 70. Ex Bernensi exemplari edidit Hundeshagen p. 389.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae pastori symmystae et fratri colendissimo.

S. Domum reversus nullas abs te vel a *Laelio* literas inveni, sed *Laelii* non multo post sequutae sunt[1]). Tuas vero mihi unus ex regiis legatis[2]) die Iunii 17 obtulit et quidem resignatas. Hanc se licentiam sumpsisse pro iure[3]) veteris nostrae amicitiae causatus est. Factum eius, qualecunque esset, non miratus sum. Nobis interea cavendum ne in tales manus incidant nostrae literae. Scriptum quod a vobis retulimus fratribus legi summa omnium gratulatione. Lausanna quoque transiens *Vireto* et collegis non modo recitaveram sed describendum permiseram. Omnes non levi gaudio affecti certatim gratias Deo egerunt. Quidam tamen monuerunt, si quando in publicum exiret, pauca desiderari posse, quae si adderentur aliquid lucis et simul gratiae accederet.

Primum, ubi dicimus Christum in carne sua considerandum esse sacerdotem, regem etc., tum continuo post subiicimus: *Haec spiritualis est communicatio*, hoc certe nimis est abruptum. Corrigi autem facile vitium posset hanc sententiam inserendo: „Porro, ut se nobis talem exhibeat Christus ac eiusmodi in nobis effectus proferat, unum cum ipso nos effici et in eius corpus coalescere oportet, quia non aliter vitam in nos suam diffundit, nisi dum caput nostrum est, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram cuiusque membri augmentum corporis facit.“ In his verbis scio nihil esse quod non vobis arrideat. Et omnino tale aliquid texendae orationi necessarium est.

In sexto capite, ubi habetur: *simulque pro his beneficiis olim in cruce exhibitis, fide vero perceptis a nobis* etc. postea animadverti orationem alioqui nonnihil asperam mitigari hoc modo posse: *et quae quotidie fide percipimus.* Ita et sensus erit plenior.

Post caput decimum octavum, ubi figurate exponimus coenae verba: Hoc et corpus meum, hic est sanguis meus, cogitavi non intempestivum fore, si obviam iretur quorundam dubitationi. Erunt enim procul dubio boni quidam viri quos male habebit nullam fieri rei mentionem, ubi signum duntaxat nominatur, praesertim quum in toto scripto verbum de carnis manducatione non fiat. Sicuti autem nimium cauti esse non possumus, ne quid crassis opinionibus affine verba nostra redoleant, ita rursus studendum est ne homines moderati recteque sentientes minus quam quod satis est reperiant. Atqui non difficilis esset satisfaciendi ratio, si qua talis expositio adderetur: Quod autem carnis suae esu et sanguinis potione quae hic figurantur Christus animas nostras per fidem spiritus sui virtute pascit, id non perinde accipiendum quasi aliqua fieret substantiae vel commixtio vel transfusio, sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata et ex sanguine in expiationem effuso vitam hauriamus.

Hic quoque nihil puto contineri quod aut vobis displiceat, aut aliis suspectum esse possit, aut denique calumniae futurum sit obnoxium. Quod si omittatur, audientur multorum querimoniae, praeteritum fuisse quod maxime ad rem pertinebat. Nec deerunt qui astute id factum esse obstrepant. Qui vero minus erunt iniqui et maligni interpretes, data opera nos dissimulasse suspicabuntur, quia inter nos male conveniret. Ad haec in multorum animis scrupulus de modo et ratione manducationis haerebit. Nemo festinationi ignoscet, quia et in re tanta maturitatem omnes requirent, et vix ullis persuadebitur nos adeo properasse.

Atque haec quidem familiariter eo consilio afferuntur a me, ut dum res adhuc est integra cum fratribus nostris consultes quidnam magis expediat. Interea, si nihil mutandum vel addendum censueritis, nullam in nobis subscribendi moram fore spondeo. Quanquam non adeo forte in praesentia de hac re laborandum est, quando fratres nostri Bernenses a publicatione abhorrent. Nisi tandem aliorum exemplo flexi in diversam sententiam concedent. Sane rationes quibus impediuntur videntur mihi parum firmae. Neque enim dissensionem inter nos hactenus fuisse profitemur, neque improbis maledicendi ansam praebemus, quasi praesentium turbarum metu amoliamur a nobis invidiam. Nihil istorum dici poterit, quin potius erigentur bonorum animi nostro consensu ad frangendos impios. Mul-

---

1211. 1) *N.* 1191.

2) *Qui fuerunt DD. de Mesnaige et de Liancourt. Qui tum in Helvetia agebant cum pagis de foedere gallico* (*N.* 1187). *Utrum significet incertum.*

3) prosperae *H.*

tum nostra in his turbulentis temporibus constantia et libertas valebit. Pie et recte nos sentire intelligent quiqui secus fuerunt antehac persuasi. Plurimi, qui hodie suspensi haerent, habebunt in quo acquiescant: qui in longinquis regionibus a vobis sunt alieni, brevi, ut spero, manus protendent. Denique, quidquid acciderit, habebit posteritas fidei nostrae testimonium quale ex contentiosis disputationibus colligi non posset. Sed hoc Deo gubernandum relinquo, cuius gratiae te cum tua familia, adeoque totam ecclesiam vestram commendo. Vale, ornatissime vir et frater plurimum in Domino colende. Saluta quaeso diligenter D. *Theodorum,*[4]) *Pellicanum, Gualterum* et reliquos collegas meo nomine. Tibi quoque et illis fratres mei multam salutem precantur. Genevae 6. Calend. Iulii[5]) 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1212.

CALVINUS SOCINO.

Respondet ad Socini quaestiones nuper propositas de matrimonio cum muliere a sacris pontificiis non abstinente, de baptismo papali modo administrato, de participatione cultus superstitiosi, de carnis resurrectione.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 84, Laus. p. 192, Hanov. p. 215, Chouet p. 112, Amst. p. 51.)

Literas tuas paucis post reditum meum diebus accepi. Ex eo tempore catarrhus mihi valde fuit infestus: necdum molestiam exhibere desinit.

Ut breviter ad quaestiones tuas respondeam: Quum uxor non alia lege ducenda sit homini christiano, nisi ut se illi ad omnia piae vitae officia adiutricem praestet ac sociam, ubi ab hoc scopo vel minimum aberratur, non dubito quin vitiosum sit coniugium. Is porro qui uxorem ducit impiis papatus superstitionibus adhuc implicitam, quid aliud quam profanationem in domum suam inducit? Nam si corpus viri est uxor, excusari certe non potest, qui mulieri se adiungit quotidie ad perversos cultus se prostituenti, ut ipse quodammodo dimidia sui parte inquinetur. Supersedeo dicere, quod si quis talem ducat uxorem, consecrare magicis auspiciis nuptias cogetur. Caeterum puellam alioqui recte sentientem, quae tamen carnis metu in idololatriae simulatione detinetur, prorsus cum religionis hoste conferre non ausim. Quanto enim quisque est alienior a Christo, ab eo nos quoque magis abhorrere decet. Quam autem mihi describis, certum est a professis hostibus longo intervallo distare.

Qui ad baptismum papalem tot pravis superstitionibus foedatum liberos suos offert, culpa non vacat. Atque id, ni fallor, inter incommoda recito, quibus pii homines stimulari debent ad migrandum. At *Melanchthon* et *Martyr* non prohibent: modo detestetur ille quisquis erit, quae pugnant cum Christi institutione. In eo nihil esset absurdi, nisi quod ad certam mortem paratum esse oportet, qui hoc audebit. Et tamen sic eorum quos nominas, responsa probo, ut in singulis partibus non subscribam. Lusoriam baptismi imitationem pro mero ludibrio, ut est, habendam censeo. Baptismus tamen papistarum, utcunque mille ludibriis scateat, efficaciam suam retinet: quatenus in hunc finem administratur, ut ex Christi mandato recipiant fidelium liberi signum adoptionis. Video enim circumcisionem multis superstitionibus vitiatam, nihilominus pro gratiae symbolo habitam fuisse. Quod obiicis, in conventu piorum debere baptismum celebrari, non obstat quominus in idololatrarum coetu administratus valeat. Nam quum docemus quid fieri deceat, ut purus sit baptismus, omnique inquinamento vacuus, non abolemus Dei institutionem, etiamsi eam idololatrae corrumpant. Porro inter illas papalis baptismi corruptelas manet aliquid Dei proprium. Deinde sic papistis detrahimus ecclesiae nomen, ut tamen illic quasdam manere reliquias ecclesiae non negemus. Certe quum Iosias et Ezechias ex toto Israele colligerent qui defecerant a Domino, ad alteram circumcisionem eos minime vocarunt. Et quum templum ipsum variis sacrilegiis pollutum foret, circumcisio tamen valere non desiit. Ergo utcunque peccare eos dicam, qui illic suos liberos ad baptismum offerunt: non tamen baptismum protinus nullum esse sentio, in quo nota aliqua divinae institutionis, etsi multis alioqui maculis foedata, apparet.

Qui ab externa idololatriae professione non abstinent, non audeo simpliciter damnare, etiamsi fidem suam dissimulent periculorum metu. Nam quum videamus pios qui inter persequutiones latuerunt, probatos fuisse Deo, plus a nobis exigi fas non est. Neque tamen is sum qui torpori eorum indulgeam. Quin potius hortabor, ut in omnes profitendae suae fidei occasiones intenti sint: neque impiorum apertas in Deum blasphemias sic taciti audiant, ut annuere videantur. Legem tamen imponere non audeo, quatenus progredi necesse habeant. Qui vero interim dum sacra peraguntur, in templis animi gratia obambulant, quoscunque praetextus obtendant, nullam excusationem merentur. Praeterquam enim quod ipsa delectatio, quam ex tali spectaculo capiunt, parum eos Dei probris af-

4) *Hunc* (*Bibliandrum*) *om. H.*

5) *Bernenses pro more om. Calendas, et sic qui ab iis pendent S. et H.*

fici ostendit: in hanc offensionem temere incurrunt apud multos, quasi religionis potius quam superstitionis contemptu id faciant. Quare hanc licentiam merito improbo, quae quum a simulatione idololatriae non multum distat, tum profanum nescio quid magis quam christianum sapit.

Ultima quaestio [1]) de carnis resurrectione quam tibi a me expediri tantopere desideras, etsi apud me non multum habeat difficultatis, plus tamen temporis et operae requirit. Colligendi enim et accurate explicandi essent plurimi scripturae loci qui ad eam rem pertinent, si argumentum penitus excutiendum susciperem. Ego vero non tam vitandi laboris causa, quam quod curiosa magis quam utilis haec quaestio videtur, brevitate ipsa testari malo, nihil magis quam sobriam eius tractationem placere. Manichaeorum delirium refutandum obiter: qui carnem resurrecturam negant, quia immunda est. Quod res tibi incredibilis videtur huius carnis resurrectio, nihil mirum. Quod autem hac ratione permotus sufficere statuis, si credas novis corporibus aliquando nos esse induendos, hoc a scripturae doctrina est alienum. Principio vox ipsa resurrectionis, praesertim quum carni adscribitur, aliud sonat. Haec enim est promissio: Qui suscitavit Christum a morte, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter spiritum Christi in vobis habitantem (Rom. 8, 11). Sic alibi: Reformabit Christus abiectum corpus nostrum, ut fiat conforme corpori suo glorioso (Philip. 3, 21). Certe his corporibus nunc putredini obnoxiis, nominatim promittitur immortalitas. Frigidae sunt voces istae: corruptibile hoc induet incorruptionem. Non posset expressius loqui, inquit Tertullianus, nisi cutem suam manibus teneret. Argumentum a contrariis: Si mors huius carnis ab Adam, ergo eiusdem carnis resurrectio a Christo, quia nos a corruptione instaurat. Citandus Ezechielis locus (c. 37), qui continet resurrectionis typum. Occidit Deus et vivificat: quid, nisi quod erat mortuum? Quod rident Athenienses resurrectionem a Paulo praedicatam, hinc colligimus qualis fuerit praedicatio. Risus ille sanae intelligentiae confirmatio est piis. Metuite eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna. Quod corpus? Nempe quod occidunt tyranni. Ab usu sacramentorum rite probatur carnis resurrectio. Baptismus non animam tantum, sed carnem quoque sanctificat. Coenae participatio ad coelestis vitae fiduciam nos invitans, ad sensus etiam corporales dirigitur. Locus ex 8. ad Rom. capite conveniet, praecipue ubi loquitur de redemptione corporis. Mortificationem Christi circumferentes, ut et vita Christi in corpore nostro manifestetur (2 Cor. 4, 10). Tertullianus: Arrhabonem resurrectionis nostrae in coelum vexit. Ergo negent eum in coelo esse, qui nos resurrecturos negant. Nisi nos corpore suscitat Deus mortuos non suscitat. Enoch et Eliam corpore et anima servatos, vocat Tertullianus candidatos futurae immortalitatis. Deinde fideles non tantum vocantur Dei templa, sed hoc honore eorum corpora insigniuntur (1 Cor. 6, 19). Similiter dicuntur et membra Christi. Porro templa spiritus et membra Christi sine spe instaurationis in putredinem abire, nimis absurdum est. Quin etiam eodem loco satis declarat Paulus haec esse corpora, quibus coelestem aeternamque gloriam destinavit Deus. Praeterea citantur homines ad tribunal Christi, ut referat quisque secundum ea quae per corpus gessit (2 Cor. 5, 10). Atqui minime convenit rependi nobis in adventitiis corporibus praemium operum, quibus peragendis haec quae nunc gestamus fuerunt instrumenta. Pauli scilicet corpus in quo illustratum fuit Dei nomen (Philip. 1, 20), honore privabitur, et corpus aliunde conflatum martyrii gloria coronabitur? Huc accedit quod Christus, in quo non vivam modo imaginem habemus futurae nostrae resurrectionis, sed etiam pignus, corpus quod exuerat resumpsit. Ad hoc exemplar conformari nos oportet. Alioqui non diceretur proprie, sicuti dicitur, primitiae resurgentium (1 Cor. 15, 20). Et certe quos superstites inveniet dies ille, subita immutatione in iisdem corporibus resurgent. Si diversam esse nostri rationem excipias, illud Pauli tibi regero: Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur (1 Cor. 15, 51). Si in omnes competit immutatio, certe haec ipsa caro renovabitur. Et quid clarius his verbis desideres? Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem (ib. v. 53). Neque repugnat, quod aliam fore carnem ibidem Paulus docet: ad qualitatem enim hoc refert. Neque aliud sibi vult, quam quod aliis verbis postea tradit: ut absorbeatur quod mortale est a vita. Ideo dicuntur corpora sanctorum e sepulcris resurrexisse (Mat. 27, 52). Quo modo illi exierunt e monumentis, nos quoque procul dubio Dominus educet. Itaque Isaias (26, 19) quum sub resurrectionis imagine populi restitutionem depingit: Surgite, inquit, habitatores pulveris. Neque aliter Christus: Mortui qui in sepulcris sunt, vocem filii Dei audient. (Ioann. 5, 28). Quod non staret, nisi receptis cadaveribus resurgerent. Quod etiam exprimit illic Isaias, quum dicit: Vivent mortui tui, cadaver meum resurget. Unde et dormitionis nomen fluxit: quod significatione careret, nisi veluti e somno corpora expergefiant. Falsum enim est, quae humo conduntur corpora dormire, si nova illis consumptis creanda sunt. Quin etiam si corpora quibus nunc circumdamur non resurgunt, superstitiosus fuit ab initio mundi sepeliendi ritus: quem tamen

---

1112. 1) *Haec in epistola Socini N.* 1191 *non attingebatur alia ergo occasione proposita fuisse videtur, v. infra 7 Dec.*

divinitus fuisse traditum extra controversiam esse debet, ut symbolum esset futurae resurrectionis. Et sane si creatio novi corporis speranda foret, non huius quod nunc incolimus instauratio: frustra optaret Paulus, ut spiritus et anima ac corpus inculpata sint in diem Domini (1 Thess. 5, 23). Eodem et altera exhortatio pertinet, ut nos mundemus ab omni inquinamento carnis et spiritus (2 Cor. 7, 1). Nam si haec caro peccati sordibus inquinatur, sordium suarum poenam sustineat necesse est. His testimoniis sic acquiesco, ut diversis cogitationibus ad quatiendam fidem meam aditus non pateat.

Atque haec tibi satisfactura spero, nisi mentem tuam nimis occupatam reperiant: quod et a pietate et modestia tua procul abest. Sed tamen leniter pro nostra amicitia monendum te censui, quia nuper, quum te audirem, subverebar, ne altiores apud te radices egisset haec opinio, quam ut facile eam abiiceres. Caeterum ingenii tui dexteritate confisus, ea digito monstrare satis habui, quae apud hominem minus acutum aut exercitatum ulterius prosequutus essem. Vale, eximie vir et frater mihi in Christo Domino carissime. Saluta meo nomine diligenter hospitem tuum D. *Pellicanum* et reliquos. Dominus Iesus tibi semper adsit, teque spiritu suo gubernet. [2])

1213.

SULZERUS MARBACHIO.

Mittit ei literas Calvini et alias Antwerpiam transferendas.

(Describimus hanc epistolam ex volumine haud frequenter occurrente cui titulus paulo longior hic est: *Historiae ecclesiasticae saeculi XVI. supplementum plurimorum et celeberrimorum ex illo aevo theologorum epistolis ad Ioannem, Erasmum et Philippum Marbachios antehac scriptis nunc vero ex bibliotheca Marbachiana primum depromptis constans cett. ed. Io. Fecht. Francf. et Durlach* 1684. 4. Insigne volumen maxime propter apparatum chronologicum et biographicum plurimorum virorum epistolarum scriptorum utile. Hic haec nostra legitur Part. I. p. 10.)

S. Dederat in mandatis nuper discedens a nobis Polonus nobilis [1]), ut si quid vel literarum vel aliarum rerum ad illum perferri vellem, ad te, vir ornatissime, recta transmitterem. Te enim pro sua [2]) erga ipsum fide et benevolentia diligenter certoque curaturum esse. Mitto ergo fasciculum librorum quorundam cum literis *Calvini* et meis, quem rogo deferri cures Antwerpiam. Suscepit eam provinciam non gravatim Flandrus nobilis, qui nuper coram nobis significavit, illuc sibi profectionem institutam esse, cui et literas ad ipsum *Calvini* commiseram, et diebus apud vos aliquot haesurum.

Ministerium tuum salvum esse gaudeo [3]) idque eo vehementius, quia id sincerum et incorruptum perdurare intelligo. Christi virtute, tuum [4]) precor ex animo ut te ad sui nominis gloriam servet et provehat. Sic enim opus est, adeo in caducum parietem inclinante ecclesiastico statu. Rogo autem, si per occupationes licebit, aliquando ad me scribas. Cupio enim communionem ministerii tecum inire et retinere [5]), sicut discedens etiam D. *Bucerus*, praeceptor noster, commendaverat diligenter. Nunc pluribus non possum: quare vale, vir ornatissime, et nos ama. Basileae 26. Iunii anno 49. Salutat te reverenter et officiose D. *Myconius* et reliqui symmystae.

T. Simon Sulzerus.

1214.

MINISTRI BERNENSES TURICENSIBUS.

Iterum rogati ut consensioni de re sacramentaria adstipulentur et subscribant, illud candide profitentur hoc negant.

(Ex autographo Halleri in Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 404. — Simleri Vol. 70.)

Praestantissimis viris et fidelissimis Christi et ecclesiae ministris pastoribus et lectoribus ecclesiae Tigurinae fratribus et symmystis venerandis et carissimis.

Salus ab eo qui salus nostra est etc. Quamvis superioribus diebus [1]) nostram declaraverimus sententiam, sicut a vobis requisiti eramus, colendissimi

2) *Quum Calvinus Nonis Iuniis Genevam rediisset et paucis diebus post Socini epistolam accepisse dicat, patet hanc non ante medium mensem scribi potuisse. Iam quum d.* 26 *Iunii literas ad Bullingerum dederit, eadem occasione Socino scripsisse non a vero absimile videbitur. Quod d.* 8 *Iulii Socinus Calvini responsum nondum acceperat* (*N.* 1221) *hoc nullo negotio expedietur, si consideraveris eum per aliquot dies Turico relicto Basileam se contulisse.*

1213. 1) *Susliga puta, de quo supra N.* 1192 (*et* 1195). *Unde et sequentia illustrari possunt.*

2) *sic. Lege:* tua.

3) *Eo tempore usque agebatur inter senatum et episcopum de rebus ecclesiasticis ad mentem Interim conformandis. Mense demum Octobre de pactione quadam inter eos convenit* (*Salig*, I. 593).

4) *sic. Lege:* intelligo, Christi virtute. Tum *caett.*

5) *Sulzerus dudum lutheranizabat: Marbachius Bucero eiecto mox primas tenens civitatem totam in eadem castra deduxit.*

1214. 1) *N.* 1197.

et venerandi fratres, super scripto illo quod ad nos misistis de conciliatione vestra cum fratribus Genevensibus in materia sacramentorum, tamen quia nostro non contenti fuistis responso, et insuper flagitatis ut denuo nostram declaremus sententiam [2]), et libere atque mature eam vobis significemus, non possumus hoc vobis denegare, quos impense in Domino colimus et diligimus, ut coniunctissimos nostros et maxime necessarios fratres. Rogamus vero ut eam, quam et ipsi requiritis et nos praestamus, libertatem aequi bonique consulatis, expendentes quid nos moveat quod non possimus a priori scripto et sententia nostra divertere. Speraveratis (sicut vestra sonant verba) vos nobis longe gratius praestitisse officium quam nos vel agnoscere vel recipere videamur. Atqui, dilectissimi fratres, speraveramus et nos, non posse hoc vos ex nostris colligere literis, siquidem diserte testati sumus, nihil nos habere quod hic reprehendamus, sed videri omnia bene docte et christiane dici, maxime quum omnes excludantur errores, qui hactenus huic contentioni materiam suppeditasse visi sunt. Putamus nihil a nobis dici potuisse clarius. Adiecimus nos tam vobis quam illis de hac concordia gratulari. Declaravimus nunquam publicum inter nos et ecclesiam Gebennensem fuisse dissidium quod publicam mereatur reconciliationem. Et hoc ipsum adhuc disertis testamur verbis, et confitemur nihil nos habere quod in hac vestra declaratione reprehendamus aut traducamus. Nequaquam: sed optaremus omnes quod talis perpetuo fuisset eorum doctrina qui nunc in hanc declarationem discesserunt. Putamus nunquam tantum dissidium in nostris oriturum fuisse ecclesiis. Optamus ex toto corde ut sic pergant. Pergemus ita et nos. Diligemus ipsos. Si quid fuit obscuritatis in praefatione, satis id a vobis iam declaratum est in posteriori scripto: qua declaratione optime sumus contenti, et tanto magis erimus si et illi posthac tanta in docendo et scribendo luce utantur. Proinde nolumus videri ut qui a vobis hic dissidere aut nos ipsos separare velimus. Hoc tamen dicimus sicut et prius, attestante nostra conscientia, qua obstricti sumus ad invigilandum ecclesiis nostris passim per urbem et agrum, non videri nobis e re nostrarum fore ecclesiarum, si istaec vulgetur concordia. Habemus ministros passim magni numeri, inter eos diversa iudicia. Latent in illis adhuc scintillae dissidii et incendii veteris, quod mirum quam brevi exardesceret et recrudesceret, si ulla adhiberetur quantumvis exigua materia. Nihil tamen omnino hic volumus vobis praescribere. [3])

Requiritis nostram sententiam. Non vultis etiam ipsi nobis praescribere. Boni ergo consuletis nimirum, si eam vobis explicuerimus simpliciter et ex bona conscientia. Idem et vobis concedimus et amplectimur etiam ex animo vestram libertatem. Caeterum quod subscriptionem attinet, omnino illuc accedere non possumus. Non quod veritatis nos pudeat, quod non sufficiant ista nobis, sed quia hoc sine maximo ecclesiarum nostrarum motu fieri non posset. Libere loquimur vobis. D. *Calvinus* et *Farellus* plerisque senatoribus nostris et noti et suspecti sunt, et perniciosa moveretur camerina si quidquam hac de re ad senatum referremus. Proinde libentius volumus dissimulando prudenter pia concordia frui quam divulgando imprudenter pro concordia commutare discordiam maximam. Proinde, colendissimi fratres, quod vulgationem attinet, permittimus eam vestro arbitrio. Nolumus praescribere. Dicimus tamen pro ecclesiis nostris quid nobis videatur. Quod vero nostram attinet subscriptionem, scimus hoc sine magno reipublicae nostrae motu fieri non posse, et proinde rogamus ne nos violentius adigatis, sed perpendatis quod, quidquid agimus, non ex affectibus sed pro officio nostro, et cura quam ecclesiis nostris praecipue debemus, facimus. Subscripsimus semel omnes disputationi nostrae vestraeque confessioni editae contra *Lutherum*. Cui si subscribant alii, iam non opus erit ut novae subscribamus confessioni. Sed concorditer confitentes et docentes quod semel confessi sumus diligamus mutuo et serviamus Domino in finem usque. Valete, colendissimi fratres, et haec nostra eo quo a nobis scribuntur animo suscipite. Tribuimus vobis multum ut merito, et nullam habemus quam plus suspiciamus et veneremur ecclesiam, neque unquam a vobis separabimur. Non possumus tamen non nostrum in hac re declarare animum. Speramus candide vos interpretaturos singula. Valete denuo et Dominum pro nobis diligenter invocate. Faciemus idem pro vobis. Bernae 27. Iunii anno incarnationis Christi Iesu 1549.

Ioannes Hallerus

suo omniumque symmystarum pastorum et lectorum in ecclesia Bernensi nomine subscripsit.

2) *Bullingerus fortasse speraverat fore ut in quibusdam facta concessione aliqua Bernenses se permoveri paterentur ut calculum suum publica declaratione adderent.* (*N.* 1210.)

3) *Hactenus ergo nequaquam a priore sententia recedunt, ut iam vulgari a Turicensibus formulam permittant, dummodo ipsi nullas in hac re partes agere cogantur, quod non nisi invito magistratu facere possent. Is enim in pristina sua formula utpote sufficienti persistendum putabat et nihil ultra novi sanciendum.* (*Cf. Hess., Bullinger* II. 17. *Hundeshagen p.* 251. *Pestalozzi, Bullinger p.* 384, *et epp. proxime sequentes.*)

1215.

HALLER AN BULLINGER.

Noch einmal privatim über den Zürcher Consens, und Rechtfertigung der gemeinschaftlichen Antwort der Berner. Die Angelegenheit des Zebedaeus.

(Aus dem Autograph im Zürcher Archiv, ehemals Kasten B. Epp. Tom. VIII. jetzt Gestell VI. Band 115, f. 2847 und bei Simler Vol. 70.)

Clarissimo praestantissimoque viro D. Heinrycho Bullingero fidelissimo Tigurinae ecclesiae pastori domino suo venerando et compatri carissimo.

— — — — — — — — — — — — — — —

So vil demnach belanget die Declaration vnd üwer lezstes schriben [1]) daruff, hand ir min gemüt in *Musculi* nechstem [2]) schriben verstanden, verstanden derglichen auch vsz dem gegenwertigen gemeinen schryben. [3]) Ich bin also gesinnet das wie mir bishar alweg die groben vnlydlichen irrthumen missfallen, also miszfalt mir auch vnd git mir hie nitt wenig zu schaffen (wie ich üch dik gschriben han) die gross groebe etlicher. [4]) etc. Dasz ich neisswas darin zů schälten oder auch zů verbessern hab, das hab ich mins theilss nitt: dasz ich mich aber koenne dahin lassen das ichs an min herren bring, kann ich auch nitt. Erkenn vnd dancks Gott vnd üch das jr so trülich gearbeitet vnd dises zwegen bracht: bin sin nitt numen wol zů friden, sonder überusz froo. Aber diewyl *Calvinus* vnd *Farellus* bisshar allen minen herrn bekannt, vnd suspect, wurde es mee vnruw vnd argwon bi inen bringen, so man etwas an sie bringen sölt, dann sonst. Zůdem sind wir auch hie nit all glich gesinnet wie ir wüssend, vnd so sich dann nun einige vnglichheit vnder uns befinden sölte werend wir nit numen dieses fridens vnd einikeit sonder auch aller hoffnung derselbigen beraubet. Es bewegt mich auch dasz wir viler seltzammer köpfen vff dem Land [*haben*] die man seltzam zien můss, von denen wir glich calumnirt vnd traducirt würdind.

Ich schick üch hiemit was mir *Zebedaeus* [5]) vnd auch *Nicolao* [6]) geschriben. Gschowend wie eben wir gan müssind mitt solchen lüthen, vnd deren ding ist bi vilen grosz. Darumm ob es schon vszgan söltte, do ich doch stets der meinung bin das es weger nit were, iedoch so es üch gfalt kan vnd wil ich nitt darwider: kan aber nitt sehen wie fruchtbar es bi vnseren Kilchen sye, deren ich dann sonderlich ampts halb acht haben sol. Ich hab hievon mit vilen trüwen redlichen brüdern ab dem land conferiert, denen es ein groszen freud bringt, sind aber der mertheil der meinung es were weger dieser zyt vnser vns behalten dann publiciert. Es ist auch vnser land nitt der wenigist teyl der kilchen in Eydgnossen darumm man ir denocht etwas rechnung haben sol. Die wunden die vnsere Kilch glitten [7]) ist noch nit gar zů gheilet, ist kein wunder so man schon zuckt wo mann nur ein wenig meint es möcht vns wider ein streich werden. Wiewol fürwar alle brüder gern sich der einikeit halten wend: so veer diszmal nüt an min herrn darvon bringen, deszglichen nitt vnderschriben das es getruckt werde. Sonst ist mann wol zůfriden. So viel von diesem in yl. — — — — — Bern den 27. Iuni 1549.

Ex animo tuus
Io. Hallerus.

1215. 1) *fehlt.*
2) *Welches der drei vorhandnen damit gemeint ist,* (1199. 1210. 1216) *ist nicht klar.*
3) *Das vorhergehende.*
4) *Kilchmeier's und etlicher Landcapitel, wie er selbst weiter unten sagt.*
5) *um gegen seine Versetzung zu remonstriren.*
6) *Artopoeo, dem Berner Professor, der dem Zebedaeus gleichgesinnt war.*
7) *Durch die Sulzer-Gerung'sche Geschichte.*

1216.

MUSCULUS BULLINGERO.

Denuo suam sententiam de eadem formula paucis exponit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 153, olim Scrin. B. Epp. Tom. 31, fol. 253. — Simler. Vol. 70.)

Praestantissimo theologo M. Heinrycho Bullingero domino ac fratri in Christo plurimum colendo

Tiguri.

S. D. Quae mea sit sententia de scripto conciliationis inter vos istic et D. *Calvinum* composito, *Bullingere* in Domino carissime, ante octiduum [1]) ad te per D. *Eberhardum* scripsi, ut nunc opus non sit quidquam de illo memorare. Animum meum nosti. Nihil magis in votis habeo quam ut omni simultate sublata veritas evangelii Dei sic Christi proponatur ecclesiis ut populus Dei aedificetur, et tandem scientiae Dei, quae satis magna postremis istis concessa est temporibus, timor ac reverentia Dei coniungatur. Quapropter admodum congratulor

1216. 1) *N.* 1210.

diligentiae tuae quam huc tendere video, ut controversia ista sacramentaria sublata animi ministrorum Christi arctius iungantur, et adversus improbissimum Satanam gregi Domini pascendo vigilantius incumbant. Quae ecclesiam hanc specialiter concernunt, inque illa vel ferenda vel tentanda sunt, illis committo quibus plus est autoritatis et experientiae. Ago hic homo advena, nihil aliud in usu habens quam ut in psalterio meo publicis lectionibus absolvendo pergam.[2]) Commendo me tuae fidei. Dominus rationem habeat ecclesiarum suarum. Si quid me vis, mone. Salutem omnibus tuis meo et meorum nomine, qui per gratiam Dei belle valere incipiunt. Salveant etiam domini ac fratres mei omnes. *Gervasium*[3]) quaeso mone ut aliquid saltem ad me scribat. Bernae 1549. 27. Iunii.

Heri annus fuit quo Augustam propter acceptatum Interim reliqui. Domino sit gratia qui adflictiones suorum tempori fluxo ac transitorio inclusit.

Wolfgangus Musculus
tuus in Domino.

1217.

ALTIERIUS[1]) BULLINGERO.

Rogat ut Calvini opuscula per Froschoverum ipsi mittantur.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VIII. Vol. 45, olim. Scrin. B. Epp. Tom. 43, fol. 168. — Simleri Vol. 70.)

— — — — — — — — — — — — — — —

D. *Hallerus* nomine meo petiit a *Calvino* aliquot exemplaria tam de Vitandis superstitionibus quam Contra iudiciariam astronomiam, de Interim, et quaedam alia. Et fortasse, sicuti mihi dixit, *Froschovero* vestro bibliopolae reddentur, et quum primum redierit *Laelius* curabis ut per ipsum ad me transmittantur, nunciando quantam pecuniam sim pro illis missurus — — — — — Ex itinere Italiam versus.[2])

2) *Olim Argentorati linguae hebraicae operam navaverat Capitone magistro usus, ipse sibi lexicon conscribens. Quae studia Augustae continuavit. Bernae* exorsus praelectiones suas a psalmo Davidis 104, quum priores Augustae enarrasset, tandem commentarios amplissimos in totum psalterium absolvit et edidit. (*Adami Vitae theol. p.* 184, *qui usus est vita ab Abr. Musculo Wolfgangi filio conscripta.*)

3) *Schulerus ob Interim Memmingam relinquere coactus Turicum se contulerat ubi usque ad a.* 1550 *remansit, postea Lenzburgi ministerio functus.* (*Vide Culmann, Gerv. Schuler et Pestalozzi, Bull. p.* 297.)

1217. 1) *De Altierio v. N.* 438. *M. Maio a.* 1549 *Helvetiam invisit ut a pagis protestantibus literas commendatitias ad senatum Venetum impetraret, quibus usus facilius evangelii causam in Italia promovere posse sperabat. Mense Iulio in Italiam reversus est. Obiit a.* 1550. *De eius exitu v. Meyer, Locarno* I. 465 *ss.*

1218.

CALVINUS VIRETO.

Disciplina in quosdam indignos ministros severius exercenda. Budaeus Lausannam ire recusat. Genevenses periculorum rumoribus territi. Vireti familiae instans incrementum. Opinionem suam de foedere gallico defendit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 14. Contulimus exemplar Turretini Cod. 111, fol. 230, Bernense Epp. VII. p. 1042 et Simleri Vol. 70.)

Praestantissimo Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Valde dolendum est in accusandis fratribus tam bonas subinde causas nos habere. Sed magis dolendum est sic praevalere Satanae artes ut etiam in illis vincamur saepius. In *Fortunato*[1]) perstringere expediet superiorum temporum indulgentiam, qua factum est ut peccare non desierit. Id forte adversus *Nicolaum*[2]) aliquid valebit, quem tanto flagitio foedatum retinere in ministerio turpe erit, nisi rite se purget. Huc accedit ebrietas, et alia quae mihi iam ante biennium toleranda non videbantur. *Zebedaeum* si praetereas tuo silentio, quasi praeiudicio quodam iuvabitur. Itaque omnino commemoranda censeo recentia eius facinora, et instandum ut suis reddatur. Illic enim aptam habebit suo malleo incudem. Tuam quoque privatam causam, si mihi credis, attingas, sed aliis negotiis confectis.

Budaeus nullam in praesentia spem nobis facit, quae vos remorari debeat. Constitui igitur intra triduum *Roberto*[3]) scribere, ut si quem noverit parem obeundae huic provinciae, hortetur ad nos vicendos, ut hic sit ante decimum diem Augusti.

2) *Epistolam m. Iunio exeunte vel primis diebus Iulii scriptam fuisse colliges ex Halleri verbis infra N.* 1224.

1218. 1) *N.* 1041.
2) *N.* 1188.
3) *Stephano Parisiensi.*

Nam si placuerit et fuerit electus, mensem facile impetrabit ad sarcinas colligendas. Tantum periculum est in hominibus ignotis, ut semper mihi credere quam aliis malim.

Hic nostri homines mire ineptiunt. Quotidie monentur ut sibi caveant, agant attentas excubias, quieti observent aliorum motus. Ipsi vero, quasi data opera repugnent sanis consiliis, per lusum puerilem et suam infirmitatem ludibrio exponunt, et hostes ad subitam incursionem alliciunt. Haec quae levicula in speciem videntur ita devoro, ut me propemodum strangulent. Nam mihi crede, ex eo sunt genere nugarum, quae non tantum ducunt seria, sed praeter spem tragica interdum excitant. Initiis iam percellor. Sunt ex Gallis qui aegre illuc trahuntur. Quasi rempublicam deseruissent, atroces in eos querimoniae iam in senatu auditae sunt. Ego sicut neminem dissuadeo, ita non sum importunus flagitator. Putabam me ad eorum insulsitates pridem occalluisse, sed magis ac magis earum me piget.

Filiolae condoleo.[4]) Verum sive frater illi nascetur sive soror, niuriam matris sepeliet. Et iam praecipuam ablactationis molestiam, ut spero, evasit. Optime vale, frater carissime, una cum uxore, symmystis et amicis omnibus. Miror nihil iam ab *Arenaeo.*[5]) Dominus vos omnes servet. Genevae 6. Iulii 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Quoniam variis sermonibus iter meum Tigurinum iactatur, mitto ad te epistolae exemplar,[6]) qua ingenue testatus sum quid de gallico foedere sentirem: ne si in aliquem incideris qui imbutus sit falsa opinione, tibi desit quod respondeas. Nolo tamen vulgari quae illic continentur. Et exemplar diligenter servabis ut mihi remittas. Neque enim perire volo.

1119.

UTENHOVIUS BULLINGERO.

Accepit exemplar declarationis Turicensis.

(Excerptum ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 164 olim Scrin. B. Epp. tom. 19 anglic. N. 5. — Simler Vol. 70. Edita est integra in Epp. Tigur. p. 379.)

4) *Ablactatae ob novam matris graviditatem.*
5) *Occurrebat is in epp. Balduini N.* 1189 *etc.*
6) *N.* 1187.

Et singulari pietate et omnimoda eruditione conspicuo viro D. Heynricho Bulingero fratri suo multo carissimo

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — —

Porro interea quod istinc decessi, accepi a D. *Calvino* scriptum illud suum de Eucharistia seu coena dominica[1]) quod is sponte sua ad me misit: quare non erit necesse ut aliud ipse transmittas. — — — — Argentorati[2]) 7. Iulii 1549.

Tuus ut suus
Io. Utenhovius.

1120.

MINISTRI TURICENSES CALVINO.

Rescribunt quid cum Bernensibus in negotio consensionis huc usque frustra actum sit, et suadent praefatione et epilogo resectis epistolas Calvini et ipsorum mutuas addi, qua ratione fortassis istis declaratio magis acceptabilis redderetur.

(Bis descripta exstat manu Bullingeri in Archivis Turicensibus. Alterum exemplar praemisso titulo: *Capita consensionis inter ministros Tigurinos et Calvinum*, reperies in Tomo 30 Epp. qui nunc asservatur in Plut. VI. Vol. 129, fol. 214 seqq. Cui subjectus est textus germanicus Consensus. Alterum in Tomo primo Epp. nunc Plut. VI. Vol. 105, fol. 409 cum textu Consensus latino. Simlerus habet Vol. 70. Nos excerpsimus Opp. T. VII. prolegg. p. 48.)

Non nostra quidem culpa factum est, *Calvine* colendissime et carissime in Domino frater, quod serius quam ipsi putaveramus ad te hasce damus literas. Semel et iterum scripsimus fratribus nostris Bernensis ecclesiae ministris, atque hi secundo nobis responderunt. Ita factum est ut tardius processerit negotium. Exposuimus illis diligenter quid inter te, *Farellum* et nos sit actum. Adiunximus expositioni scriptum, in quod ab utrisque est consensum. Postulavimus et illorum in hoc consensum, aut si grave sit consentire, causas recenseant ob quas dissentiant, aut si quid mutatum additum vel sublatum cupiant, significent. Responderunt illi amice et copiose, ac, ne omnia illorum comme-

1219. 1) *non impressum sed decriptum, quum id quam latissime spargi et recipi voluerit. Utenhovius sane cum Lasco et Bucero communicare debebat. Etiam Bullingerus de propagando consensu satagebat (Pestalozzi p.* 385).
2) *Anno ineunte Londini commorabatur quo mox rediit.*

moremus, visum est illis scriptum hoc nostrum longius petitum habere principium, ac conclusionem non admodum necessariam et proinde multis improbandam. In ipsis consensionis nostrae articulis nihil improbarunt. In publicationem vero aut subscriptionem nullo modo consenserunt. Ac post multas causas hanc maxime urgent: cavendum esse ne quid huic ecclesiae offundatur, cuius novitate nova excitatur commotio, idque inter eos quorum animi vix aliquantulum post proxime praecedentem perturbationem consederunt. Adiiciunt, non licere ipsis citra consensum magistratus in ullam publicationem consentire, ac in praesenti hoc non posse citra turbam atque motum magistratui proponi.

Iam vero non putamus consultum ut quidquam publicemus illis invitis et reclamantibus, ne, dum consensum communem omnibus declarare volumus, novam dissensionem aut simultates inter nos ipsos magna cum ecclesiarum perturbatione excitemus. Neque putamus te, frater, diversum a nobis sentire, quem sensimus hactenus paci et concordiae studere ex animo. Interim non videtur committendum ut consensio illa nostra vel lateat vel abeat in spongiam. Cogitamus itaque de alia forma qua publicetur, idque cum bona fratrum Bernensium gratia. Fortassis non erit his grave consentire in publicationem, si resecetur praefatio atque epilogus, si non fiant subscriptiones, si in locum praefationis tale quidpiam subiiciatur. Scribat *Calvinus* ad ministros Tigurinae ecclesiae epistolam in qua exponat, esse apud exteros quibus videatur *Calvini* doctrina de sacramentis non per omnia congruere cum doctrina ministrorum Tigurinae ecclesiae aliorumque per Helvetiam ministrorum: ea de causa te *Farello* comite Tigurum concessisse, ac contulisse nobiscum amicissime, iis maxime de capitibus de quibus quondam, non inter nos ipsos, sed inter nos et alios quosdam, quorum aliqui migrarunt ad Dominum, fuit controversum. In ea autem collatione, allatis et excussis utrinque sententiis nostris, deprehensum, nullam inter nos etiam hodie esse discordiam; sed quoniam multis e magna ecclesiarum utilitate futurum videatur, si etiam alii, illi inprimis qui nos dissidere arbitrantur, intelligant nos concordes esse in Domino, paratosque expositam illam veritatem et confiteri publice, et pro gratia nobis a Domino concessa iunctis copiis constanter defendere, conscripsisse te breve quodpiam compendium illorum duntaxat capitum de quibus fuit collatum inter nos et in quae utrinque consensum, atque illud ipsum eo potissimum consilio conscripsisse, ut aliis quoque communicari possit fratribus, nisi intelligas id nobis fore ingratum et adversum prorsus. Ad ista tua vero liceret respondere tibi in hanc fere formam: Agnoscere nos primum quidem consignata illa capita illa ipsa esse capita de quibus facta sit collatio: deinde agnoscere nos in illa capita consensum esse unanimiter ab utrisque, ideoque publicationem nobis non improbari, sed per nos quidem licere illa et aliis communicare fratribus, neque de aliis nos addubitare symmystis, ministris inquam ecclesiarum per Helvetiam, quin et ipsi haec sint approbaturi: praesertim quum ante multos annos habitae sint apud eos disputationes publicae, et exhibitae ab illis, nobis quoque non reclamantibus, fidei communis confessiones, cum quibus quum haec nostra faciant, istique illis suis inhaereant, non posse eos haec nostra non amplecti et approbare per omnia etc. [1])

Tuum ergo iam fuerit, *Calvine* frater dilectissime, nobis vel melius dare consilium, vel tuam scribere epistolam ad eam formam quam modo adumbravimus. Eam ubi miseris, praefigemus praefationis loco declarationi consensionis, et huic mox subiungemus, epilogi aut clausulae vice, nostram epistolam tuae respondentem ad eum modum quem modo delineavimus. Porro illam formam novam, aut si quid melius suggesseris, rursus mittemus fratribus Bernensibus, tentaturi si in hanc citra subscriptionem consentire possint. Quod si consenserint, mittemus eandem et aliarum ecclesiarum ministris. Postremo quid effecerimus tibi bona fide et mature significabimus. Vale, dilecte, frater. Salutabis D. *Farellum*, fratres quoque ac symmystas alios omnes. Tiguri Iulii 7. 1549.

Pastores et lectores
Tigurinae ecclesiae.

1221.

SOCINUS BULLINGERO.

Myconium Consensus formulam improbare nunciat.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115 olim Epp. VIII. p. 2840. — Simler. Vol. 70.)

Doctrina et pietate clarissimo viro et D. Henrico Bullingero apud Tigurinos episcopo vigilantissimo

Tiguri.

Myconius [1]) breviter improbat vestram cum *Cal-*

1220. 1) *Quae omnia ita facta esse iam ex editione nostra Consensus Tigurini Tom. VII. Opp. didicisti.*
1221. 1) *Vide quae Calvinus ad Viretum scribit d.* 11. *Sept. unde apparet Bullingerum nihil de ea re ad Calvinum scripsisse.*

vino transactionem, et in ea potissimum exsecratur posteriora quaedam capitula, in quibus, ait, facile agnosco veterem cantilenam Tigurinorum, qui o quanto consultius si perstitissent in confessione in quam vivente adhuc *Leone* mecum, inquit, conspirarunt.[2]) Ea enim sola iam pridem controversiae sublatae fuissent universae: nam vel ipsi *Luthero* adeo per omnia placebat, quod tanquam praesagiens dixerit aliquando: Si haec ex animo scribunt bene convenit inter nos, sed metuo ne subsit dolus. Ad haec ego: Non ita facile adduci possum ut credam Tigurinos in re tam simplici et gravi simul ita dolose ac leviter egisse. Hoc seorsim indicatum tibi volui, ut scires quam sint hominibus homines addicti, quo morbo perniciosiore quam putet mundus ne aliquando laborarem summopere cupio. Resciscas an meae illae[3]) unquam perlatae fuerint ad *Calvinum:* quandoquidem his diebus alter ex iis duobus ad quos dederam literas Calvinianis adiunctas, ad me scribens, negat se legisse meas a duobus mensibus. — — — — — — — — — — — — Basileae 8. Iulii 1549.

Tibi obsequendi curiosissimus
Laelius Sozinus.

1222.

SOCINUS BULLINGERO.

Mittit ei historiam Spierae et quaerit an edenda sit.

(Praecedit eam quam modo descripsimus in eodem codice Turicensi.)

Clarissimo viro et ecclesiae Tigurinae antistiti dignissimo D. Henrico Bullingero

Tiguri.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Mitto *Spierae* [1]) desperationem horrendam scilicet a Sigismundo *Geloo*, Transylvano ut videbis stilo, comprehensam: hac lege, ut remittas significans an edendam censeas ad maiorem historiae firmitatem. Quum autem hactenus non fuerit otium legendi, spero uberiore multo cum fructu lecturum me tuum sequutum iudicium. Nec aliud iam occurrit nisi quod aliquid iniungendo mei memorem esse declares. Die 8. Iulii 1549.

Tui observantissimus
Lael. Sozinus.

1223.

CALVINUS FARELLO.

In comitatu Monsbelgardensi res in transversum rapi videntur. Bucero consensus formula missa est. Sulzeri de eadem iudicium anceps. Interula perdita. Commentarii in Hebraeos versio gallica. Epistola Proregis anglici et donum ab uxore eius missum.

(Ex autographo Cod. Genev. 107 a, fol. 15. Apographa contulimus Turretini Cod. 111, fol. 230 v., Bernense Epp. VII. p. 1045 et Simleri Vol. 70. Anglice versa legitur quoad ultimum tantum comma in edit. Edinb. T. II. p. 224.)

Praestantissimo Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. Ergo *Christophorum* [1]) mali consultores iterum transversum rapiunt. Quod si qua fiet illic mutatio, saltem exigui temporis mora hoc profectum erit quod plebs vero experimento monstravit, evangelii semen, quod per annos complures sparsum fuit, non periisse. Hoc quoque ad fidei eorum confirmationem non parum valebit, quod *Tossanus* tam cedendo quam manendo prosequutus fuerit eundem constantiae tenorem. Certe si ad defectionem *Christophorus* perductus fuerit, quum in omnes paulinas epistolas excudentur commentarii, aut nomen eius expungam, aut simul *Angelandrum* celebrabo.[2]) Verum de hac re tempus dabit consilium. Si *Viretus* Berna rediens istac iter fecerit, meas ad *Bullinge-*

---

2) *Innuit confessionem Basileensem secundam quae et Helvetica prima dicitur, quam Myconius cum Bullingero, Grynaeo, Leone et Megandro m. Ianuario* 1536 *conscripsit* (*Kirchhofer, Myc. p.* 240. *Ruchat IV.* 59 *ss.*). *Etiam prima Basileensis autorem Myconium agnoscit* (*Hagenbach, Oecol. et Myc. p.* 353. *Kirchh. l. l. p.* 136), *verum ea a solis Mylhusinis recepta fuit.*

3) *N.* 1191. *Calvini ergo responsum N.* 1212 *nondum viderat, scil. a Turico absens.*

1222. 1) *Cf. N.* 1209. *Sig. ille Gelous, philosophiam Patavii profitebatur et mortis Spierae testis fuerat. Eius relatio cum tribus aliis Basileae ap. Oporinum prodiit a.* 1550. *Verum utrum haec editio genuinum Geloi opus referat, an retractationem in Helvetia factam, quod ex Socini verbis forte collegeris, non liquet. Cf. etiam Sixt, Vergerius p.* 125.

1223. 1) *ducem Wirtembergensem scilicet, non collegam Farelli. Sed illum Noster hic immerito traducit, quum et ipse et pater pro virili curarent ne quid ex promulgato Interim veritati evangelicae decederet, et Tossanum ipsum minime loco suo moverent. De defectione vero princeps nunquam cogitaverat.*

2) *Nihil in promissa editione commentariorum quoad dedicationem illam mutatum fuit.*

rum literas tibi leget.[8]) Sin minus, tibi, ut spero, mittet exemplar una cum *Buceri* literis.[4]) Praeterea tibi narrabit me *Bucerum* ipsum fecisse de omnibus certiorem.[5]) Quod *Sulzerus* iudicium suspendit nihil miror,[6]) quia aliunde pendent qui nihil tenent certi. Editio non probatur Bernatibus. Rationes multas obtendunt. Sed aliud est quod eos angit quod non obscuram toti mundo fore vident suam retractationem. Hunc pudorem refugiunt.

Interula perdita est.[7]) Hac enim transiit erro ille cui dederas, me insalutato. Sed damnum illud non modo pensavit *Mirabilis*, sed ultra quadruplum restituit. Mallem retentam ab eo pecuniam. Quum tamen mihi decuplo plus rapuerit ille a quo prodiit, mihi habere et frui non verebor. *Mirabili* gratias ages meo nomine, et gallicum in epistolam ad Hebraeos[8]) commentarium offeres. Latinus non tamdiu tibi defuisset, nisi putassem fuisse tibi missum.

Quod ad foedus attinet, si quid meae coniecturae valent, tandem allicientur Bernates.[9]) Nisi quod Rex suis rationibus pessime consulit, dum auxilii ferendi praetextu hanc urbem occupare cogitat. Has partes suscepit praeses Cameracensis. Famelici nostri, quorum primus est comicus Caesar, illi se venditant.[10]) Bene tamen agitur nobiscum quod nihil promovent. Prudentius fecerit Rex si a talibus consiliis abstineat.

Tandem anglicanus nuncius rediit. Literas attulit a prorege, quibus sibi gratum fuisse munus meum declarat.[11]) Uxor eius annulum mihi dono misit, non magni pretii. Neque enim pluris quatuor coronatis aestimatur. Domestici venturum brevi ab illo donum satis liberale promittunt, quod ego neque expeto neque exspecto. Nam illa mihi amplissima est merces, quod acriores illi stimulos additos fuisse audio.

Vale, frater in Domino carissime. Dominus Iesus te servet tuisque sanctis laboribus benedicere pergat. Litem cum praefecto compositam esse interpretor, quia nihil scribis. Saluta symmystas nostros diligenter, et domum tuam. Collegae mei te salutant. *Normandius* quoque et reliqui amici. Genevae 9. Iulii 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

3) *Viretus Bernam missus a collegis ut senatum adiret de ministris quibusdam in ius vocandis Farellum invisit* (*N.* 1225).
4) *deperditis.*
5) *quoad negotium consensus.*
6) *Vide quae ad N.* 1213 *annotavimus.*
7) *De hac re alibi nihil.*
8) *quem vides latinum exemplar presse sequutum esse.*
9) *Quae spes eum fefellit.*
10) *Haec scilicet fuit ipsius suspicio, pessima quaeque de adversariis facile sibi persuadentis.*
11) *Sera ista quidem grati animi declaratio, quum munus illud* (*N.* 1053) *iam m. Iulio a.* 1548 *missum fuerit. Cf. etiam N.* 1207.

1224.

HALLERUS CALVINO.

Pluribus exponit quibus de causis Bernenses ministri consensioni subscribere recusent, caeterum quoad rem ipsam omnino consentientes. Addit quaedam de libris Alterio mittendis.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 39.)

Fidelissimo Christi et ecclesiae ministro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri suo venerando.

S. ab eo qui est ipsa salus. Accepi tuas,[1]) doctissime et prae[*stantissime*] *Calvine* quibus ad meas priores respondes. Gaudeo ni[*hil fuisse*] in illis quod tibi displicuerit. Quod ad nos non veneris e [*Ti*]guro remeans, accipio responsionem et excusationem tuam. Fortassis non imprudenter actum, quamvis mihi fuisses gratissimus.[2]) De editione concordiae non usque adeo reclamamus:[3]) imo vel hoc solum nos urget ut subscribamus nomina nostra, quod nisi faciamus videmur fratres Tigurinos solos hoc agere non velle. In hoc enim toti sunt, ut quidquid hic fiat communibus nostris votis fiat, ne ulla in parte ab ipsis segregemur, ut videam eos iam de alio modo cogitare, postquam ut subscriberemus a nobis impetrare non potuerunt. Puto ea de re scribere tibi D. *Bullingerum.*[4]) Si quid tibi visum fuerit, mihi obsecro significa. Quod vero nos subscribere detrectemus, ratio est quod sunt inter nos qui, licet nihil in ipsa declaratione reprehendere possint, nolint sua subiicere nomina, nescio quid futurum suspicantes, et nolentes sua circumferri nomina, de qua re importune admodum argumentantur. Iam si nos subscriberemus, quod quidem ego lubens sine omni contradictione facerem, mox tum separabimur inter nos et fiet schisma. Accedit vero hoc quod maxime nos impedit (reliquos enim non moraremur tantopere, ut propter illos a re bona abstineremus) quod non liceret sine magistratus praesentia et consensu hoc agere. Eorum vero maxima pars adeo crassa est, et suspicio mala eorum corda ita occupavit, atque ita defatigati sunt illa contentione, ut subinde sibi de turbis aliis metuant. Et si de pace et concordia dicamus, ipsum etiam pacis et concordiae vocabulum ita eis suspectum est propter infelicem illam *Buceri* con-

1224. 1) *deperditas, ut et caeterae quarum mentionem facit.*
2) *Cf. N.* 1201, *not.* 3.
3) *Calvinus alio sensu acceperat eorum observationes. Vide praecedentem ad Farellum.*
4) *N.* 1220.

cordiam,[5]) quae omnem huic ecclesiae peperit discordiam, ut nullum sit dubium quin reclamaturi sint omnes. Proinde aut de alio modo cogitandum, aut vobis tantum subscribentibus edenda erit: quod tamen Tigurinos non facile facturos video. Caeterum quod audes polliceri, complures esse in longinquis regionibus quos hoc scriptum facile nobis conciliaturum sit, assentior tibi et gratulor, non nobis tantum sed universae ecclesiae, quod Dominus dedit post tantas contentionum tenebras in tanta etiam nos convenire luce. Sine dubio apud posteros plurimum proderit hic consensus, haec declaratio. Quod etiam D. Philippum *Melanchthonem* accessurum putas, nunquam dubitavi quin ita esset affectus, licet mentem suam ita diserte nunquam explicarit, sed semper haerere visus sit.[6]) Hoc tamen cuperem (alioqui nunquam vera nobis constabit pax) ut non modo in sensu ipso conveniremus et idem sentiremus, sed et idem quoque loqueremur tanta luce et tanta claritate qualis hic expressa est. Non quod quaecunque ad certos modos astringere velim (scio enim qualis nobis ad aedificationem libertas data sit), sed ne quis importunas suas obscuritates, quibus involvit conscientias fidelium, tandem ubi ad censuram ventum fuerit huiusmodi declaratione defendere et purgare atque explicare velit. Nisi enim tota de sacramentis doctrina ad huiusmodi claritatem reducatur, manebunt semper tenebrae, manebunt contentiones, quas utinam tandem tollat Deus, ne per has usque caritas, quae vinculum est perfectionis, destruatur.

Caeterum ad postremas meas non respondes, quibus scripsi de operibus tuis mittendis Baltassari *Alterio* Veneto.[7]) Dubito an acceperis. Petit ut ad Tigurum ad *Froschoverum* mittantur 50 exemplaria de Vitandis superstitionibus, item 50 contra iudiciariam astrologiam, 50 item, si recte memini numeri, in Epistolam ad Romanos, 20 in priorem et totidem in posteriorem ad Corinthios, 20 in quatuor illas Gal. Eph. Phil. Col., 20 in utramque ad Timotheum, 20 ad Hebraeos. Quamvis non bene recordor numeri, quum priores literas ex ipsius quasi ore scribebam, volui te tamen denuo admonere, quia nullam eorum facis in tuis mentionem, ut si priores non acceperis, mittas tamen quae hic annotavi, si recepisti, priorem et certiorem sequaris numerum. Nihil erit peccatum etiamsi numerus variet: gratum enim erit illi quidquid abs te profectum erit. *Girardus* omnia compacta mittat ad *Froschoverum* Tigurum et satisfaciet illi is. Libri deinde Clavennam et hinc Venetias perferentur. Nihil tibi iniungo quam ut typographum vestrum super hac re alloquaris. Vale. Dominus tibi semper adsit spiritu suo et servet te ecclesiae suae incolumem. Boni quaeso consule omnia. Vix mihi tantum datum est temporis ut scriberem. Bernae 4. Idus Iulias 1549.

Tuus in Domino
Ioan. Hallerus.

5) *Vitebergensem* 1536.

6) *Melanchthon nunquam publice consensioni adstipulatus est, quod ei minime profuit quominus a suis lacesseretur. Hessio teste (Bull. p. 19) Lavaterus dixisse fertur, Philippum ex consensu illo demum rem sacramentariam probe intellexisse, vel saltem ex eo tempore Zwinghanis magis favisse, contra quos ut scriberet vel acerrima Lutheranorum contentione adduci non potuerit.*

7) *N.* 1217.

1225.

VIRETUS CALVINO.

Refert quid Bernae egerit et profecerit. Cesserunt scilicet omnia ex animi sententia.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 177.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. Mitto ad te *Bullingeri*, literas,[1]) quas Bernae quum accepissem resignavi, ut si quid esset quod nostra referret cognoscerem. Easdem *Farello* quoque communicavi per quem iter feci rediens. Is te plurimum salutat, et *Musculus* et *Hallerus*. *Musculus* rogavit ut se excusarem apud te quod nihil scribat. In causa esse dicit et quod non habeat satis idoneum argumentum, et quod aliquid est temporibus et personis tribuendum quibuscum illi res est. *Hallerus* plurimum nobis affuit. Cesserunt nobis omnia satis ex animi sententia. Abdicati sunt ministerio *Fortunatus* et *Nicolaus*.[2]) Eodem tempore advenerunt etiam classis Paterniacensis nomine *Richardus*[3]) et *Turterus*,[4]) unius cuiusdam fratris causa, qui uxorem habeat satis prostitutae famae. Is quoque abdicatus est. Spero posthac ventres illic non tales habituros patronos quales habuerunt hactenus.

Hallerus causam nostram proposuit senatui.

1225. 1) *N.* 1220.

2) *N.* 1218.

3) *Richardus aliquis du Boys a.* 1536. *Paterniaci fuit (Herminj. IV.* 92). *Cf. etiam N.* 648, *not.* 2.

4) *Hugo Tourtaz frater prioris uxoris Vireti, Moratensis minister.*

De nostris synodalibus postulatis statutum est ut hoc Lunae et Martis die proximo nominatim senatus decerneret. Spero iam esse confectum. De *Zebedaeo* statuit senatus ut transferretur, sicuti iam ante decretum fuerat. Iussi sunt ministri senatus consulto super hac re dispicere et cogitare de ratione eius transferendi, et suam sententiam ad senatum referre. Fert moleste *Hallerus* quod id non agit sua autoritate senatus, cui potestas fuit eiiciendi *Sabaudi*,[5]) unum vero *Zebedaeum* non potest. Promisit tamen se curaturum bona fide omnia. Haec est nostrae legationis et eius successus summa. Alia sunt quae non vacat scribere sigillatim. Conventus classis rursum indictus est ad 15 abhinc diem. Quam cuperem ad id tempus nobis in manu esse hebraeum professorem. Huic rei totum ut te impendas iterum atque iterum rogo. Scripserunt ad me *Gualtherus* et *Bullingerus* de quibusdam scholasticis ecclesiae suae alumnis quos huc ad scholas nostras miserunt. Salutat te uxor, filiola et nostri omnes. Saluta amicos. Vale. Lausannae 17. Iulii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1226.

HALLERUS BULLINGERO.

Discutit Turicensium propositionem epistolas mutuas Calvini et ipsorum declarationi sacramentariae addendas censentium, quibus scilicet ea vitarentur incommoda quibus Bernenses quominus adhaererent impediebantur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII, p. 2849. — Simleri Vol. 70. — Folium cum inscriptione intercidit.)

S. Scio meas abs te avide exspectari, sed te quoque scire velim quod ut mihi materia non defuit, ita neque defuisse voluntatem: unicam esse causam quod non fuerint tabellarii qui illuc deferrent. Ne tamen nimium protraham, sed tam me ipsum quam tuam exspectationem aliquo modo levem, has ad *Hochholzerum* nostrum,[1]) quum non longius progredientem haberem nuncium, destinare volui, ut per ipsum ad te mitterentur, ne nimium sero scribam dum certum exspecto nuncium. Caeterum potissimum est quod scribam, consilium vestrum secundarium, de quo et ad *Calvinum* scribis (quarum etiam literarum remitto hic exemplar), D. *Musculo* et mihi admodum probari. Non improbaremus etiam priorem modum, nisi et senatus et symmystarum importunitate retraheremur. Nihil tamen retulimus ad fratres de hoc vestro consilio. Videtur exspectandum esse *Calvini* responsum.[2]) Ad quod commodius licebit vobis statuere quid sit agendum et quo modo, atque illud deinde nobis significare. Illud tantum videtur mihi duriusculum esse, quod in forma epistolae, qua videtur vobis ad *Calvini* epistolam respondendum esse, inter alia haec ponuntur: *neque de aliis vos addubitare symmystis, ministris inquam ecclesiarum per Helvetiam, quin et ipsi haec sint approbaturi, praesertim quum ante multos annos habitae sint apud eos disputationes publicae, et exhibitae sint ab illis, vobis quoque non reclamantibus, fidei communis confessiones cum quibus haec vestra faciant, istique illis suis inhaereant*[3]) etc. Haec enim potissimum de nobis dicta videntur, atque ita dicta quasi nihil nobiscum prius de illa declaratione contuleritis. Unde suboriri facile poterat aliqua simultatis inter nos suspicio, quam omnibus modis cavere oportet, atque ita agendum ut nemo non intelligat, nostrarum ecclesiarum prorsus eundem esse animum et spiritum, et cognatam quasi necessitatem. Videbimur quoque nos, non quidem reclamare fidei vestrae confessioni, sed ita nostris inhaerere ut vos speretis tantum nos non posse haec vestra amplecti et approbare per omnia, quasi de nostro adhuc incerti sitis consensu. Scribo haec propterea ut mitigentur, si ita vobis videatur. Nam nihil magis desidero quam omnibus innotescere, quis sit et vestrae et nostrae ecclesiae consensus, quam arcta et necessaria coniunctio, ne cum aliis magis quam nobiscum consentire et convenire videamini. Videretur mihi quoque non inconsultum, sed fortassis plurimum ad hanc rem facere, si tamen hoc ab aliis ita obtineri possit, ut post Genevensium et vestram epistolam subiiceretur etiam alia vestra ad nos,[4]) quibus consilium vestrum plenius exponeretis, ad quam nos etiam per aliam adhuc epistolam responderemus, qua et consensum nostrum testaremur, atque omnibus ecclesiis eandem puritatem et claritatem optaremus etc. Ad hanc rem neque magistratus videtur opus esse consensu, neque subscriptione nominum nostrorum. Sed quid apud nostros obtineri possit ignoro. Exacerbantur indies magis seditiosorum quorundam hominum et

---

5) *Plures fuerunt huius nominis* (*Galiffe I.* 225). *De Petro Savoye v. N.* 1088 *etc.*

1226. 1) *Aroviae degentem* (*v. infra*).

2) *Quem ex literis proxime sequentibus consilium illud non probasse videbis: postea vero Turicensium sententiam amplexus est.*

3) *Haec ita enunciata re vera absunt ab edd.*

4) *Talis non edita est.*

scriptis et dictis, qui ipsis ingerunt, ad concitandos eos et perturbanda omnia, quam glorientur *Calvinus* et *Farellus* de victoria sua, quod vos tandem pertraxerint in illam concordiam, quam nunc erigant cristas, quam insultent etiam nobis, quam polliceantur et *Philippum* et *Bucerum*[5]) eiusdem esse sententiae, nunc omnes eorum obscuritates ad hunc modum esse exponendas, neminem posthac impedire posse libertatem loquutionum obscuriorum sacramentalium etc. modo in sensu conveniat etc. Hinc concitantur illi ita ut difficulter audiant nos de hac re verba facientes. Reprimendus tamen est ille furor moderatis persuasionibus, quae etsi nihil proficiant, nos tamen nostrum praestiterimus officium. Non abalienabit tamen, sat scio, vestros animos paucorum importunitas a nobis et ecclesiis nostris. Sed de his satis. Vos pro vestra prudentia facile quid facto sit opus dispicietis. Ego, ut vester sum, ita nihil volo celare quod e re ecclesiarum nostrarum esse putavero. —

Calvini ad te literae, quas hic mitto,[6]) integrum etiam octiduum exspectarunt nuncium. Quum ergo spes non sit de aliquo alio per hunc quoque Aroviam mittere volui. Scripsit idem mihi amicissime.[7]) Videtur ei omnino edenda esse declaratio. Meminit ipsius *Philippi*, quem sciat aliud nihil sentire, nec aliter affectum, eumque facile pertrahendum ad nos. — — — — — — — — — Bernae 18. Iulii 1549.

Tuus ex animo perpetuo
Ioannes Hallerus.

1227.

CURIO BULLINGERO.

Gratulatur ei filiae sponsalia et concordiam circa coenam Domini cum Genevensibus initam.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 62, olim Epp. T. XXVII. fol. 185. — Simler. Vol. 70.)

D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae antistiti vere docto et sancto patri suo observando Tiguri.

Duo ut ad te scriberem permoverunt. Alterum est quod te natarum tuarum unam[1]) collocasse *Zwinglio*, magni *Zwinglii* virique clarissimi filio, accepimus, alterum est concordia de coenae Domini mysterio, quam audio vos cum *Calvino* et suis instituisse. — — — —

De coenae Domini et re sacramentaria concordia, quoniam pacis et concordiae semper studiosissimus fui, quid aliud dicam quam me illam vehementer approbare?[2]) Neque enim dubito quin talis sit (quod vos tales agnoscam, hoc est, pios, religiosos et veritatis servantissimos) ut omnium bonorum approbationem mereatur. Quanquam ipse, quoad meum sensum attinet, nihil pronunciare possim, utpote qui nondum scriptum ipsum legerim. Circumfertur quidem scriptum quoddam incerto autore: quae res effecit quominus illud perlegere curarim. Mihi tamen gratum esset si a vobis aliquid huiusmodi profectum mihi legendum offerretur. Sed de hoc satis. — — — — Basileae 18. Iulii 1549.

Tuus ex animo
Coelius S. C.

1228.

CALVINUS FARELLO.

De Bernensibus queritur qui subscribere consensioni usque recusant. Fallesii fratres duo in carcerem coniecti.

(Ex autographo Bibl. Genev. Cod. 107a, fol. 16. Exstat praeterea ibid. Cod. 111, fol. 226, Bernae in Archivis Epp. VII. p. 1048 et apud Simlerum Vol. 70. Anglice legitur T. II. p. 225.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae carissimo.

S. Scis quas a *Bullingero* literas acceperim.[1]) Bernates rationibus cessuros sperabam.[2]) Sed nunc

5) *Vide supra N.* 1223 *et* 1224.
6) *Utrum N.* 1211 *an aliae deperditae?*
7) *Etiam haec ep. Calvini non exstat. Ad quam respondit Hallerus N.* 1224.

1227. 1) *Annam, maximam natu, quae nupsit Ulrico magni Ulrici unico filio qui anno* 1549 *ad munus ecclesiasticum promotus fuit. Praeter eum Zwinglius pater filiam unam reliquit Regulam quam a.* 1541 *duxerat Rud. Gualtherus* (*Pestalozzi, Bullinger p.* 313).
2) *Ignorasse videtur Myconium aliter de ea re tunc sensisse.*

1228. 1) *N.* 1220.
2) *Operae pretium facturi nobis videmur adscripta versione anglica saepius iam notata, hic vero absurdissima quaeque afferente:* I was hoping the Bernese were going to give over negotiations. At all events the inhabitants of Zurich see now with what just reason we in time past complained of our broken heads. Haller lately confessed to me that he would gladly have written, had Schirma not been afraid. I certainly excuse what does not provoke such rage *etc.*

Tigurini vident quam merito antehac de tam praefractis capitibus conquesti simus. *Hallerus*[3] mihi nuper confessus est, se libenter subscripturum nisi schisma metueret. Ego facile excuso quod tales furias non armet. Poterant Tigurini a senatu impetrare quod cupiunt, nisi se omni libertate exuissent. Nam quum toties cantilenam hanc repetierint: standum esse rebus iudicatis, nihil amplius monendum, sub concordiae nomine latere semper aliquid fraudis, verba nunc in diversam partem facere eos pudet. Restat ut omnia supprimantur, vel sequamur novum istud consilium. Miratus sum *Viretum* non verbulo saltem indicasse, quae vestra amborum sententia esset.[4] Tu primo quoque tempore fac ut sciam quid expedire censeas.

Nihil praeterea scribo nisi quod D. *Fallesius* duos habet ex suis fratribus in carcere.[5] Quum Imperator comiter eos excepisset, ad *Granvellam* misit. Ab eo blande excepti quum discederent, a praefecto ligati sunt et in currum coniecti, deinde in arcem Willevordam abditi, unde nemo nisi ad supplicium extrahitur. Dira nunc in illa regione persequutio ardet. Quare pios fratres precibus nostris iuvemus. Gallus nihilo minus insanit.[6] Ipse quum nuper duo exurerentur spectator esse voluit. Dominus tam atrocem ferociam compescat virtute sua. Amen. Nostri omnes te salutant. Tu quoque vicissim saluta amicos et symmystas praecipue. In *Christophoro*[7] te fuisse deceptum coniicio, quia venturum huc putares. Illi plurimam salutem. Genevae 19. Iulii 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Fallesius tristem illum nuncium plane heroico animo accepit.

1229.

CALVINUS VIRETO.

De edendo Consensu, de professore hebraico Lutetiae quaesito. De Georgii comitis Genevam adventu.

(Sequitur proxime praecedentem ad Farellum tam in Codice autographo quam in tribus caeteris exemplaribus. Etiam in volumine anglico.)

Fidelissimo Christi servo D. Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo

Lausannae.

S. Debuisti *Bullingeri* literis tuum etiam consilium adiungere. Ratio publicandi consensus, quam praescribit, habet nescio quid absurdi. Deinde vereor ne eadem hic se opponat morositas. Nihil tamen quod tibi et *Farello* tentari visum fuerit utile omittam.

De hebraico professore scripsi Luteciam. Si quis reperietur, vix se ad diem conventus vestri sistet. Neque enim tam breve tempus condixeram. Et videbam frustra id me facturum quum vixdum eo literae pervenerint.

Comes *Georgius* Wirtebergensis, frater ducis *Ulrici*, hic est.[1] Heri apud eum coenavimus. Multi inter nos pii sermones habiti. De me prius tam honorifice loquutus erat, ut propemodum creparet *Vendelius*.[2] De Galliae statu *Plessiacus*[3] referet. De rebus nostris confabulari praestat quam scribere. Vale, frater integerrime, una cum uxore et filiola. Dominus Iesus vos omnes tueatur semper. Saluta fratres meo nomine. *Arenaeo*[4] excusa quod non rescribam. 20. Iulii 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1230.

VIRETUS CALVINO.

In Fortunatum et Nicolaum etiam accuratius inquiritur. Iudicium de novo Farelli libro contra Libertinos.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fascic. III. N. 12.)

---

3) *N.* 1224.
4) *de praefatione et epilogo.*
5) *Fallesio quinque fuerunt fratres quorum unus erat protonotarius apostolicus. Tres alios multo serius obiisse constat.*
6) *Praesente Henrico II. quatuor eo tempore combusti sunt, inter quos pauperculus aliquis sartor de cuius in confessione coram ipso rege eiusque scorto παῤῥησίᾳ et in morte constantia v. Hist. eccles. I.* 79.
7) *Neocomensi.*

1229. 1) *Is taedio negotii interimistici exagitatus iam m. Februario Turicum se contulerat.* (*Heid, Ulrich. III.* 538. *Pestalozzi, Bullinger* 299.) *De eius itinere ad Genevenses quaedam leguntur in Actis senatus ad 22. Iul.*
2) *Significare videtur Hugonem Vandel, Perrini amicum qui postea Bernam se contulit ibi mansurus. Quod a.* 1557 *fecit eius nepos ex fratre Thomas Vandel* (*Galiffe I.* 78).
3) *N.* 1099 *et* 1115.
4) *Qui ergo Lausannae pedem fixisse videtur.*

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo.

Genevae.

S. Scripsi nuper ad te [1]) de successu nostrae legationis et die nostri conventus. Quaedam ad praefectum nostrum scripta sunt a Bernatium consistorio de accuratiori inquisitione in *Fortunatum* et *Nicolaum*, ob quaedam scelera quae ampliore videbantur et clariore probatione egere, de qua nihildum accepimus. Nam *Nicolaus*, cui ad praefectum literae datae fuerant, eas nondum reddiderat sexto ab eo die quo Berna reversus est. Se enim recta contulit Corsiacum, [2]) ubi concionatus est quamvis abdicatus esset, quia id ei non est, ut audio, a iudice consistorii significatum. Hic se tamen res habet, et praefecti literae eam continent sententiam.

De hebraeo professore si quid habes, mihi significato. Doleo vicem *Fallesii* et fratrum. Mitto ad te per hunc nuncium folia aliquot libri *Farelli* adversus Libertinos, [3]) quae posteaquam hinc abiisti [4]) ad me misit. Quid de toto opere sentiam, paucis exponam. Spero profuturum. Continet multa scitu dignissima ad instituendam pietatem. Stilus *Farelli* est. [5]) Difficile esset quidquam mutare, aut multa essent mutanda. In quibusdam locis mihi clarior et facilior solito videtur, in aliis autem obscurior quam ut vel a me nisi valde attento intelligi possit. Hae sunt quae in genere dicta volui. Annotavi quaedam quae velim te proxime intueri. Expende num conviciis, [6]) quibus multis in locis abundat, lectores interdum offendi possint, et an expediat nomen exprimere Rotomagi. [7]) In Abrahami historia videbatur mihi maiore aliqua moderatione eius tractandum mendacium, quod nimis ei aperte et asseveranter impingit, quanquam alioqui non possit apertis scripturis, meo quidem iudicio, eius convinci. Id vero mihi potissimum corrigendum videtur quod asserit, iussisse Abrahamum Saram se eius esse uxorem negare, quod nusquam habet sacra historia. Quin potius Abrahami excusatio aliud testari videtur. Non autem haec dico quod Abrahamum omnino velim excusatum, sed ut locus ille minus cavillis exponatur calumniatorum. Deinde illa refellendi ratio, qua utitur adversus allegoriam Franciscani de Abrahamo, Sara, Christo et ecclesia, vide an satis firma sit, quod scilicet non satis per omnia conveniat. Neque Pauli allegoriae et Christi parabolae satis per omnia membris omnibus respondent, praesertim illa quae est in epistola ad Galatas, si quis singula excutere et persequi velit. Praeterea metuo ne plus iusto premere videatur Abrahamum in illa collatione qua confert Abrahamum cum Christo et Saram cum ecclesia. Hic aptiorem aliquam collationem requirerem. Quum disserit de ficu quam exsecratus est Christus, non attingit, tunc non fuisse fructuum tempus, neque illud: omnis creatura ingemiscit etc. Ubi meminit imperatoris illius gentilis qui voce praeconis legem illam Christi promulgare iussit, nomen addi poterat, quo efficacius esset argumentum. Nisi fallor, Lampridius id Alexandro Severo adscribit. In historia caeci nati affirmat ante tenebras creata omnia vide an cum sacra historia satis conveniat. Alicubi orationes quaedam aut imperfectae videntur, aut ita involutae ut vix sensus elici possit, ut fol. C. 1 pag. 2 et C. 2 pag. 1. Item C. 3 pag. 1 dilemmate uti videtur cuius alteram partem non satis explicat. Pag. E. 2 describit promissionem Christi ad latronem iuramento confirmatam. Amen vim hic iuramenti intelligit. Ego inter asseverationem et iuramentum aliquid interesse existimo. Haec sunt quae obiter annotavi, non ut reprehenderem, sed ut tibi excutienda proponerem. Nostri te omnes salutant, praesertim uxor. Saluta collegas et amicos reliquos. Vale. Lausannae 20. Iulii 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1230. 1) *N.* 1225.

2) *Corsier prope Viviacum.*

3) *Prodiit anno sequente ap. Io. Girardum sub insigni gladii flammei:* Le Glaive de la Parolle veritable tiré contre le Bouclier de defense duquel un Cordelier Libertin sest voulu servir pour approuver ses fausses et damnables opinions. Par M. Guillaume Farel. Hebr. 4. La parolle de Dieu est vive et d'efficace. *Franciscanus iste idem erat ac ille contra quem Calvinus scripserat biennio antea. Videtur is recuperata libertate Calvino respondisse libello inscripto:* Bouclier de defense. *Farelli opusculum rarissimum: exemplaria exstant Parisiis, Stuttgardiae et Genevae in bibliothecis publicis. Non solum Farellus ipse satis obscure de occasione scripti sui loquitur, verum etiam ap. Kirchhoferum II.* 100 *ss. frustra certiora quaesiveris.*

4) *Calvinus ergo nuper Lausannae fuerat.*

5) *Nobis in illo extricando saepissime desudantibus notissimus.*

6) *Si in his expungendis Viretus et Calvinus operam suam collocarunt, qualia prius esse debebant, quum tot tantaque supersint!*

7) *Nomen neque in titulo neque in prooemio apparet. Sed cur supprimi debuerit non videmus, quum Calvinus illud prodiderit.*

1231.

SOCINUS CALVINO.

Calvini responso nondum recepto quaestiones suas recolit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 238. — Interpungendi signa nulla adsunt, scriptio intricatissima, latinitas tirone digna.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino apud Genevenses episcopo vigilantissimo semper observandissimo

Genevae.

Gratias ago ingentes quod hactenus non respondisti:[1]) non quod mihi gratissimum non fuisset, sed quia iam eo gratius erit quo legendi tuas adeo ardentiore flagro desiderio, quod illo impulsus iam te orare cogor et supplicare modis omnibus, digneris responso statim, quam primum per tam multa negotia licet. Alioqui, ut amplius vota augeri nequeunt, ita necesse erit, si diu exspectandum, in gravem aliquam incidam aegritudinem. Libentissime omni afflictione me et omnes liberares, scio, quando id esset datum, et occurrere potes ne ulla me offendat, et dubitabo an sis obviam iturus. Caritas tua tam longa tam lata est, quod non solum praesentes et conterraneos amicos, sed et longissime absentes exteros, etiam inimicos, amplectatur benignissime, ac omnibus pro virili bene consultum velit. Et ego, qui etsi absens non tamen procul admodum, exterus quidem sed amicus, imo tui studiosissimus, non impetrabo post multas preces auxilium, vel promissum non semel? Spero igitur omnino, ut in aliis multis, in hoc etiam superes meam exspectationem. Sed ut id quoque maiore cum laude efficias, non solum petitionibus prioribus (quarum in altera folii parte habes exemplum, si quando primum illud intercidisset), sed et his quae mox subiiciam te perhumane responsurum exspecto. Nam etsi cuncta huius generis tamen praecipue in Dei gloriam ampliorem iugiter et reverenter tractanda sunt nobis (et quanam ratione, quaeso, redditur illustrior illa, quam si penitius Dei opera et oracula advertentes exactius teneamus quam magnificentissime promissa sunt nobis), interea vero quid excellentius, aut quod huc non referatur, ut aliquando felicissimi gloriam reddamus aeternam nostri autori ac omnis denique boni? Sed iam quaeritur, nos qui simus, vel potius quid erimus, et quibus constabimus rebus? num anima nostra sola futura sit in illa felicitate, cuius particeps fit mox quum ex hoc ergastulo evolaverit, aut corpus istud etiam, licet alio est praeditum ingenio, pariter exsistet aliquando? nam hoc scripturae loci non pauci, illud ratio omnino comprobare videtur. Non quod ego sim in ea sententia ut putem nihil esse credendum quod rationi sit adversum: sed ut in multis, in hoc quoque succurratur imbecillis. Durum est, non nego, praesertim in via Domini, rite instituto verbo Dei simpliciter non adhibere fidem: at rursus non minus durum impossibilia sibi persuadere futura, ac voluntatem cogere ad expetendum id quod intellectus perpetuo suggerit nunquam futurum: non quod mens alioqui sit male composita, ac divinae potentiae quidquam detractum velit, sed quia existimatur, scripturam, dum resurrectionem corporum tam magnifice pollicetur, et aliis anthropopathiis spem nostram subinde quasi ob oculos ponit, non alio spectasse quam ut indicibilem illam beatitudinem, atque adeo nos ipsos, alioqui nobis ipsis invisibiles et incomprehensibiles, carnali quodam modo delineando sensibus perceptibiles ferme redderet, donec perfectiore luce donati nos et Deum ipsum in Christo uti est, corporaliter, id est, vere et non umbratice cernamus. Unde etiam illud: Dispono vobis regnum ut edatis et bibatis et sedeatis in soliis etc. Et quid absurdi, si credatur nos corporibus non magis opus habituros quam ipsa cibo et potu, et aliis conditionibus aeque promissis, ut sint omni felicitate perfusa. Haec omnia tremens cogito, perinde ut incerta et suspecta, si non horrenda, mihi, ita tibi soli, vir prudentissime, credita. Volo ut certiora ac tutiora reddas, atque ita huius manus cuius opera ad te scribo, et huius corporis totius cui hoc brachium est adiunctum, materiam ostendas, qua ratione uno eodemque tempore mihi et aliis, quorum fuit et erit subiectum, restitui possit ac prosit, vel si aliunde aptabitur nobis corpus: ubi divina iustitia, ubi resurrectio, ubi illa corporis humilis transformatio erit, demonstra. Nam permutatio corporum, non qualitatum ipsius, et species quaedam *μετεμψυχώσεως*, non reversio ad idem tabernaculum tunc exspectanda esset, ni fallor. Quod si ita est, ad veritatem me perducas peto et rogo etiam atque etiam. Vale felicissime. Basileae in aedibus D. *Monsteri*[2]) die 25. Iulii 1549.

Tui observantissimus
Laelius Sozinus.

Quaeritur an ex aequo a papisticis nuptiis abstinendum, atque a iudaicis? Est enim qui existimat sibi licere eam ducere quae iustitiam quidem omnem in Christo collocat, nec intractabilis est, caeterum detinetur adhuc aliis superstitionibus, procumbit ante idola etc. Alter negat duci posse, etiamsi in universa doctrina consentiat, donec publica confessione aut aliqua alia manifesta veritatis approbatione ablegato Antichristo Christi ecclesiae sese adiungat quemadmodum in Iudaea contrahere vetitum est, etiam in omnibus recte sentiente, quoadusque per baptismum innotescat.

Alius valde haeret, quum sibi alioqui pie vivere liberum sit, num, quia infantem cogitur offerre,

---

1231. 1) *Calvini responsum d.* 26. *Iunii* (*N.* 1212) *datum nondum acceperat, quum Turico abesset.*

2) *Sebastiani Münsteri.*

deserenda ei sint omnia, vel potius aliqua sui ipsius contaminatione filio consulere et reliquae familiae liceat, praesertim quum Melanchton cui subscribitis hoc velit, Petrus Martyr quoque idem concedat, modo detestentur detestanda: quod si faciet, profecto non baptismus sed vita negabitur illi.

Deinde an ratum habeas baptismum per lusum etiam administratum, quum efficacem agnoscas papistarum, qui non ludendo tantum sed blasphemando, ac suis exorcismis et incantationibus etc. non virtute Dei baptizatum esse credunt, non verbo, nisi forte quatenus peculiarem vim quandam somniant verbis illis inclusam. Quibus haud dubie talem virtutem non tribuis: tu alioqui non rebaptizares qui semel iisdem simplicissime et bona fide ab amico privato vel parentibus seorsim fuisset tinctus. Dicis enim, et optime dicis, actionem esse celebrandam in conspectu ecclesiae: quam si negas haberi in aedibus quantumlibet fidelis, multo minus in conventu idololatrarum reperietur. Quibus hoc unum addo:

Additio. Num Turco baptizato eius quoque famulitium universum tingendum censes, et si non licet in hoc circumcisionem imitari, cur liceat in filiis qui non meliore iure circumcidebantur.

Quantum ad missam, primo approbationem quae nascitur ex nostra praesentia dicunt esse indemnem, nisi damnes etiam qui non invisit quidem missas, ita tamen caute vivit ut unus habeatur ex comprobatoribus, velisque, quoties incidit sermo de illa, protinus exsecrari aperte, non solum gravissimo imminente periculo, verum etiam spe affulgente nulla. Ad offensionem vero infirmorum quam tantopere urges, et qua sublata Paulus etiam visus est permisisse esum idolothyti, replicant, et sic belle sibi videntur evasisse: En certissime novi, inquit, imbecillem nullum prorsus adesse qui meo exemplo ad colenda idola possit induci, quin potius ne unus quidem est qui non me accessisse arbitretur animi tantum gratia, ut haberem quibuscum aliquid confabularer, deambularem aliquamdiu (et hoc sane commune nimis patet apud nos), et qui suspicetur advenisse, ut aliquo pacto comprobet quod maxima pars ipsorum minime credit: sed exercitii gratia ita in hebdomada semel conveniunt et tripudiant. Quin imo riderent socii, si possent animadvertere ex corde vel minimam fidem talibus nugis me habere, adeo bene instituti, ut pauci sint qui vel Deum esse habeant persuasum. Huiusmodi vero assistentiam inprimis permittendam contendunt peregrinis, qui etsi non uno in loco fidem suam testati sunt, illi tamen abominando spectaculo in aliena patria semel atque iterum adstare coguntur necessitate, ut ipsi quidem praetexunt, sed ea nimirum qua sua iis quae Christi sunt praeferant. Neque enim tot quaestionibus opus esset, si (ut decet) quodvis genus supplicii prius subire, quam optimum patrem vel minimo offendere statutum haberemus. Rescribas tamen, oro, et ne spem meam frustreris supplico.

1232.

SOCINUS BULLINGERO.

Calvini responsum ad suas quaestiones tandem accepit: quo vix perlecto se amplius et copiosius quaesiturum declarat.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115 olim B. VIII. p. 2842.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero apud Tigurinos episcopo vigilantissimo observandissimo Tiguri.

Calvini responsum in tanta temporis angustia et negotiorum oppressione vix potui semel perlustrare, [1]) mi venerande. Si non aperuisti literas, doleo. In praesentia non mitto quia videbo diligentius, et exstimulabo hominem adhuc magis ut iubes ne quid desideretur, licet ante triduum per certissimum nuncium copiose ei scripserim, et quaedam, ut pollicitus eram, prioribus petitionibus adiecerim. Inter caetera autem hoc unum est quod habes hic inclusum. Reliqua, si non gravaberis audire, intelliges quum rediero. Basileae ultimo Iulii 1549.

Tui observantissimus
Laelius Sozinus.

1233.

VECHELDTUS [1]) CALVINO.

Ex itinere per Galliam facto quae passim nova vidit et comperit desiderato patrono tradit: scilicet ubique terrarum cuncta superstitionibus, atheismo et insano fanaticorum zelo vastata.

1232. 1) *Illud ergo tandem ad eum pervenit Turico Basileam missum.*

1233. 1) *Hermannus Vecheldt a.* 1523 *patricio genere natus, Brunsvicensis, peragrata Hispania Gallia et Italia Doctor et profesor iuris Regiomonti creatus, tandem a.* 1559 *Syndicus Lubecensis fuit ubi consulari munere functus obiit anno aetatis* 72. (*Cf. Molleri Cimbriam literatam et Ioecherum.*)

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 102.)

Virtutis et doctrinae excellentia spectabili viro D. Ioanni Calvino sacri evangelii ministro vigilantissimo domino suo plurimum observando.

D. Ioanni Calvino viro clarissimo Hermannus Vecheldt S. P. D.

Etsi toto hoc tempore quo a vobis absum, vir clarissime, propter continuas profectiones, ex quibus vixdum me recepi, plurimas sustinuerim molestias, tamen nihil mihi gravius fuit quam tanto spatio nihil ad te scripsisse. Erat enim id reliquorum meorum officiorum unum ex summis: non quod id te velle adeo, aut dignum me aliquid ad te dare posse iudicarim, qui sciam de rebus omnibus a viris amplissimis perfecte et eleganter tibi perscribi, sed quod hoc illa tua, qua me nuper, nec visum tibi antea, nec minimam eius partem merentem excepisti, non dico humanitas, sed pietas summa merebatur, ut, quam perpetuam conservabo, eam quoque literarum testimonio ostenderem gratam apud me et recentem quotidie esse tuorum erga me meritorum coetusque vestri memoriam. Et quidem commissam a me negligentiam etiam ob id aegrius fero, quod in tanta de statu ecclesiae et urbis vestrae sollicitudine nihil de illis vel auditu saltem percipere nobis licuerit. Scripseram ad D. *Arenaeum* quum essem Lutetiae, sed quae literarum fortuna fuerit nunquam intelligere potui. Redditas tamen esse vel eo nomine optarim, quod meae erga te observantiae significationem continerent, et excusare me tibi eo tempore potuerint, quod de reliquis quae tunc agebantur onerari te non fuerit necesse. Nihil enim Parisiis videre erat praeter pompas superbas et non minus stultum quum inutilem mundi fastum. Quae omnia bonorum conspectui non tantum non magna aut egregia, sed ne grata quidem. Gravius erat quibus si triumphi decorabantur piorum cernere miserabiles interitus, scil. talibus tripudiis convenientem carnificinam.[2]) Diversi generis erant absurdae quaedam disputationes, quibus nonnulli, qui *ἀθεισμὸν* profitentur, sophisticam suam exercent, et suo quasi coeno gaudent seque ostentant.

Eius farinae unicum ad te exemplum referre mihi pro humanitate tua concedes. Id autem est quod quosdam audivi certitudinem scripturae sacrae in dubium vocare et nobis quasi illudere, quod non habeamus rationes quare nos christianae magis quam alterius religionis sectae addicamus. Nam praeter historiae seriem, quam ut profanae cuiusdam gestae rei narrationem admittunt, de doctrina quidem praecepta talia esse dicunt quae nedum speciem demonstrationum habeant, sed plerumque etiam sint absurda. Iam Christi et prophetarum dicta quibus res futurae praedicuntur simillima esse astrologorum aut etiam praestigiatorum denunciationibus, quibus generalitatis specie facile vulgus decipiatur. Quale sit illud, quum Christus rogatus ab apostolis: quando erunt haec, Domine? Videbitis, inquit, tumultus, insurgere gentem contra gentem etc. Egregia, inquiunt, prophetia. Falli non poterat, quae semper in mundo fuerat, belli calamitatem etiam postea mansuram. Illud quidem novum mihi erat audire, utpote quod nunquam antea intellexeram disputari. Quare respondere hominibus illis nihil aliud in re praesente volui, aut dignius existimavi quam non mereri contradictionem illos qui principia artium negent, nedum religionis, abesse illis, qui fundamentum doctrinae nostrae est, spiritum Dei qui eos certitudinem doceat. Miraculis enim urgeri aut commoveri non possunt, utpote quod et sua miracula semper habuerit paganismus.

Verum tibi, vir amplissime, iam ecclesiae certaminibus exercitatissimo, talia deliramenta non ignota, et etiam olim in ecclesia agitata esse existimo. Ego vero optarim, si non exstet aliud hac de re peculiare scriptum, et simplicioribus in ecclesia ad fidei eorum confirmationem profuturum videatur, aliquem doctorum, qui praecelleret singulari, qualis tua est, autoritate, publicam hac de re admonitionem edere. Non quod huiusmodi illusores, licet periculum sit ut plausibili sententia plures decipiant, dignos tamen iudicem ut ad respondendum eorum deliriis bonorum nervi intendantur: sed quia hoc praesertim tempore, quo quidquid habet potentiae et insidiarum inimicus ecclesiae diabolus prorsus effundit, assidua confortatione opus habeant pii, propter decrepitae huius aetatis periculum, quod etiam electos in discrimen venturos Dominus olim praedixit.

Sed incurro vitium quod modo deprecabar his te nugis interpellando. Verum id pro singulari virtute tua infirmitati meae condonabis. De statu potius religionis patriae ad te perscribere deberem, et id quidem lubens facerem si quid mihi certi esset cognitum. Post editam professionem fidei contra Interim a civitatibus nostris, nihil ab Imperatore de religionis negotio in illis locis propositum audivimus, nec quid agat ille aut moliatur apparet. Misere universam Belgicam gravissimis et inauditis exactionibus afflixit, nec mitigat Hispanorum insolentiam et non tolerandas libidines, ut videatur, si quid aliquando adversi illi contingeret, habiturum eum has partes alieniores. Nam nuper civibus

2) *Occasione coronationis reginae Catharinae in oppido S. Dionysii celebratae sunt illae pompae solennesque processiones omnium regni primatum, et protestantium nonnullorum suppliciis quasi decoratae.* (*Sleidan. III.* 133. *Hist. des choses mémorables p.* 7.)

oppidi illius, in quo captivus asservatur Lantgravius,[3]) de vi publica Hispanorum conquerentibus, quam effractis foribus et erepta prostitutaque civis honestissimi pudica uxore commiserant, nihil aliud quam fastidiose respondisse fertur, ostendere Belgas quod nec se nec suos Hispanos magni faciant. Interim tamen filii mores aegerrime ferre et in illis corrigendis totus esse dicitur, sed frustra, ideoque illi timere plurimum et impensius studere ut vel politiam saltem Germaniae componat et illam filio *ναναγιων* suorum futuro haeredi conciliet. Sed et id ne ex sententia conficiat, maxime *Ferdinandum* cum liberis magis gratis metuere, et adversus illos nonnihil occultae simultatis alere fertur. Item *Mauritio*, nisi se totum servituti dedat, de restituendo duce captivo minari. Talibus nunc Caesarem potius quam belli deliberationibus occupari facile crediderim, si, ut nuper ad nos allatum est, etiam cum Magdeburgo transigere et bannum remittere studet. Certe ad bellum gallicum ab Anglo invitari non potuisse certo creditur.

De scholarum statu in locis nostris aliud nihil dicitur quam illos, qui praecipui et disciplinae capita fuerunt, partim sua statione iniuria deturbari, alios propter metum latitare et obmutescere, quosdam etiam esse (ut solet fieri) qui vento cedant, et quo suum obtineant vel qualitercunque dignitatis locum artificiose mussitent et praesentibus contenti quod sentiunt dissimulent. Denique eo omnia tendunt ut metuendum sit lucem illam doctrinae evangelicae et verae disciplinae Deum auferre mundo decrevisse, utpote cuius malum adeo sit deploratum, ut remedio nullo emendari nec incendium illius aliter quam ruina restingui possit.

Sed de rebus omnibus ut magis fiam certior quotidie literas exspecto, quibus quidquid vel spei vel periculi significatum fuerit pro occasione D. T. communicabo. Nunc quia ultra modum mihi crevit epistola, non tantum imperitiam illius tuis auribus et conspectu indignam, sed et verbositatem inutilem et nimiam excusatam uti habeas, etiam atque etiam rogo cum verecunda deprecatione, ut si liberius quam meam decebat et aetatem et modestiam ad te perscribam, totum id amori et observantiae meae, quo erga te tuumque illum coetum affectus sum, attribuas, meque (ut spero iam habes) perpetuo tibi velis esse commendatum. Quod reliquum est, summopere te rogo ne graveris omnes illic bonos, quos fraterno amore complexus sum et semper prosequar, studiose meo nomine salutare, praesertim D. *de Beze*,[4]) *de Normandie*, *Arenaeum* et *Gallasium* et reliquos tuos symmystas, cum summa pollicitatione meorum erga te et illos omnes officiorum, studii et observantiae. Iter italicum quod institueram prosequi decrevi, et ideo intra sex aut septem hebdomadas Lugdunum me venturum esse spero, unde si propter comites alia via profecturos excurrere ad vos non potero, tamen de iis quae allata ad nos erunt latius ad te perscribam. Vale feliciter in Domino, qui te totumque coetum illum pro sua bonitate ad gloriam sacrosancti nominis sui et utilitatem ecclesiae suae conservet. Datum Biturigibus Cal. Augusti anno Christi 1549.

D. *Antonium* fratrem tuum cum coniuge officiosissime ex me salutari meque illis commendatum esse cupio.

3) *Oudenardae Flandriae oppido* (*Sleid. III.* 145).
4) *Genevae degentem, ut vides.*

1234.

CALVINUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Praefationis vice praemissa consensui Tigurino qui dicitur.

(Ex impressis edd. edidimus Tom. VII. p. 733 collato exemplari authentico quod asservatur in Archivis Turic. Plut. VI. Vol. 105, fol. 411 et descriptum est ap. Simlerum Vol. 70. Anglice versa legitur Tom. II. p. 227. Incipit a verbis: *Tametsi eadem saepius*, caett. et data est Cal. Aug. 1549.)

1235.

VIRETUS HALLERO.

De Zebedaei translatione et Fallesii fratribus in Belgio vinculis traditis.

(Ex autographo Cod. Zofingensis XIV. part. I. N. 188.)

Clarissimo viro D. Ioanni Hallero Bernensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae amantissimo

Bernae.

S. Communicavi cum reliquis fratribus meis tuum super *Zebedaei* translatione,[1]) et commutationibus nostrae classis cum Iverdunensi postremum consilium. Quae sit eorum sententia mox audies, et qua egerimus cum *Zebedaeo* ratione. Sum enim

1235. 1) *N.* 1205.

brevi ad te scripturus de omnibus copiosissime per eos qui propediem electionum causa hunc nuncium subsequuturi sunt. Deinde rem ipsam totam poteris cognoscere plenius per eos ipsos qui totius sunt actionis testes, quique non interfuerunt solum, sed aut magna ex parte praefuerunt etiam, aut pars fuerunt non minima. Spero fore ut aliquando Dominus nostras preces exaudiat, liberetque nos a turbulentis hominibus, et ecclesiam malis pastoribus. —

Huc nulli afferuntur nuncii ex Gallia et Flandria, nisi de tyrannorum in Christi martyres saevitia et truculentia. Capti sunt duo fratres D. *Fallesii* Bruxellis, [2]) sed translati in arcem in quam non dicuntur includi nisi quos extremum supplicium manet. Tertius est hic apud nos, sed qui malit obscurus nobiscum vivere quam nimis celebris, ne si resciscat Caesar magis in captivos accendatur. Ergo et ipsum Caesaris sanguinem persequitur Caesar evangelii odio. Scriptum est ad me a viro quodam docto, in Flandria exspectari persequutionem hispanica inquisitione nihilo mitiorem. Haec ad te scribo ut piorum illorum vinctorum in tuis precibus memineris, commendesque D. *Musculo* et reliquis fratribus et symmystis tuis, quibus meo etiam nomine multam salutem dices.

Huc confluunt quotidie multi, et indies magis atque magis nostra schola crescit et uberiores fructus producit diffunditque quam latissime. Qua de causa merito omnes debemus Domino gratias agere. Salutat te collega, et reliqui fratres omnes amantissime. Vale. Lausannae 3. Augusti 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1236.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae. Tumultus Genevae a nebulonibus quibusdam suscitati. Monetus a Bernensibus captus.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 18, coll. Cod. 111, fol. 231, Epp. Bern. VII. p. 1051 et Simler. Vol. 70.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico singulari.

S. Hunc bonum virum semel tibi commendavi more nostro, hoc est, ut testimonium haberes et doctrinae et probitatis, quale mihi redditum fuerat. Nunc ad vos rursum concedit, ut suam operam, si forte erit usui, Domino et vobis offerat. Hoc fieri existimo tuo monitu. Quare minus laboro ut tibi probem eius consilium. Non erat opus nova commendatione, nisi ut scires eundem semper vitae tenorem ipsum duxisse. Vestrum est experiri quid valeat. Ego ita persuasus sum fidem et diligentiam illi non defore.

De vitulorum nostrorum lascivia non dubito quin iam istuc rumor aliquis evolarit. [1]) Bene est quod, quum vellent tumultus speciem excitare, suam improbitatem prodiderunt nullo damno. Si quid erit cordis in senatu non impune hoc abibit. Mira pollicentur qui volunt boni censeri. Sed vereor ne tam liberalia promissa in nihilum recidant. Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te, uxorem, filiolam servet. Salutabis fratres omnes meo nomine diligenter. Vale iterum. Genevae 5. Aug. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Rodolphum *Monetum* a praefecto Terniacensi captum esse non ignoras. [2]) Quem impune bacchari totum biennium hic vidimus, nunc Dominus aliena manu castigat.

1237.

VIRETUS FARELLO.

Calvinus Vireti animadversiones in Farelli librum contra Libertinos nulla adiecta censura remittit, ipse igitur autor illis quo volet modo utatur oportet. Zebedaei negotium neutiquam procedit.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, et quidem inscripta est haec tergo epistolae Vireti ad Calvinum d. d. 20. Iulii.)

Guil. Farello
Neocomi.

S. Miseram nuper censuras meas in librum

2) *N.* 1228.

1236. 1) *His lucem afferunt Commentarii Senatus ad* 8. *Aug.* Jean Balthasar Sept, Philibert Berthelier, Philippe de la Mare, Tyven Patru, detenuz des Lundi dernier (*i. e.* 5. *Aug.*) a cause de quelque mutinerie par eulx dressee en la place vers N. D. du pont. *Bertelerii causa longius protracta, caeteri simpliciter ad veniam petendam condemnati sunt.*

2) *Raoul Monet, Berterelii illius amicus et socius ob varia facinora et blasphemias capite damnatus fuit.* Lon fit rapport a MM. de Berne que Monet avoit tenu de eux quelque propos contre leur honneur: pourquoy par le commandement de ses superieurs le baillif de Ternier l'empoigna, luy estant dela d'Arve, et lenvoya prisonnier a Berne (*Bonivard, Police de Genève p.* 101 *ss.*).

tuum adversus Libertinos ad *Calvinum*, de quibus tecum statueram Berna rediens Neocomi conferre, si eas domi non fuissem oblitus. Miseram ante ad eum ut suam super iis sententiam significaret, quia sperabam eum emendaturum, si quid forte animadverteret emendatione dignum. Deinde ad te quoque missurus eram audita eius sententia. Quid autem responderit et quid sentiat, ex hoc eius ad me literarum fragmento intelliges. Librum *Farelli*, inquit, non oscitanter te legisse ex censuris patet. Sed praestaret quae scribis mihi illi indicari, ut ipse quae tu correcta cupis corrigeret. Ego qui mea scripta expolire nequeo, qua dexteritate in alienis versarer? Tu fortassis hanc provinciam minus difficulter suscipies. Proinde et consulo et hortor et rogo, ut eadem quae ad me scripsisti abs te intelligat. Literas tuas ideo remitto tibi ut inde sumas quantum expedire videbitur. Hactenus ille. Audis quae sit eius sententia. Nullam interea mittit suam aut libri tui aut censurae meae censuram. Quae enim scripseram, eo scripseram consilio, ut tuam et illius censuram subirent. Satis erat mihi vobis proponere animadvertenda et excutienda. Non enim mihi tantum assumo ut ferre sententiam ausim. Dixi tamen quod videbatur posse magis patere adversariorum calumniis, et indicavi quae videbantur maiorem curam requirere. Quando autem consulit *Calvinus* ut faciam quod alioqui facturus eram mea sponte, meas ad illum literas, quas remisit, ad te mitto, ne bis eadem mihi sint scribenda in tanta occupationum turba.

Nam tam multa mihi fuerunt Bernam scribenda classis nomine, ut vix diebus aliquot respirare licuerit. Quae si feliciter cadunt omnia, praeclare nobiscum et cum ecclesia agetur. Sed Pyrrhus noster nullum relinquet intentatum lapidem, quo si potest coelum terrae misceat. Quo magis hominem urgemus, et quo magis pudefit, eo magis prodit signa mali et deplorati animi. Sed Dominus eum contundet. Nihildum scribo de nostris consiliis, donec et de eorum exitu scribere concedatur. Ora Dominum qui omnia dirigat in suam gloriam, et Satanam conterat sub pedibus nostris.

De libro tuo boni consules, quod liber scribo, et quid sentias faciendum significabis. Est apud *Calvinum*. Expendes si quid sit in meis censuris animadversione dignum. Mitto et epistolium ad te et *Christophorum*, quod *Guarini* rogatu scripseram, sed quia hinc abiit dominico die antequam surrexissem, relictum est domi. Salutant te nostri omnes, praesertim uxor et filiola. Vale. Lausannae 8. Augusti 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1238.

CALVINUS BULLINGERO.

Praefationem mittit Consensus declarationi praefigendam: item duo capita textui addenda. Addit quaedam de rebus gallicis et de Socini negotio.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 105 olim Scrin. B Epp. T. I. fol. 417. — Simler Vol. 70. — Anglice in ed. Edinb. II. 229.)

Egregio Christi ministro D. Heinricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori fratri et symmystae carissimo et observando.

S. Sero de tabellarii discessu admonitus fui. Tempus enim scribendi mihi erat incommodum. A coena scilicet praesertim quum minus bene valeam quam optandum foret. Id quidem fere ex more. Sed hodie aliquid accesserat. Epistola quam informaveras, iam ante fuerat a me composita. Tibi vero privatim scribere distuleram, donec praesto esset fidelis nuncius qui perferret. Nunc oblatam occasionem, licet non prorsus ex voto esset, praeterire nolui. Experieris rursum an Bernatibus sub hac nova praefatione editio placebit. [1]) De te enim ac collegis tuis non dubito. Mihi enim lineamenta vestra sequutus videor, inductis tantum meis coloribus. Caeterum quid nuper ad te de duobis capitibus [2]) scripserim memoria tenes. Sic mihi persuadeo, neminem istic fore qui non ultro addita cupiat. Idque magnopere interest, ne alii nos callide subticuisse putent, alii merito desiderent, quod exprimi omnino necesse est. Tertia correctio in uno aut altero verbo nihilo plus habebit difficultatis. [3]) Totum negotium sic tibi commendatum esse scio, ac reliquis fratribus, ut vestro iudicio prorsus acquiescam. Itaque optimum fuisse putabo quod statueritis. Puto etiam vicissim non esse vobis ambiguum quid quaeram.

Hinc vix quidquam novi audeo nunciare. Adeo multa quotidie vana sparguntur. Hoc quidem certum, non procul nos abesse a variis periculis, nisi Dominus occurrat. Bene habet quod secure vivere licet Christianis quia secure mori possunt. Gallus ita insanit ut dicas velle cum Deo gigantum instar confligere. Mira interim martyrum constantia. Quod regi nunquam acciderat, quidam sponte in

---

1238. 1) *Saltem epistola illa postea taliter qualiter in vulgus prodiit.*

2) *Vide annotata nostra ad Consensus Art.* 5 *et* 23. (*Cf. N.* 1211).

3) *Variantes omnes, quotquot reperiri potuerunt, sedulo collegimus ad marginem nostrae editionis. Quam hic dicit tertiam, scil. ex ep. supra laudata repetitam, ea est de qua diximus Vol. VII. p.* 738, *not.* 5.

sacrificium se destinavit, ut saltem libere tria verba pro Christo proferret apud eum, quum ad spectanda incendia properaret.

Laelio non scribo, et fortassis nondum ad vos se recepit. Si istic esset, vellem conveniret librarium de pecunia cuius sum fideiussor, sicuti prius mandavi. Conqueritur is indicaturam iniquam esse, noster vero negat. Ego medius haereo. Sed quia fidem meam interposui de solutione appellor.

Vale, frater in Domino plurimum honorande et ornatissime vir, una cum symmystis omnibus, quos diligenter salutabis nostro omnium nomine. Dominus vos conservet, vobis perpetuo adsit et vobis utatur in gloriam nominis sui. Amen. Genevae 13. Aug. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1239.

BULLINGERUS CALVINO.

Exspectat eius literas et paratus est ad omnia quae de consensu suasurus est ille cum collegis sine mora expendenda. Commendat Plancium.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 129, olim Scrin. B. Epp. Tom. 30, fol. 234. — Simler. Vol. 71.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fidelissimo ministro domino et fratri colendissimo suo.

S. D. Tuas desiderio magno exspectamus, [1]) dilecte frater *Calvine*. Speramus enim te accepisse nostras literas [2]) et nostrum intellexisse consilium. Quae tu in postremis tuis scribebas de adiiciendis nonnullis aliis declarationi nostrae, expediemus ubi habuerimus tuum responsum ultimum. Tunc enim de omnibus et singulis fiet generalis consultatio. Mature accipies responsionem et sententiam nostram. Vide autem ut tuas credas nunciis fidelibus. Videntur enim diu haerere et quasi neglectae iacere in itinere.

Hunc D. Guilhelmum *Plancium*, [3]) quondam professorem Lutetianum, patria Gallum, virum et doctissimum et piissimum tuae humanitati tanquam me ipsum commendo. Vale, una cum fratribus omnibus, praesertim D. Nicolao *Gallasio*. Tiguri 14. Augusti anno 1549.

Bullingerus tuus.

1239. 1) *eas scil. quas modo legisti.*
2) *Ultima Bullingeri, quae quidem exstat, Nonis Iuliis data fuerat.*
3) *medicum Cenomanensem qui Hippocratem, Galenum et Philonem vertit, teste Ioechero.*

1240.

BUCERUS CALVINO.

Fuse exponit iudicium suum de consensu Turicensi et nonnulla quae ipsi non plane satisfaciunt verbosius notat. Tum addit quaedam de statu religionis in Britannia et ritibus ecclesiae anglicae peculiaribus.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Gratiam et consolationem tibi augeri a Domino semper precor, venerande et carissime frater et collega.

Literas tuas datas ad me 4. Calend. Iul. [1]) accepi, et formulam confessionis vestrae cum Tigurinis, per *Valerandum* nostrum Idib. Augusti. Magnopere vero me utroque scripto tuo recreasti, nisi quod me merito affligit, te optatissimo et sanctissimo adiutorio destitui: tametsi sciam gratulandum illi et nobis quod pater coelestis eam tantis cruciatibus liberatam in aeternam quietem ad se suscepit. Is me illi cito iungat, defunctum meo, ut apparet, cursu. Magnas vero gratias ago Domino quod tria ista de primario sacramentorum usu, efficientia et Christi manducatione per fidem obtinuistis, adeoque in hac actione nihil desidero. Video ubi funem disputationis adstrinxeris, video ubi laxaris, satisque novi, nisi ita laxasses ubi maxime erat opus, adstringere funem istum non potuisses. Plurimum autem placent duae appendices quas misisti. Utinam priorem illi non respuant. Eam certe ego statim ut formulam legeram desiderabam. Tria autem oro Dominum ut aliquando illis doctissimis alioqui et optimis viris persuaderi possint.

Unum, ne tam sollicite fugiant in doctrina de utroque sacramento verbis uti Christi et scripturae: nos in his Christum ipsum recipere, ut in eo maneamus et ille in nobis, ut membra eius simus, caro de carne eius, unumque cum eo. Quis enim potest magis vel proprie, vel etiam ad fidei aedificationem in omnibus etiam lactentibus magis apposite loqui spiritu sancto, filio ipso Dei? Quidquid enim vere-

1240. 1) *deperditas.*

aris posse occasione horum verborum indignum aut non consentaneum coelesti gloriae Christi aut veritati humanae naturae veriquc corporis inferri, sive per iudicii imbecillitatem, sive per impietatem hominum, id omne poterit item spiritus sancti et Christi verbis abunde excludi et repelli, si addamus, istam Christi Domini praeceptionem et communionem non esse huius mundi, non sensus, non etiam rationis, sed regenerationis coelestis et fidei, quum ii soli percipiant quos pater una cum ipso vivificavit, a mortuis excitavit et in coelestibus collocavit. Reliquit enim Dominus mundum, adiit patrem. Sedet ad dexteram eius in coelestibus, in qua gloria patris manens incorporat nos sibi, habitat in nobis, pascit nos se ipso. Hac clare sonante confessione quae possit subsistere aliena a Christi coelesti gloria aliena cogitatione? Si iam adiicio Christum Dominum verum hominis filium, eundem qui natus est ex virgine, verum hominem, vero humano corpore praeditum, eoque finito et definito, eiusdem omnino naturae et proprietatis cum nostro, tantum peccato excepto, regnare in hac coelesti gloria et perficere salutem nostram, quae non plenissime excluditur opinio male congruens cum veritate humanae naturae et veri corporis humani in Domino? quum neque ipsis Domini verbis et spiritus sancti licet quam plenissime confiteri et veram in Domino hominis corporisque humani naturam et gloriam coelestem, et simul eius inter nos praesentiam, inhabitationem in nobis, manducationem. Fateor, horrori mihi est, quum video vel istos vel alios verba ita Domini et spiritus sancti tam sollicite defugere, quibus nobis illud summae consolationis et vitae aeternae mysterium commendatur, communionis cum filio Dei, quam nobis offert verbo, baptismate, eucharistia, qua una sumus cum eo caro, membra eius manemus in eo, habemus manentem ipsum in nobis. Experti sumus tantis ecclesiae malis quantum officiat religioni purae, si vel in minimo (ut videtur) apiculo a verbis Domini, etiam loquendo tantum de salutis nostrae mysteriis, recedatur, et nostrae prudentiae aliqua in verbum Dei concedatur moderatio. Experimur quoque quotidie in innumeris hominibus, quantam ut totius ministerii contemptionem, ita omnis disciplinae Christi exsibilationem Satan invehat, occasione eius doctrinae et eorum librorum quibus magis absens quam praesens in mysteriis suis Christus praedicatur, magisque laboratur explicando quid ministerium non praestet, quam quid Christus per illud conferat rite administratum et fide perceptum. Sed et nefas mihi est cogitare, spiritum sanctum non singulare salutis nostrae momentum operari, etiam illis ipsis plenioribus communionis Christi metaphoris. Haec sunt causae cur et ego libenter utar, ut de caeteris, ita et de hoc mysterio Domini verba faciens, verbis omnibus Domini et spiritus sancti quam religiosissime, malimque omnes indignas Christo cogitationes quae inferri queunt, occasione troporum tam grandium excludere explicationibus talium troporum, et eis ex ipsis Domini verbis desumptis, quam declinatione ulla ipsorum Domini verborum. Quumque videam ad quem omnium Christi mysteriorum contemptum illam dilutiorem loquendi rationem de mysteriis Christi et eius in his praesentia atque efficacia . . . . . [2] usurpet, horreo profecto dum video eam ullo modo confirmari aut spargi. Quo maiores Deo ago gratias, si dederit ut appendicem priorem [3] tuam Tigurini admiserint.

Alterum quod in illis requiro, est ut satis haberent fateri Christianos Dominum ut hominem tenere coelum, non esse in mundo. Non esse utique aut in multis locis simul localiter, non diffusum ullo modo, habere finitum et definitum corpus. Ne facerent novum fidei articulum de loco certo coeli, in quo contineatur et comprehensum sederet Christi corpus. Nec enim video cur nomine coelorum aut potius superiorum coelis (ascendit enim super omnes coelos) in quibus sedet Christus ad dexteram patris, comprehensionem potius loci quam conditionem divinam intelligere debeamus, et gloriam coelestem quam intelligimus tum quum dicimus: Pater noster qui es in coelis. Nec certe video etiam ss. patres, quum proprium et unum tribuunt Domino locum in coelis, plus dicere voluerint, quam Dominum secundum humanam naturam non esse ut Deum ubique et in omnia diffusum. Deinde constat, quidquid etiam senserint, illis loquutionibus nullum tamen posse articulum fidei ex illorum verbis aut sententiis constitui. Affigentibus itaque Dominum uni loco coeli nolim quidem multum adversari. Ei enim praesentiae Domini in mysteriis suis, quam ego agnosco, quae solius fidei est, non sensuum, non rationis, nihil omnino detrahit etiamsi dem uno coeli loco contineri Dominum, sicut sol uno semper loco comprehenditur, et est tamen simul praesens conspectui tot millium hominum. Assentiri autem nequeo si ex hoc vel sanctorum patrum vel ipsorum dogmate velint articulum fidei facere, ut certe velle videntur, magis tamen in ea quam a *Musculo* interpretationem expresserunt, quam in vestra formula. Obstat enim mihi religio affirmandi de Christo quod scriptura certo non docet, et quod video Satanam apud eos qui papae valedixerunt non minus nocere verae pietati, faciendo Christum absentem sanctis et sacris mysteriis et inclusum aliquo coeli loco, quam noceat

2) *vox dubia.*
3) *Novum artic.* 5 *significare videtur.*

apud papistas affigendo eum sacramentis. Ut enim hi panis, ita illi cogitationum suarum idolum pro Christo adorant, cuius scilicet mysteria plane contemnunt, aut certe non ea illis religione qua oportebat utuntur. Sed infinitus hodie numerus est eorum, ubicunque illa dilutior loquendi de sacramentis ratio, et absentiae Christi a nobis affirmatio obtinuit, et ubi magistratus non aliqua ratione ad communicandum mensa Domini compellit qui coena Domini nunquam utatur. Quumque nemo Christum in coena unquam posuerit adesse localiter aut ullo terreno modo qui adscensioni Domini in coelos adversaretur, mihi semper, postquam ista mysteria diligentius excussi, visa est illa obiectio, de adscensu Domini in coelos, contra falso excogitatam Domini praesentiam in pane vel coena non idonea: quum Dominus, ex eo ipso quod in coelos ascendit, praestet se, ut ipse dixit, nobis praesentem verbo et sacramentis suis. Nec video etiam quid possit falsae Christi praesentiae hic excogitari, quod non totum evidentissime excludatur, si dicamus: Dominus offert hic se tantum discipulis suis praesentem, et non nisi verbo et sacramentis suis, eaque horum administratione quam ipse praecepit, et non nisi fide percipiendum et fruendum, percipiendumque et fruendum non solum ut passus est pro nobis, sed etiam ut regnat in coelis, et in ipsa coelesti gloria sese nobis ita praesentem exhibet per speculum et aenigma verborum et signorum visibilium, ut est caput nostrum, et ut nobis membris suis quae capitis sunt plenius praestet et perficiat, ac proinde abominanda idola esse si Christus ipsi pani vel panis speciebus ulla cogitatione includatur, vel etiam in ipso coenae usu, nedum extra usum. Discipulis enim dixit Dominus, non symbolis: Accipite etc. hoc est corpus meum. Non dixit de pane, sed de eo quod pane ut signo exhibitionis praebebat discipulis, quod clare evincunt subiecta verba: quod traditur etc. Remota iam ab hoc mysterio omni cogitatione praesentiae Christi ullius quae mundi huius sit, ab humanave possit mente excogitari, et confessa [4]) sola fidei praesentia, quae Christum in coelesti sua gloria comprehendit, utcunque hominis sit ea fides agentis adhuc in terra et in mundo, et utatur Dominus propterea ad hanc sui exhibitionem mundi huius vocibus et signis, equidem non video quid ruinae patere possit in hac doctrina cuiquam, quamvis acuto diabolo ut inferat aliquam indignam his mysteriis cogitationem. Praesertim quum simul omnia illa plenissimo ore confitemur quae scriptura habet de gloria Domini coelesti, et damnamus quaecunque iniecta sunt in hanc doctrinam et usum sacramenti humanitus. Haec me ergo detinent in hac religione ut non possim probare, vel exigi de loco coelesti Christi quae scriptura non tradit, vel etiam concludere velle ex locis de coelesti Domini gloria, Dominum suis in coena esse simpliciter absentem. Nec satisfacit illa interpretatio eorum locorum quibus promisit se futurum apud suos quotidie usque ad consummationem saeculi, et in medio eorum quoties in eius nomine conveniunt, et habitare in cordibus nostris per fidem, et mansionem nobiscum facere cum patre etc. quum dicitur, Dominum esse apud suos secundum divinam naturam. Secundum hanc enim est ubique. His autem promissis pollicetur sui ut mediatoris, ideo etiam ut hominis, praesentiam, sed praesentiam quam sola fide et fruitione Christi ex fide percipimus, quam nulla impedit locorum distantia, nec etiam adiuvat (per se quidem) ulla propinquitas.

Tertium quod desidero in illis viris est quod *Luthero*, et ecclesiis quae hunc sequuntur, tot myriadibus sanctissimarum animarum gravissimam fecerunt iniuriam, dum sic eorum verba damnant et damnanda exigunt, quasi illi Christum vel localiter vel simili ratione aliqua ac proinde impia symbolis includerent aut affigerent, aut ullam cogitationem Christo indignam hic inveherent. Tractavi et retractavi totam hanc disputationem cum tam multis etiam doctissimis Lutheranis, verbis et sententiis tamen nihil aliud deprehendi apud eos quam quod volunt Christum vere dari ac percipi in coena, sive dicatur in pane, sive sub pane, sive per panem, et ita dari atque accipi ut nihil sit omnino de ascensu vel descensu Domini cogitandum, nihil etiam quod sensus hic vel ratio Dominum percipiat nisi per fidem. Tantum in admittendis nostris explicationibus orationibus de modo praesentiae duriores se praebebant et evacuationem sacramentorum falso impingebant, sicut isti etiam nostri illis praesentiam tribuunt, de qua nunquam somniarunt. Initio contentionis, fateor, tenebras offundebant ex eo quod, quum Christus totus sit ubiubi sit, Deus et homo, inferebant: si verbum est ubique, ubique etiam est Deus et homo etc. Post autem re melius explicata damnare coeperunt omnes ubiquitatem Christi hominis, ut id *Philippus* vocat. Quam quum ego semper reprehenderim, Iohannes *Hoperius* [5]) Anglus, qui Tiguro rediit nuper in Angliam, ausus tamen est de me palam spargere, me dicere Christi corpus ubique esse ut Deum. Illa non sunt spiritus

4) *sic.*

5) *Hooper, pòstea episcopus Glocestriensis et martyr, m. Maio ex Helvetia et Germania redux de Buceri studiis sacramentariis parum benevole sensit, quippe qui ipse Zwinglii formulam teneret. Cf. ep. quam ex Antwerpia ad Bullingerum scripsit de 26. Apr.* 1549 *in qua aegre fert Vermilii et Ochini Lutheranismum quem dicit, et iam tertium (nempe Bucerum) adesse queritur qui nullum non lapidem movebit ut suam ipsius sententiam praevalere faciat (Zurich letters I.* 61).

sancti. Etiam ipse *Bullingerus* in Angliam scribit, cupere se scire quomodo me geram: quasi vero oporteat et hic mihi excitari Satanas, et quum satis sit me in hac aetate extorrem esse patria, eiectum carissima ecclesia, schola et republica in qua tamen aliquid laboravi gratia Domini, exclusum a dulcissimis amicis et fratribus, et agere in gente quidem humana et amica, tamen ignotae linguae et alieni valde victus et moris, et in qua non videam certe quod possim Domino facere magnum operae pretium. Caritas vero scis quam late patet, scis quae in fratribus fert, quae dissimulat, scis ut captat consensum cum omnibus filiis Dei. Proinde mea est haec cura ut, sive doceam sive scribam aut disputem de hoc mysterio, ut verba ea usurpem quae sunt Domini et scripturae, eaque sic explicem item verbis scripturae et exclusionibus apertis omnium errorum quos possum metuere circa ea posse invehi, ut quoad queam declarem me quam plenissime consentire, primum cum Domino ipso et spiritu sancto, deinde cum vera et orthodoxa etiam veterum ecclesia, postremo cum filiis Dei praesentibus omnibus, quarumcunque videantur esse adhuc partium ex humana imbecillitate, utque videar etiam cupere vitare modis omnibus ne cui quidquam in his tribuam, aut in ullius dogmatis trahar suspicionem, quod ipse non agnoscat. Dies sunt mali. Perpauci et infirmi nimis sumus qui Christi regnum appetimus. Disciplina eius ubique etiam a nostris defugitur. Ministerium Christi, ministerium non literae sed spiritus et novi testamenti, ubi quaeso habetur suo loco? Haec me movent ut summam cupiam religionem adhiberi in tractandis Christi mysteriis omnibus sane, maxime autem in isto tot implicato controversiis et impedito offensionibus, ne quid praeter Domini spiritum et verba, ne quid quod ullum queat offendere Christi minimum aut nostram in Domino dedecere coniunctionem et caritatem.

Vos religiosius et lentius ac amicius omnia conscripsistis: ab optimo autem *Musculo* talem.....[6]) interpretationem, quae iniquissime sane famam sparsam de eo confirmat, quod retractarit scilicet sua quae in Matthaeum purissime et sanctissime scripsit de hoc mysterio. Nec poterit ea non etiam in gravem apud multos optimos homines Christi et ecclesiae incidere offensionem. Dominus misereatur nostri, liberetque omni nos superstitione, omni telo etiam et contentione omnique fratrum fastidio et tepore caritatis, ab omni *κενοδοξίας, φιλαργυρίας καὶ φιλονεικίας*.

Habes quae videntur mihi de vestra compositione, et verbosius, meo solito vitio, quam petieris. Mihi vos satisfecistis: sentio quae vos, modo illi priorem tuam appendicem recipiant. Ago gratias maximas Deo quod haec tanta, quibus certe tota doctrina horum mysteriorum continetur, potuistis impetrare, oroque Dominum ut plenius illi haec recipiant et firmius retineant quam confessionem Basileensem in qua eadem omnia dederant. Quae velim omissa, vel potius magis explicata, in vestra formula de loco coeli et condemnatione loquutionum, quibus tam multas sanctissimas ecclesias et doctores Christi insimulant impiae doctrinae, exposui his literis. Eaque scio facile a vobis posse impetrari. Sed dum non possunt et ab illis, gratulemur ecclesiis et nobis quod tamen eousque accesserunt. Quod si factum fuisset tum quum huc iter sum ingressus, apud vos certe et Basileae interquievissem hanc aestatem, et collegissem me praeterito biennio quum tam gratuitum fuerim exagitatus. Sed quum nihil tale sperarem, [*non*] audebam invidia nominis mei vel vestras aerumnas augere, vel Basileensium quietem in periculum adducere. Novi enim illorum Tigurinorum (quos ego tamen in Domino veneror ex animo) zelum, qui a me nihil recte et simpliciter geri persuaderi sibi patitur. Dominus liberet eos et me omni [*non*] christiano iudicio et affectu.

Scripsit ad me et optimus ac venerandus *Farellus*, cui volo has communes esse, ut et optimo *Vireto*. Valde recreor enim quum cogito de isto vestro sanctissimo ternione. *Farello* toto corde gratias pro eo officio ago, quod me tam fraterne consolatur et monet. Sed scias, mi *Farelle*, me prorsus tecum sentire de reformatione ecclesiarum: fieri eam debere quam purissimam et plenissimam secundum verbum Dei, adeo ut, si fieri queat, etiam omnis aboleatur memoria, deleantur nomina omnium Antichristi superstitionum. Nam hoc Dominus tot locis suis pollicetur, quum restitutionem pollicetur ecclesiae per Christum. Et in hac me esse sententia abunde declaravi, ubicunque meum est consilium requisitum. Ubi autem illud requisitum non est, nec potuit impetrari quod volebam, ibi, fateor, semper malui obtinere tamen puram doctrinam et verum sacramentorum usum, quidquid praeterea relinqui oportuisset de reliquiis Antichristi, quam, dum non et hae tolli potuerunt, nec doctrinam Christi et verum sacramentorum usum in talia loca introduci. Sed hic nihil rogamur nos extranei nisi privatim, et fuerunt constituta omnia priusquam huc advenirem. Haec pura. In templis omnia aguntur lingua vernacula et consentaneis scripturae verbis, nisi quae in solenni coenae precatione insunt verba, quae ex anglico sic habent latine versa uti legeris in iniecta scheda. Optarim haec purius dici, optarint idem et nostri omnes, sed non potuit tum plus impetrari. De ritibus Antichristi nihil omnino relictum est.

6) *vox dubia.*

Sed nec veteris ecclesiae . . . .[7]) in administratione coenae, nisi quod alba illa veste[8]) non insignita quadris illis ad pedes, et cappa chorali ut vocabamus, alicubi casula, utimur ad sacram coenam: et avertunt se orando a populo ad orientem. Ad baptismum autem retinuerunt vestem albam, quae traditur baptizatis pueris, et chrisma. Item apud infirmos oleum.[9]) Verbis quidem quibus ista exhibent nihil habetur insanum. Tamen optarim potuisse simplicitatem obtineri apostolicam. Non elevatur, non asservatur eucharistia. Sed oretis Deum pro his ecclesiis singulari studio, ut conciones et catechismos possint habere ubique. Sunt enim nimis multi qui a concionibus motus metuentes populares et contentiones velint e libro omnia recitari. Id vero ita fit a plerisque, ut paulo plus aedificent eo fidem Christi quam si latine ea recitarent. De disciplina autem vera Christi optimi quique desperant, nisi magnis flagellis Domini, vel spiritu potius eius novo et amplo, plerumque doceantur meliora. Ingenia hic permagna et acria sunt. Sed accedunt non omnia ad hanc causam, ut Petrus, Andreas ac filii Zebedaei. Parochiis praefecti sunt qui erant in coenobiis: eos non velint inde depellere. Bona enim coenobiorum in aliorum sunt manibus. Pro novis ministris desunt stipendia, et metuunt etiam ab his turbas sapientes. Plane hic novalia sunt quae requirunt spiritus valde magnos, et praecipue in civibus. Peregrini nos, ego aetate, etiam laboribus et proximi triennii calamitatibus valde debilitatus, quid faciam? Ut papae omnia reiiciantur, et ut Christus cum omni sua disciplina regnet in coelis, urgetur satis acriter a multis: sed ut regnet et apud nos omni verbo suo, sacramentis et disciplina, non ita nunc hi norunt perpendendum.

Commendate me precibus vestris Domino: nam in hoc mundo non habeo fratres et membra modis omnibus in Domino coniunctiora. Adnumero autem vobis D. *Petrum Martyrem* eadem ingemiscentem, *Paulum*[10]) meum et reliquias Argentinenses cum D. *Philippo*.

Gravis motus adhuc superest seditiosorum, quos vereor agitari spiritu libertinorum. Cornubienses qui papatum volunt restitutum repressi quidem sunt caesis [*quinque*][11]) millibus. Sed nondum dedunt se, verendumque ne ad gra[*viora*] consilia respiciant. Sed Domini sumus, ubiubi sumus. Interim Gallus suum agit negotium, et in quo dormiat suorum antiquus hostis. Velim te, mi *Calvine*, scribere gallicam paraclesin ad dominum Protectorem,[12]) in cuius humeros tota moles incumbit, et renovatae religionis et perturbationis quae nunc regnum exagitat, et confirmare cum contra has Satanae tentationes, sed simul ostendere quod haec Domini flagella sint, nos semel suo iugo totos volentis subiicere, rebelles enim nos sibi rebellione punire nostrorum. Oportere igitur solidam ecclesiae reformationem instituere, ut singulae plebes viva voce doceantur Christum per praesentes ac vivis concionibus atque catechismis, sanctaque Christi disciplina. Christum non ferre ut hic praeeat sibi humana prudentia, nec esse quidquam metuendum intranquilli a regno Christi: constitui certo debere et dogmata et disciplinam et puniri tumultuantes. Sic res fore tranquillas. Flagitia quoque punienda severiter. Nam adulterium a multis pro re non punienda publice habetur. O frater! quod desertum quam horridum redditur, ubi non viget legis Christi praedicatio viva et efficax. Ex paucis multa intelligis. Dominus dedit tibi magnam autoritatem apud dominum Protectorem. Ea igitur utere, quum et linguam habeas quam ille intelligit: latine non novit satis. Orate pro nobis et optime valete. 14. Augusti 1549. Lambeti apud Londinum.

T. T. T.

Mitto theses quasdam datas nuper amico cuidam. Iudicate illas et iam liberrime et tam copiose rescribite ad haec, ut ego scripsi de his rebus omnibus ad vos. Magnae id mihi consolationi erit et utilitati.

Ad lucubrandum ecclesiis servet et expediat te Dominus, cui datum est hoc donum. Quum submovenda erant rudera, et fundamentum tum etiam collocandum, tibi dedit Dominus fundamentum latius et multo melius ponere, et ubi positum est ei superaedificare aurum, ne quid gravius, argentum. Ego defunctus cursu te exspecto apud Dominum. Salutat vos officiose D. *Pet. Martyr*, *Fagius* meus et D. Pet. *Alexander*.

---

7) *defecit charta.*

8) *De veste sacerdotali in ecclesia reformata adhibenda disceptarunt Hoperus et Ridleius, a.* 1550, *et Bucerus scripsit:* de re vestiaria in sacris, ad praescriptas aliquas quaestiones a R. D. Cranmero Archiep. Cant. Bucero propositas. (*Strype Mem. cap.* 17 *p.* 305.)

9) *Quod Calvinus valde improbabat, ut et preces pro mortuis factas, quia haec meris politicis de causis ex papismo servabantur. Cf. Burnet, hist. ref. eccl. angl. P. II. p.* 51. *Weber Gesch. der akath. Kirchen v. Grossbritannien II.* 40.

10) *Fagium.*

11) *numerus h. l. abscissus sed ex N.* 1280, *not.* 5 *restituendus.*

12) *Scripsit quidem sed tardius post depulsum Protectorem.*

1241.

CALVINUS FARELLO ET VIRETO.

De historia Spicrae edenda.

(Describimus apographon Iac. Perizonii ex Codice MS. bibliothecae Lugduno-Batavae quem nobiscum humanissime communicavit Vir clar. W. N. du Rieu, unus bibliothecae illius praefectorum. Unde textum suum sumpserit, sive huius, sive septem aliarum epistolarum, quas in nostrum thesaurum retulimus, codicis concinnator his verbis indicat: *Sequentes, epistolas ἐκ τῶν αὐτογράφων descripsi omnes ..... Autographa autem ipsa Geneva secum attulerat Ieremias Planchius, quae Petro Plancio fratri eius ipso defuncto tradidi.* Ubi vero haec nunc sint ipsi Batavi nescire videntur. Signatur codex Periz. 5 et epistolam hanc exhibet fol. 3. De libri huius exsistentia nihil resciveramus quum Prolegomena in hunc thesaurum scriberemus: hanc igitur primam avide arripimus occasionem Viro clarissimo, cui eius notitiam adeoque ipsum volumen ad tempus concessum debemus, gratum animum publice testandi. — Anglice haec versa legitur T. II. p. 231.)

Eximiis Domini nostri Iesu Christi servis Guilelmo Farello et Petro Vireto fratribus plurimum colendis.

S. Hic epistolam habetis quam *Bullingero* misi. Statueram quidem non prius mittere quam vobis placere intellexissem. Verum oblatus praeter spem nuncius qui subito abibat consilium hoc pervertit. Poterat fortasse melior ab alio componi: vobis tamen tolerabilem visum iri spero. Diligentia tua confisus, *Virete*, exemplar nullum retinui. Tu igitur exscriptum curabis quod in manus *Farelli* veniat, ut meum hoc *αὐτόγραφον* recipiam.

Novi quod scribam nihil est, nisi nugas nescio quas congeram, quae et mea manu et oculis vestris indignae sunt, praesertim quum rumore perferantur. A Paulo *Vergerio* nuper literas accepi cum historia Francisci *Spierae*, quam hic excudi cuperet. Hac praecipue de causa se solum vertere coactum significat, quod hoc scripto irritatus papa insidias illi capitales tenderet. Nunc apud Rhaetos habitat, se tamen magno visendi nostri desiderio teneri dicit. Historiam nondum perlegi: quantum tamen ex qualicunque inspectione iudicare licet, aliquanto prudentius et gravius scripta est quam in epistolis a *Coelio* versis. Ubi accuratius legero, de praefatione quam a me flagitat cogitandum erit.

Valete, fratres et amici integerrimi. Deus vos et familias vestras servet vosque spiritu suo regere pergat usque in finem. 15. Aug. 1549.

Ioannes Calvinus vester.

1242.

VIRETUS CALVINO.

Variae nominationes et mutationes in ministerio et schola Lausannensi etc.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 178.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. Mirae factae sunt in classe nostra commutationes. [1]) Senatus Bernensis omnia comprobavit, ac in eundem omnino modum, quaecunque a nobis erant provisa, neque quisquam ullam accepit repulsam, neque quidquam omnino nobis negatum est. Erant tamen plurima in quibus non tam felix exitus videbatur sperandus. Satis suo fungeretur munere senatus, si nullus perturbaret. In *Nicolai* locum Blasium *Maletum* subrogavimus, in *Blasii* locum *Feretum*, in *Fereti* Dominicum *Bruxerum*, cuius hic docet puellas uxor satis feliciter. Erexit enim scholam ex qua fructus exspectatur uberrimus. Nihil autem commodius potuit provideri quam ut maritus talem haberet inter ecclesiae ministeria locum ut ab urbe non esset emigrandum. Is ex eorum numero est qui Monsbelgarda huc se ad nos contulerunt. In *Fortunati* locum substitutus est *Marloratus*, in huius locum *Rossellus* communis diaconus, et huic *Bertrandus* collega *Martorei* subrogatus, quia nullus ei locus aptior Lausanna videbatur, in quo eius morbi maior haberi ratio posset et inveniri quo sine ulla ecclesiae iactura commodius leves explere vices tantisper, dum aut ad Dominum emigret aut convalescat. Franciscus *Sampaulinus* collega adiunctus est Francisco *Martoreo*, *Quintinus* vero successit *Sampaulino*. Nondum statui a nobis potuit commode quis classi praeficeretur quam *Quintinus* moderabatur.

Spes est fore ut hic vir bonus usui sit aliquando scholae nostrae. Sed nondum certi quidquam potuimus in praesentia de eo statuere. Ubi res id postulare videbitur, a nobis evocari poterit. Non opus erat ut tam cito huc evocaretur. Qui evocavit, non id erat a nobis facere iussus, nisi forte

---

1242. 1) *Plurima quae hic sequentur nomina aliunde non cognita sunt. De Fortunato et Nicolao removendis nuper saepius dictum. Feretus aliquis Parisiis in Helvetiam missus occurrit ap. Herminj. III.* 225. *Iac. Dom. de Brussy, ministrum in Vandoncourt, in agro Monsbelgardensi praebet Goguel p.* 41. *Marloratus antea in Crissier, postea Viviaci, unde a.* 1559 *in Galliam emigravit et a.* 1562 *Rotomagi supplicio affectus est.*

aliquid audierit quod eum moverit a Quintino. Ego eram eius rei ignarus. Nihil tamen venisse nocuerit.

Merlinum[2]) creavimus hebraeum professorem, sed ea lege ut si aptior advenerit ei cedat, si fratribus videbitur, et locus ei aptus inveniatur ubi ministerio fungatur. Vincentius *Ortinus*,[3]) qui et a Monbelgardensibus venit, eius locum occupat. Designatae sunt nostro rogatu aedes *Comitis* a senatu hebraeo professori. Vides quam multa obtinuerimus. Sed audi quod te magis delectabit. Iterum statutum est et confirmatum serio totius senatus mandato et omnium ministrorum professorumque Bernatium consensu, ut semel tandem a nobis *Zebedaeus* transferatur. Sed per eum non stetit quominus rursum horrendas tragoedias nobis cum suo *Hieronymo* Italo[4]) Bernae excitarit. Scripsit et alias literas suo more de coenae negotio Bernam plenas calumniarum impudentissimarum. Nostri qui missi fuerant, *Sampaulinus*, *Merlinus*, *Quintinus* et *Vincentius*, res invenerunt admodum turbatas apud ministros. Sed composita sunt omnia feliciter. Longum esset totam scribere historiam, tum quid a nobis actum in classis consessu adversus *Zebedaeum*, tum quid Bernae. Proinde in aliud differo tempus. Scriptae sunt ad nos literae ministros et professores Lausannenses a ministris et professoribus Bernensibus communes, quibus nos aliter tractant *Zebedaei* causa quam nobis meriti videamur. Sed faciam ut has aliquando legas. Scripsit privatas ad me *Hallerus*, quarum ad te mitto exemplum, ex quibus multa cognosces. Sed bene habet quod haec sumus assequuti. Respondebimus omnibus placide, sed ut res postulare videbitur. Fac ut de rebus etiam vestris aliquid cognoscamus. Audivimus de quodam motu apud Gervasianos.[5]) Fac me ea de re primo quoque tempore certiorem. Scripsit ad me *Farellus* de libro suo, sed nunc non vacat pluribus ea de re tecum agere. Misi enim ad illum meas censuras ut consulebas. Nostri te omnes salutant. Saluta fratres et amicos. Vale. Lausannae 15. Augusti 1549.

Tuus Petrus Viretus.

2) *Io. Raim. Merlinus Vireti fuit diaconus.*
3) Vincent Ortin, ministre à Clairegoutte et Etobons (*Goguel l. l.*).
4) *quem cave cum Mariano confundas, Franciscano illo cuius fata supra* XI. 724 *paucis attigimus.*
5) *Fortassis alludit ad eum tumultum de quo N.* 1236.

1243.

CURIO BULLINGERO.

Iudicium suum de consensu in re sacramentaria facto proponit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 117b, olim Scrin. C. Epp. Tom. II. fol. 249. — Aliud exemplar exstat in Bibl. Basil. G. 1, Vol. 28, fol. 98.)

C. S. C.[1]) per Christum Iesum S. D. Quod citius tuis literis non responderim, *Bullingere* optime atque amantissime, partim occupationes meae quaedam, partim quod malebam *Laelio* nostro[2]) dare meas literas, qui se propediem profecturum affirmabat, in causa fuerunt. Itaque quum ad vos reditum adornaret *Laelius*, differendum esse non putavi. Tibi igitur primum gratias ago de eo quod ad me quaedam de communibus Helvetiorum rebus scripsisti, de quibus nunc quid mihi videatur dicendum non est: quin potius rogandus Dominus ut consilia hominum in suam gloriam et ecclesiae salutem pacemque convertat. Quod autem ad scriptum attinet vestrae cum Ioanne *Calvino* in re sacramentaria concordiae, quid est, mi *Bullingere* optime, quod meum iudicium expetas? Nam neque is sum qui de tantis viris ferre sententiam debeam,[3]) neque, si quid minus forte mihi probaretur, id posset immutari, quum quidquid illud sit quod inter vos transactum est, per omnes fere ecclesias sit disseminatum. Novi enim ipse iam ante mensem, Geneva in Angliam usque scriptum illud fuisse transmissum.[4]) Dicam tamen generatim illud: concordiam mihi in ecclesia, ac praesertim inter doctores, summopere eam probari quam divinarum literarum clarae constantesque sententiae probant atque confirmant: cuiusmodi haec vestra in re sacramentaria fuit, quantum ex ipso scripto cognoscere licuit, paucis exceptis quae bene et sobrie intellecta nullum fortassis in religionem detrimentum possunt importare. Animadverti enim ad vestra sinceritatis consuetudinem aliquid externi et peregrini fermenti admistum, non sine magno quodam artificio, fuisse. Appendices vocantur evangelii, sigilla, organa: dicuntur confirmare, continuare ac reparare communionem Christi ipsius: conferri per ea dicuntur bona quaedam, augeri quodammodo Christus in nobis dum illa usurpamus: fructum denique, qui fortassis in ipsa sacramentorum usurpatione non exstitit, nescio in quae tempora differri dilatumque proferri. Quae omnia etsi, ut dixi, excusari aliqua

1243. 1) *Coelius Secundus Curio.*
2) *pro tempore Basileae commoranti.*
3) *Cf. tamen N.* 1227.
4) *N.* 1240.

ratione queant, sunt tamen ab illa simplici divinarum literarum consuetudine, ni fallor, aliena, et talia quae si quis tueri velit, in magnas incidat ambages, et non modo inutiles, verum etiam ecclesiae Dei periculosas contentiones. Sed tamen, ut idem dicam saepius, commoda possunt interpretatione excusari: quam interpretationem, quoniam isto vestro communi scripto affertis, accipio ac vobiscum libenter amplector. At de his plus satis. Novi nihil habeo. — — — — — — Basileae xvij. Cal. Sept. M. D. XLVIIII.

Amicissimus in Domino frater
Coelius S. C.

1244.

VIRETUS FARELLO.

Iterum censuras suas in Farelli librum modeste conceptas et libere tractandas esse testatur, Calvini de eodem silentium dolet.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. III. N. 15.)

Guilielmo Farello Neocomi.

S. Mitto ad te *Calvini* literas [1]) cum exemplari earum quas ad Tigurinos misit. De libro tuo nihil possum certi respondere donec responsum ea de re a *Calvino* acceperim. Censuras meas magis ad te et ad *Calvinum* misi ut censuram ipsae subirent, quam ut censurarum vice fungerentur. Volui tantum indicata quae magis videbantur exposita adversariorum morsibus. Qua in re non dubito quin ipse fallar iudicio saepe, quod mihi quam sit exiguum non ignoras. Mihi dolet *Calvinum* nullum suum iudicium neque de libro neque de censuris fecisse. Hoc ut faciat urgeo. Satis erit si uno verbo indicarit si quid desideret. — — — — — Vale. Lausannae 17. Augusti 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1244. 1) *N.* 1241 *et* 1238.

1245.

VIRETUS BULLINGERO.

Studiosos Turicenses ab eo commendatos ipsi curae fore affirmat et hac occasione data Lausannensium doctrinam, sinceritatem et pacis studium vindicat et contra falsas et iniquas criminationes defendit.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 115, olim Scrin. B. Epp. tom. VIII. fol. 2844. — Simler. Vol. 71.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fratri et symmystae plurimum observando

Tiguri.

S. Literas ad *Calvinum* tuis ad me inclusas, [1]) *Bullingere* doctissime, ut mandabas, cito et tuto perferendas curavi. Neque dubito quin id ex responso mox, nisi iam acceperis, sis intellecturus. Studiosos illos iuvenes quos mihi commendasti, tam mihi esse commendatos existima quam quod maxime, quum communium studiorum, quae nobis omnibus inprimis merito curae esse debent, tum vero vestra omnium causa, quorum tantum habet apud nos ponderis autoritatisque commendatio, ut magni beneficii ducamus loco si qua in re opera nostra uti non dedignamini, nobisque non parum gratulemur, si quid potest in nobis facultatis inveniri, quo vobis morem gerere atque gratificari valeamus. Qua autem utriusque studiis sit a nobis ratione provisum, ex literis meis ad D. *Gualtherum* plenius cognoscere licebit. Quod mones de vestrae ecclesiae doctrina, hac te in parte securum in utramque aurem dormire cupio. Non ignoramus quibus apud multos viros bonos fuerimus non gravati modo falsis delationibus, sed etiam quasi fluctibus ac turbulentissima sinistrarum suspicionum tempestate paene obruti ac submersi, proinde ac si repente facti fuissemus istius doctrinae professi hostes, ac penitus a vobis disiuncti, atque ab ea animorum studiorumque eorundem consensione, quae iam inde ab initio semper fuit inter nos arctissima. Sed bene habet quod aliquando tamen omnes istae pessimarum suspicionum et delationum densissimae nebulae, quibus nostram amicitiam abrumpere pacemque abscindere et evertere funditus miris artibus Satanas conatus est, non solum clara veritatis luce discussae sunt, sed et in fumum, ut ex fumis conflatae fuerant, evanuerunt. Si de nobis nostraque doctrina et studiis omnibus estis bene persuasi, ut merito esse vos, nos vero ut sitis optare debemus, retinete, ob-

1) *N.* 1239.

secro, istam de nobis persuasionem ita vestris animis infixam, ut nullum unquam posthac vestigium caecarum illarum suspicionum in iis adhaerescere patiamini, aut eam vobis e manibus excuti. Nos vero viribus omnibus contendemus ut neque nos vestram de nobis exspectationem fallamus, neque vos eius possit unquam poenitere. Ad quam rem testificandam confirmandamque magis atque magis non parum habebit momenti quod facitis. In quo sane vestram prudentiam magna laude dignam iudicamus, vestrumque consilium vehementer comprobamus. Namque ista studiorum communicatio et literarum tirocinium vestrorum discipulorum cum vicinis scholis, praeterquam quod futura sunt, ut prudenter animadvertistis sapienterque providistis, quasi quoddam ecclesiarum inter se et communis ministerii vinculum arctissimum atque pignus, hunc quoque praeterea fructum afferent, quod certe exstabunt semper aliorum apud alios de cuiusque ecclesiae eiusque ministerii atque etiam doctrinae et disciplinae ratione testimonia, quae viam intercludant falsis delationibus et caecis suspicionibus, quibus vix ulla potest pestis exitiosior ecclesiae evenire. Atque utinam vobiscum nobis quoque paria facere liceret. Quod si fuisset factum maturius, aut in istas nunquam fuissemus turbas coniecti, quibus usque eo et tamdiu concussa est haec ecclesia, aut ab iis fuisset vestra opera nobis extricandis via expeditior. Nam fides fuisset domesticis habita testibus, qui nos non tantum maxime levassent invidia suo testimonio, sed etiam omnes fluctus turbidae huius procellae praevertere, aut saltem facile eorum motus compescere potuissent. Verum ita fuit nos exerceri necesse, quo fierimus probatiores. Qua in causa invidiosa supra modum, quod vos tam aequos nobis praebueritis, vobis immortales agimus gratias, agemusque quamdiu nobis vita erit superstes, quando referre non conceditur. Non enim dubitamus quin Dominus vestra omnium, tua vero potissimum et D. *Halleri*, opera, fide, diligentia, prudentia, consilio, moderatione, eruditione effecerit ut velut allisis fractisque in litore vehementissimis fluctibus serenitas ecclesiae nostrae reddita sit. Sed Dominus, cui vestram impendistis operam, abunde repensurus est. Nos vero, quod nostrae erit facultatis, libenter praestiterimus: quae quam sit exigua non ignoratis. Hoc solum possumus: gratum et memorem beneficiorum animum retinere, idque summa ope eniti, ut nullum unquam in nobis ingratitudinis vestigium residere patiamur. Collegae mei, professores et symmystae omnes, te officiosissime salutant et totum vestrum collegium, vosque obtestantur, ut istam vestram erga nos benevolentiam et propensam voluntatem ad extremum retinere velitis, et nos omnes vestris precibus Domino commendare. Liber tuus de origine erroris in gallicam linguam versus mox Genevae excudetur.[2]) Non dubito quin nostris hominibus gratissimus et utilissimus exeat. Hoc nolui te nescire, ut intelligeres te etiam gallice loqui. Vale. Lausannae 19. Augusti 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1246.

CALVINUS VIRETO.

Notat Halleri imperiosam asperitatem, iuventutis Genevensis proterviam, senatus mollitiem, aliorum stultitiam et intemperiem.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a. fol. 19. — Habent quoque Cod. Turretini 111, fol. 233, Arch. Bern. Epp. VII. 1052 et Simler. Vol. 71.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Legi *Halleri* literas.[1]) Satis quidem pro imperio omnia. Videtur non modo pristinam modestiam exuisse, sed etiam humanitatis oblitus tantum cogitare quomodo vos terroribus ac minis cogat in ordinem. Moderationem tamen a vobis retentam esse gaudeo, donec longius erumpat. Et forte non ex suo ingenio scripsit, sed aliunde conceptam asperitatem retulit in literas. Idque mihi probabilius est. De ridicula nostrorum iuvenum protervia[2]) puto te factum esse certiorem. Hoc boni est quod, quum tumultum concitare haberent in animo, suum impetum iecerunt in aerem. Itaque sponte fractus fuit. Senatus, qui videbatur totus ardere, momento refrixit. Ita in fumum abeunt omnia. Minae in *Bertellerium* grandisonae. Erat enim seditionis princeps. Verum ad tales cantilenas occalluit. Rodolphum *Monetum*[3]) paulo severius tractat praefectus Terniacensis. Necesse est ut *Alysius* se non sapere intelligat, ne sibi nimium placcat in sua stultitia. Abs te quidquam fuisse profectum nunquam ex nobis audiet. Sed tamen coercenda est istorum fanaticorum intemperies. Vale, frater in

---

2) *Prodiit pridem Turici* 1539. 4. *Versionem gallicam excudi permisit Senatus Genevensis d.* 6. *Augusti* 1549.

1246. 1) *Quarum mentionem fecerat Viretus N.* 1242. *Quid autem sibi voluerint neque illic neque hic apparet. Vide tamen epp. seqq.*

2) *N.* 1236, *not.* 1.

3) *Ibid. not.* 2.

Domino carissime, una cum uxore et filiola. Dominus Iesus vos servet ac regat suo spiritu. Saluta fratres meo nomine. 21. Aug. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1247.

HALLER AN BULLINGER.

In sinum amici effundit quod alta mente repositum manebat circa personas et res Lausannensium, et eum accersere cupit ut felicius omnia componantur.

(Autograph des Zürcher Archivs Gestell VI. Bd. 154 ehemals Kasten B. Epp. Bd. 32, fol. 102. — Simler Bd. 71.)

Clarissimo viro D. Heinricho Bullingero fidelissimo Tigurinae ecclesiae antistiti domino ac compatri venerando

Zürich.

Von *Caluino* hab ich *Alterii* halb noch nüt empfangen,[1]) wiewol ich jetz zwierend imm darumm gschriben hab: hab auch noch nüt von imm das üch zůgehöre. Was mir wirt wil ich vfs bäldest fertigen. *Musculi* huszfrow wirt in einem monat ongfar gnesen. Will es alles uszrichten wie ir mir befolhen. Wär mir aber nüt lieber dann ir möchtind selb harkon. hoff es wurd vil gůts bringen so ir üch mit vnsere kunden ersprachetind: so sind etlich so morosi das si zvil wend der Declaration üwer mit *Caluino* nüt hören denken. Invident, quantum coniicio, quae hinc sequutura erat, ecclesiis pacem: dorum ist müglich, so etwas vom *Caluino* kumpt, so richtends gegen uns nitt mit briefen vs. kommend selbs oder schikend *Gwaltheren*, ob es sich jenen also schicken wett.

Der Losner handel stekt noch.[2]) Si hand znechst zwen von der Clasz hargeschickt die ein grosze klag vor Rath gfürt über *Zebedaeum*, wie er liederlich in all sim ampt, bis in 16 Artikel in gschrifft inglegt, da der mertheil weder händ noch füsz hat, das man lichtlich gspüren mag das es ein lötiger nyd vnd kyb ist, etlichs denn das er sich nitt entschuldigen mag. Er hat dargegen vns ein gmeinen[3]) brieff gschriben darinnen er si aber etlicher stucken veronglimpfet. Den schick ich üch hie zu. Wir hend es denen fürghalten von denen er schrib: die laugnend in all weg. Wir hend *Moerlinum* vnd *Vincentium* examiniert,[4]) si vffrecht funden. Sin schriben aber züget diversum: deszhalb vns der handel argwöhnig. Dargegen schick ich üch etlich brieff, non tamen literas sed libellos *Vireti*, so ir wyl hend mögend Ir gsen was plagen wir mit denen lüten hand. Schickend mir aber die brieff bi nechster bottschafft wider. Entlich so hatt ein Ers. Rath si znechst für vns gwisen iren handel zu erduren vnd dess ir Gn. zuberichten. By vns warend die vota vnglich, vil vngrympts. Iedoch ward erhept das vns das best bedunkte das *Zebedaeus* gen Iferdun vff die schulmeistery transferiert wurde. Item, das innen ir wys colloquia zů halten, vsz dem das wesen alls kumpt, abgschlagen wurde.[5]) Item, das man vier stipendiatem von hinnen allweg da hätte, die dennocht auch merken köntind so sich etwas nüwerung erheben welte. Das hat ein ers. Rath widrumm gschlagen für die schulherren predicanten vnd läser. Acht vff morn werd man zemen kan vnd etwas drinnen schlieszen. Es wird kum gan das *Zebedaeus* allein geändert werde: die anderen hättend *Viretum*, *Ribittum* vnd ander mer auch gern dennen.[6]) Sed hoc videtur prorsus exitiale esse et scholae et ecclesiae. Ich hoff, so *Zebedaeus* von innen kem, es wurde beszer.

Min husfrow, deszglych *Musculus* vnd sine, lassend üch vnd die üwer mit sampt allem üwerm husgsind vast grüszen. Grüszend vns alle brüder. Datum Bern d. 22. Augustm. 1549.

Tuus perpetuo
I. H.

1248.

HALLER AN BULLINGER.

Eadem relatio continuatur.

(Autograph im Züricher Archiv in demselben Bande wie der vorige Brief fol. 556. Auch bei Simler.)

1247. 1) *N.* 1224, *not.* 7.
2) *Vides Ruchatium errasse* (*V.* 345) *quum diceret m. Martio omnia composita fuisse. Etiam Hundesh. p.* 240 *et* 254 *rem qualis erat minime assequitur.*

3) *i. e. communem, nempe publicum aliquod documentum, non privatam epistolam.*
4) *N.* 1242, *not.* 2 *et* 3.
5) *Haec interdictio postea longas ambages creavit utrique parti. V. Ruchat V.* 68. *Hundesh. p.* 257.
6) *i. e. eliminatum s. dimissum.*

An meister Heinrych Bullinger
Predicanten zu Zürich.

S. Necht hab ich üch von mengerley sachen gschriben. Meynt H. Iacob *Zorn*[1]) wurd hüt frü hinziehen, so plipt er noch hüt hie: derhalben ich üch glich wellen berichten was hütt gehandelt. Min Herrn die Schulherrn sind zemen kan. *Zebedaeus* wirt gen Iferdun transferiert, den colloquiis ein masz vnd ordnung fürgschriben, vsz denen biszhar aller span entstanden, Item, 2 knaben von Zürich gen Losan transferiert wie ir vsz dem gmeinen schryben verstan werdend. Hütt nach dem wir von einanderen kommen, kumpt der Locarner,[2]) bin mit jmm gsin bym Statthalter, der hat vns tag gen morn für Rath. Ich acht es werde den botten empfelch geben werden vff den tag gen Baden. So er gfertiget will ich *Myconio* auch schriben vnd üch berichten, wie es gangen sye. Gott mit üch. 23. Augusti. Ir mögend hiezwüschend auch *Myconio* vnd *Zimperto*[3]) schriben.

Ioannes Haller.

1249.

CURIO BULLINGERO.

Redit ad consensionis declarationem suumque de eadem iudicium, cuius summa est, praestare simplicioribus scripturae verbis adhaerere quam curiosis et obscuris formulis insistere. Caeterum tanto viro contradicere ipsi nefas videtur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 156, olim Epp. Tom. 34, fol. 75. — Simler. Vol. 71.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori vigilantissimo patrono singulari

Tiguri.

Per Christum Iesum.

S. D. Vidi, *Bullingere* mihi iucundissime simul et observandissime, qua dexteritate ac pietate quae mihi videbantur in vestro scripto duriora mollieris et declararis. Qua ostendis satis aperte, te nolle illa tueri, nisi in eo sensu qui divinis scriptis et testimoniis sit maxime consentaneus. Qua in sententia me quoque esse ex proximis meis literis potuisti non obscure cognoscere. Quod si tamen ea verba et loquutiones in contentionem adducantur, malim ea perdere, quam veram et germanam divinarum autoritatum sententiam obscurari, et contra ea retinere et aliquo dignari loco non gravarer, si illis reiectis et amissis una etiam partem aliquam religionis labefactari necesse esset. Rerum enim ratio primo loco habenda est, deinde verba sunt adhibenda quae rem illustrent, non obscurent. Quod quidem, optime atque doctissime frater, non scribo ut te vel doceam vel admoneam, qui longe melius ista mihi possis subiicere quam ego tibi. Sed haec scribo ut intelligas, mihi minimam esse curam verborum, rerum maximam. Quare, ut paucis dicam, mihi vix fas esse duco, ac ne fas quidem omnino, ab eo quod ipse probaris dissentire. Me igitur comitem habebis tuae sententiae ut voles: quod autem liberius quid sentirem scripsi, effecit meus nativus candor et tua erga me perspecta benevolentia. Vale, et ex nobis tuam honestissimam familiam officiose saluta, et me semper ut facis ama. Basileae 26. Augusti 1549.

Coelius S. C.
ex animo tuus.

1250.

VIRETUS CALVINO.

Laudat Bezam et eum Lausannae retinere cupit. Porro negotium aliquod Alysii et Normandii excutit item ad alia quaedam alludit nobis incognita.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 89, ex quo olim alterum ex altero derivata sunt exemplaria Turretini Cod. 116, fol. 113 v., Bernense epp. VII. 1027 et Simleri Vol. 71.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo.

Genevae.

S. Me *Bezae* conspectus firmioris eius valetudinis index atque testis mirifice delectavit.[1]) Inter

---

1248. 1) *Argentoratensis?*
2) *Ioh. Beccaria protestantium Locarnensium antesignanus Helvetiorum auxilium contra pagos catholicos imploratum venerat Turicum, inde Bernam Basileam et Schaffhusiam. Negotium hoc coetui confoederatorum m. Septembre Badenis celebrando reservatum est.* (*Meyer, Locarno* I. 197. 228.)
3) *Simperto Vogtio Schaffhusano.*

1250. 1) *Quem ergo nuper aegrotantem viderat aut resciverat. Caeterum dubium adhuc haesisse vides de consilio circa futuram conditionem capiendo. Pro tempore cogitabat de typographia Crispino socio assumpto exercenda.*

colloquendum volui experiri num adduci posset ut suam operam alicui impenderet ecclesiastico ministerio, maxime vero literariae alicui professioni. Suo responso adeo mihi spem omnem non praecidit, ut in eam me potius adduxerit, fore ut votis nostris aliquando respondeat, si modo tu te nobiscum adiungas suasorem et hortatorem. Quod ut facias te vehementer rogo. Nam non dubito quin brevi eius nobis opera maximo usui esse possit. Magnum esset collegio nostro decus et ornamentum, atque organum ad multa magnaque negotia aptissimum. Sperat se intra mensem rediturum.[2] Mihi dubium non est quin magnopere talium delectere consortio et familiaritate. Sed te magis delectat ecclesiae profectus. Deinde hoc quoque tibi providendum est ut te et nos ea qua laboramus invidia et calumnia[3] liberes aliqua ex parte. Audio iactari (sed inter monachos,[4]) nisi mea me fallit coniectura) Genevae per pecuniam, Lausannae per factiones et ambitum ministros creari. Interpretantur per pecuniam homines pecuniosos. Vide igitur ut in nos partem aliquam reiicias huius invidiae.

Tu de *Farelli* libro nullum tuum iudicium neque sententiam significasti. Quis sit ille Pedemontanus[5]) qui longas illas ad nos literas scripsit nescio. Neque tu scripsisti quidquam, neque quid putes cum illo faciendum. *Alysius* venit hodie ad me literasque ad se *Normandii* communicavit quae eum valde cruciarunt. Reiicit culpam totam in *Danionum*,[6]) qui de illa resignatione apud *Normandium* se inconsulto et nescio meminerit. Negat se ea de re unquam loquutum, nisi apud me, idque tacito *Normandii* nomine. Ego respondi quod res erat, fuisse aperte ea de re conquestum praesente Stephano *Longovillano*[7]) et iuvene quodam qui recens e Galliis venerat. Voluit negare. Ego nolui contendere cum illo, nisi quod asserui rem ita habere, dissimulans tamen me quidquam ea de re scripsisse, quia id non urgebat. Aut bonus vir est sui immemor, et eorum quae bile incitatus imprudens effutivit, aut eum pudet et poenitet: nam praeclare loquitur de *Normandio*. Ille brevi statuit hac de causa istuc se recipere. Cuius te volui admonitum, ut cum eo ita agatis ut quoad eius fieri poterit in officio contineatis. Non enim omnem spem de eo abieci. Non vult tamen hic, ne *Montano*[8]) quidem, quidquam esse de hac profectione cognitum. Tu quoque dissimulabis donec ad vos venerit.

Hic tabellarius dicitur esse doctissimus. Mihi plurimum a *Gualthero* et *Hallero* literis commendatus est. *Hallerus* rogavit ut eum tibi quoque literis commendarem. Sed non opus esse longa commendatione putavi apud te. Se enim ipse satis commendabit. Tu vero non ignoras qua sint huiusmodi homines humanitate excipiendi. Salutant te nostri omnes. Saluta amicos. Vale. Lausannae 29. Augusti 1549.

Tuus Petrus Viretus.

2) *ex Germania, quo proficiscebatur ad Volmarium invisendum. Cf. N.* 1275 *et* 1282.
3) *de modo electionis ministrorum orta.*
4) *Friburgenses an Gallos?*
5) *Fortasse Waldensis aliquis.*
6) *Bourgoing d'Agnyon.*
7) *De tali viro ap. Haagium nihil invenimus. Duces de Longueville, qui passim in hoc thesauro occurrunt, alio veniunt nomine.*
8) *N.* 980, *not.* 2. 1048, *not.* 4.

1251.

MINISTRI TURICENSES CALVINO.

Coronidis vice subiecta est consensui Tigurino qui dicitur.

(Edidimus Tom. VII. Opp. p. 745, cf. ibid. Prolegg. p. xlix. Data est die 30. Augusti 1549 et incipit a verbis: *Ingens tuum studium Calvine* caett.

1252.

BULLINGERUS UTENHOVIO.

De Buceri libris, consensione in re sacramentaria et rebus Helvetiorum.

(Ex Gerdesii Scrin. Antiq. Vol. IV. part. 1, p. 429.)

S. D. Magna cum voluptate legi literas tuas, vir praestantissime, Argentina 7. Iulii datas.[1]) *Buceri* scripta, quoniam satis multa sunt, non potui involuta tanto itineri committere. Scis tabelliones abhorrere a libellis et sarcinulis literarum. Si nancisci posses editionem eius in IV. Evangelistas editam anno D. 1530, invenires ipse totam quam cupis descriptam disputationem.[2]) Si vero non dabitur

1252. 1) *N.* 1219.
2) Intelligit disputationem Bernae a. 1528 habitam quam Bucerus in epistola dedicat ad magistratus et ministros Bernenses praemissa Comment. in Ev. Ioh. enarravit. (*Gerdes.*) *Prodiit hic commentarius ipso a.* 1528. *Editio in textu laudata ad manus nobis non est, sed non est quod dubites quin suum Ioannem ei integrum inseruerit. De ipsa Bernensi dis-*

copia libri, alias curabo ut descriptam habeas: iam profecto non potui a tabellione impetrare. Addebat se cum periculo vitae huius generis libellos portaturum. — — — — — — — — — — — — — — —

Consensionem meam et D. *Calvini* in re sacramentaria in certam formam conscriptam misi D. *Hoopero*, at ea conditione ut et tibi communicet. Bernenses nondum responderunt certo quid facturi sint. Nos fortassis vulgabimus. Nam non putamus, vel Bernenses vel alios viros bonos quidquam in veritate tam clara damnaturos. Ac plurimi referet, etiam alias nationes novisse, nobis convenire per omnia.

Nos hic pergimus nostro more in ecclesia et republica, sicuti progredientes videbas, quum hic apud nos esses. Deus gratiam suam nobis concedat ut in vero et bono perseveremus in finem usque. Tigurini et Bernates perseverant in suo proposito. Basilienses, Schaffhusiani et Rhaeti amplexi sunt foedus illud gallicum,[2]) una cum aliis quibusdam. Ego meliora illis opto quam recepturi videantur. Ora Dominum pro nobis, ut semper nos dirigat spiritu suo — — — — — Tiguri ultima Augusti 1549.

H. Bullingerus
tuus ex animo.

1253.

CALVINUS FARELLO.

Iudicium suum de Farelli libro cur ei negaverit potius quam prodiderit paucis explicat: simul non obscure styli Farelliani fastidiosam prolixitatem notat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 20. Descripta est in Cod. 111, fol. 234, in Epp. Bern. VII. p. 1053 et ap. Simlerum Vol. 71. Anglice legitur. Tom. II. 232.)

Praestantissimo Christi ministro Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae carissimo.

Vulnus *Ferronii* renovatum ex fratre intelliges [1]). *Bullingerus*, ut videbis, quum ante meas literas acceptas scribat, bonam spem facit publicandae concordiae.[2]) Quod honorificam in praefatione tui mentionem facio, etiamsi id improbos mordeat, cogentur tamen tacite vorare. De libro tuo nihil scripsi, quia totum onus in *Viretum* reicceram. Dixi initio, quod verum est, mihi in vestris scriptis suspectum esse meum iudicium, quia tam diversa nobis est scribendi ratio. Scis quam reverenter de Augustino sentiam: quin tamen eius prolixitas mihi displiceat, non dissimulo. Interea forte brevitas mea nimis concisa est. Sed ego in praesentia non disputo quid sit optimum: nam ideo fidem ipse mihi non habeo, quod, dum naturam meam sequor, veniam mihi dari malo quam alios improbare. *Normandius*, qui sic meus est ut sit tibi quoque amicissimus, optimus mihi testis erit quid de tuo libro sentiam. Tantum vereor ne et stylus aliquantum perplexus et longior tractatio obscurent ea lumina quae ego illic conspicio. Abs te nihil nisi egregium exspectari scio, et scio non invitus. Citra adulationem loquor. Liber tuus in eo genere mihi ponendus videtur. Sed quia tam delicatae sunt saeculi nostri aures, deinde non magnum acumen, sic velim orationem esse temperatam, ut sua facilitate alliceret, ac simul eruditionem proferret, quae latet recondita sub illis quae dixi involucris. Habes absque fuco meum iudicium. Quanquam mallem *Vireti* responso acquiescere, tacere tamen, quum iam secundo instares, mihi non licuit. De rebus nostris frater tuus [3]) referet. Vale, frater et amice integerrime, cum symmystis omnibus, praesertim *Christophoro*, *Fatono*, *Michaele*. Dominus vos semper regat et tueatur. Genevae Calendis Septembr. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

D. *Normandius* te plurimum salutat.

1254.

SENATUS BERNENSIS MINISTRIS LAUSANNENSIBUS.

Castigatur abusus ex colloquiis singulis hebdomadibus celebratis natus, eaque posthac quater tantum unoquoque anno habenda esse decernitur.

(Exstant in Vol. 105, Plut. VI. Archiv. Turic. qui olim signatus fuerat Scrin. B. Vol. I, fol. 442 seq. *Acta de abrogandis colloquiis Lausannensibus* e quorum serie unum et alterum

---

putatione cui inter alios intererant Capito, Bucerus et Fagius cf. Baum, Butzer 396 *ss. Hottinger KG.* III. 394. 403. *Ruchat.* I. 361.

3) *De quo vide N.* 1194.

1253. 1) *Ferronius his ipsis Nonis Sept. ex decreto senatus munere abdicatus fuit.*

2) *Haec non ad N.* 1239 *referri posse videntur quae nobis Bullingeri recentissima est. Anglus ignorasse videtur de quanam concordia hic agatur (publishing a union).*

3) *Claudius* (*N.* 1264).

tibi documentum hic offerimus. Habet quoque Simlerus Vol. 71. Quod proxime sequitur numero 5 insignitum inscriptionem prae se fert hanc: *Exemplar prioris mandati.* Vide etiam in Arch. Bern. Welsch Missivbuch p. 231.)

Praefectus et senatus Bernensis docto erudito honorabili caro et fideli decano classis Lausannensis Salutem.

Quum animadverteremus, in colloquiis [1]) quae singulis hebdomadibus habentur non servari eum usum qui initio institutus fuerat, atque inde plerasque dissensiones, rixas, contentiones, controversias ac turbas ortas esse, [2]) posseque in posterum oriri, huic malo remedium quaerentes mandavimus nostris concionatoribus, professoribus et rectoribus scholae, ut ea de re inter se consultarent ac deliberarent, nostro tamen arbitrio atque voluntate nobis integra relicta. Quod et fecerunt et ad nos hodie consilium suum infra scriptum retulerunt: quod et probavimus et nostra autoritate confirmavimus. Erat autem huiusmodi ut posthac colloquia singulis hebdomadibus repetita, propter molestiam et laborem multorum ministrorum, quem et longitudine itineris et aliis abusibus percipiebant, abrogentur, neque deinceps saepius quam quater unoquoque anno habeantur, in quibus sacrae scripturae loci tractari possint, et iis explanari ac declarari qui de re quapiam dubitarint: ea tamen lege et conditione ne quidquam disputationi ac reformationi ac iureiurando in hac urbe nostra habitis ac praestitis contrarium aut repugnans proponatur. Quod si fieret, tuum esset, Decane, officium, autoritate tua confutare, prohibere ac repudiare. In iis enim colloquiis nihil quidquam tractari aut in medium adduci oportet, quod non pertineat ad honorem et gloriam Dei, atque adeo ad aedificationem ecclesiae, ut omnes turbae et contentiones vitentur. Quod si ullae ex iis colloquiis orirentur, tum occasionem haberemus ea penitus abolendi. Caeterum praeter supra dicta quatuor colloquia, si necessitas id postulet, itaque decanis aut aliis videatur, poterunt fieri conventus ministrorum, prout negotia emergere ac flagitare videbuntur, ea tamen lege et conditione ut rixae atque dissidia, quemadmodum iam ante dictum est, vitentur. Quare videte ut haec diligenter a vobis observentur. Datum 2. Septembris 1549.

1254. 1) *Synodus m. Maio* 1537 *habita regiones romanicas Bernensium ditioni nuper subiectas quoad res ecclesiasticas ordinavit. Constitutae sunt septem ministrorum classes*: 1. *Lausannensis cum Viviacensi*, 2. *Paterniacensis*, 3. *Iverdunensis*, 4. *Morgiensis*, 5. *Orbana*, 6. *Gaiensis* (*Gex*) *et* 7. *Thononiensis cum Terniacensi. Unaquaeque classis suum eligebat decanum. Colloquia hebdomatim celebranda explicandae scripturae aut discutiendo alicui loco theologico instituta sunt. Ministrorum doctrina et mores in synodis annuis vel etiam rarius habendis sub examen vocari debebant. Vocabant hoc tenir le chapitre. Sed paulatim hoc ius censurae ad ipsa illa frequentiora colloquia translatum est. Inde illae irae et rixae. Decano, cui ius inspiciendi et invigilandi in ministros competebat, item ecclesias ad rituum Bernensium observationem astringendi, assistebant quatuor iurati, qui cum decano novos ministros vocabant, a ministris Bernensibus approbandos et a senatu confirmandos.* (*Ruchat.* IV. 413 *segq.*) *Idem tamen alibi* (V. 382) *refert in singulis classibus plura colloquia habita fuisse, scil. pro opportunitate locorum: suivant les divers departements qu'on avoit reglés dans les classes. Cet usage avoit son bon coté. Les ministres conferoient ensemble sur les matieres de religion, ils s'instruisoient èt s'animoient reciproquement à bien faire.*

2) *Cf. Hallerum N.* 1247. *Ortae fuerunt illae turbae, ut videtur, ex dissidio Vireti et Zebedaei, caeteris ministris alterutri adstipulantibus, et synodus m. Martio habita necessitatem restituendae pacis Bernensibus demonstraverat.*

1255.

CALVINUS VIRETO.

Raptim de variis quae ad manum erant negotiis scribit, de Eustathio, Farello, Beza, Arenaeo, maxime vero de ridicula illa quorundam calumnia qua ministri Genevenses pecuniosi dicebantur.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 16. — Ed. Bretschneider p. 26. Anglice II. 234.)

Eximio Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri et amico integerrimo.

S. *Eustathium* [1]) in reditu [2]) tecum de duobus sibi notis professoribus [3]) verba fecisse existimo. Sicuti hominis pii et docti iudicio aliquid deferendum est, ita prorsus fidere non audeo. Tu igitur cum fratribus prudenter dispice. [4]) Neque enim aliter scripturum me promisi quam ut tibi fidele consilium darem. Pedemontanus longae epistolae autor nihilo mihi notior est quam tibi. Tantum illi bene precemur, quando a nobis non aliud postulat. *Farello* meum de libro iudicium perscripsi. Sed factum est *Claudii* fratris incuria quominus literas habeat. Nam quum pransus apud nos esset, et ego a mensa me contulissem in bibliothecam, me insalutato abiit. Hic tamen habeo nuncium qui cras, ut spero, profecturus est. In *Beza* ad vos extru-

1255. 1) *Quercetanum, olim Lausannae professorem philosophiae* (*Ruchat* IV. 436), *nunc, ut videtur, alicubi in agro verbi ministrum. Quae Haagius praebet caute accipienda videntur.*

2) *Parisiis?*

3) *Hebraico altero, altero in locum Zebedaei sufficiendo.*

4) *N.* 1250, *ubi etiam de monachis infra notatis.*

dendo quam fideliter laboraverim, *Normandius* mihi testis erit. Alios citare nolo. Imo ipse, de quo agitur, scit me propemodum importune institisse. Si redierit, non cessabo eum stimulare. Quanquam monachi perperam iudicant, qui collegas meas faciunt pecuniosos. Nam [5]) qui solus censeri dives potest, tribus aut quatuor est obaeratus. *Copum* [6]) dico. *Abel* et *Gallasius* liberis [7]) sunt divites. *Borgoinus* [8]) et *Raymondus* binas [9]) habent filias, praeterea nihil. Verum etiam si non loquantur illi, [10]) consulemus ecclesiae posthabito nostri respectu. Quid cupiat *Arenaeus* scire te arbitror. Scio autem sic abs te et bonis amari, ut maxime cupiatis illi partes assignare, quibus obeundis par esse videbitur. Vale, frater et amice integerrime, una cum uxore filiola et tota domo. Dominus vos servet ac spiritu suo regat. Saluta fratres diligenter meo nomine. Pridie Nonas Septemb. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1256.

SENATUS BERNENSIS PRAEFECTO LAUSANNENSI.

Decretum paucis ante diebus factum de colloquiis ministrorum ei transmittitur et commendatur.

(Pertinet hoc excerptum ad seriem documentorum de quibus supra N. 1254 diximus. Exstat ll. ll. N. 4.)

Quod vero ad hebdomadaria illa colloquia attinet, quum in usu quo coepta sunt non permanserint, multaque tumultuosa atque inepta per illum usum exorta sint et ultra exoriri possent, in aliis quoque ecclesiis utpote neque Tigurina neque Basiliensi habeantur, colloquia illa hebdomadaria propter distantiam et molestiam viae multorum ministrorum abroleantur, sed ita ut quater tantum in anno habeantur admittanturque, in queis locos scripturae declarare atque explanare licebit. Hoc tamen interim semper praecavendum erit ne quid contra disputationes atque reformationes nostras, iuratumque iusiurandum suscipiatur vel proponatur: atque tale si quid acciderit, id decani camerariique nullo pacto admittere sed prohibere debent. Nam in synodis istis nihil quam quod ad doctrinam veritatemque divinam et ad ecclesiae aedificationem pertinet, ut vitentur rixae ineptiaeque, tractandum est. Conveniant igitur in hunc modum ut contentio nulla oriatur: alias profecto ansam et occasionem dabunt omnino abrogandi concilia illa. Congregationes autem ultra illas quatuor, si res postulaverit et ita praepositis decanis, camerariis aliisque visum fuerit, ut saepe aliqua solent incidere, non prohibentur, modo ut contentiones, rixae et discordiae, ut modo dictum est, vitentur. Datum 6. Septembris 1549.

5) *Haec verba, usque ad illa*: praeterea nihil, *linea subducta in codice notantur, scil. a Beza qui edere volebat his suppressis.*
6) Capum *B.*
7) rich in books.
8) Borgrinus *B.*
9) excellent.
10) *scil. monachi, quod vel caecus viderit. Anglus vero:* if they do not speak to him.

1257.

BUSCHETUS [1]) CALVINO.

Responsum a Calvino scriptum eidem acceptum refert et simul eius sententiam de coena consiliumque de vitandis superstitionibus amplecti se testatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 98. Stili latini lapsus passim asteriscis notamus.)

Sanctissimo sacrae theologiae doctori D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae episcopo dignissimo mihi observando.

Ex tuis pridem acceptis diuque desideratis literis te bene valere et docendi cursum feliciter prosequi, alios vero fideles ac doctores insignes in periculis, in minis ac blanditiis, fide infractos persistere intelleximus: quae omnia omnibus simul gratulamur, precamurque indies plura ac meliora. Agimus Christo gratias a quo suppeditantur, atque etiam tibi qui ea tuis literis et libris significare dignaveris, * quae maximam attulerunt consolationem, et ad quaestionum solutionem, quas hic agitari scripsimus, optime faciunt. Gratias semper habebo, et tibi, aut cuique tuo nomine occurrenti, pro viribus referre conabor. Prius respondere nec licuit nec placuit, quia librum [2]) cui * in tuis me remittebas, a fratribus, simul ac applicuit, * de manibus ereptum prius recuperare non potui: quo non viso respondere

1257. 1) *Vide N.* 1103, *ad quam epistolam Calvinus responderat, ut ex h. l. colliges.*
2) *de vitandis superstitionibus.*

aut quem respondendo praeterire turpe videbatur. Consensionis signum in superstitionis participatione, a quo cavendum mones, non est quod a nobis dari magnopere dubites. Ita enim nos dissentire et dictis et factis hactenus, Dei gratia, sumus ingenue confessi, ut quum haec nostra templa quotidie ingrediremur, * aliisque nos admisceremus, tale signum aut ioco aut serio dare maxime volentes non valeamus quin discensionis * aut contemptus potius quam consensionis interpretetur *. Et templa ingredi adeo infrequenter nobis accidit (nisi docendae veritatis sine superstitionis contagione opportunitate oblata) ut iam suas nos fregisse lampadas inculpare non possint. Equidem volumus ab omni superstitionis specie abstinere, et, ut palam est, per libertatem possumus. Ad id veritatis zelo ac reverentia, Dei timore ac amore, tuisque sanctis admonitionibus excitamur, nec tamen in hoc tantum christiani officium absolvisse aut rectam tenere lineam nobis persuademus. Id magis a Domino petendum censemus, et abs te ac tui similibus discere cupimus. De locali praesentia quid sentires, iam antea ab aliquot annis et auditu et lectione pro tua pietate et doctrina perceperam. Et quanquam adversarii negotium nunc fidelibus tacessere sibi persuadeant, ubi *Brentium, Bucerum* ac *Dragonitem*[3]) quendam tibi opponunt ac dissentire contendunt in interpretatione super his Christi verbis: Hoc est corpus meum, in qua * tu in tuis scriptis obiter praeterire aut non admodum immorari plerisque videris, ego ex aliis in tuis coenae explicationibus adductis quid ex his verbis elicere * aut debeat aut possit, satis mihi assequi videor. Quod si de hac re, ut de pluribus aliis, mihi restares consulendus, ne te ulterius legendi aut rescribendi molestia aut labore afficerem, ut tua ac aliorum doctrina et praesentia animum uberius explerem, id praesens et per otium facere statueram. Sed in hac nostra regione sunt adeo frequentes belli rumores ac suspiciones, ad nostram perniciem potius quam belli gerendi aut finiendi desiderio excogitati, ut nunquam tranquillo animo christiani viri officio vacare liceat, at semper agitato et animo et corpore ultro citroque sit cursitandum cogitandumque de continuis praesidiorum oneribus sustinendis, deque principum vexationibus redimendis, quae nos viribus ac facultate exhauriunt et ita deprimunt, ut caput ad aliquid suscipiendum attollere non audeamus. Praeterea cui, ut mihi, cura est ecclesiae ac domus, quomodocunque illam gerat, praesertim non valido, nec diviti, nec docto, ei quantum otii suppeditari possit, facile perspicies. Haec igitur quum mihi iter intercipiant, ad scribendum iterum compellor. Quare si te interim literarum prolixitate, multitudine ac incompositione obtundam, ut mihi ignoscas velim. Spero futurum, idque brevi, quum expeditius ire liceat. *Thomas* noster, quem ego tibi meis commendaveram, in suis omnibus commendare non cessat tuam ac dominorum pietatem, a quibus medici operam, medicinam, victum, hospitium et ministerium omne in hac sua aegritudine suppeditabatur. Profecto mihi satis gratulari non poteram quod illum eo misissem, ubi formam verae ecclesiae doctrinaeque sinceritatem discere posse videbam. Id mihi et nunc gratulor. Sed eiusdem profectionis me non poenitere non potest, quum audio quam vobis omnibus sit oneri. Licet si fratri, qui sibi est, non magis pietas quam facultas decsset, facile ab eo onere alios sublevaret. Sed nosti quaenam sit etiam inter carnales fratres animorum dissimilitudo, pro dissimilitudine vocationis dominicae. Prospicietur tamen ei aliunde ratione aliqua, qua ulterius quemquam non gravet, quamvis turpe sit, et eiusdem fratri et mihi, in hanc usque horam distulisse. Fateor interim a me susceptum esse beneficium in *Thomam* collatum, quum sit ipse mihi plus quam carnalis frater, quumque meo suasu eo est * profectus, et partim mea causa, ut opinor, tam bene acceptus. Opto mihi occasionem offerri, qua ad indicandam animi gratitudinem in gloriam ac commodum civitatis illius, ac eorum qui doctrinae aut dominio praesunt, exponendae sunt vires, ingenium et facultas, et quidquid habeam, oroque omnes, si quando ad aliquid me aptum iudicabunt, de me periculum facere dignentur, et semper habeant pro alumno, filio ac servo deditissimo, ut revera me esse agnosco, quum ab illa urbe ac Argentinensi, quidquid verae cognitionis habeam, sim consequutus. Con * quibus vale tu mihi in Christo pater observandissime. Deus pacis et totius consolationis tibi ac dominis illis semper adsit, vos vestraque omnia conservet ac tueatur, doctrinae lumen quo vos donavit indies magis ac magis in vobis relucescere faciat ad gloriam sui nominis vestramque salutem. Cheri[4]) 7. Septembris 1549.

Tuus in Christo filius ac servus
Io. Petrus Buschetus.

3) *Io. Draconites prof. theol. lutheranae Marburgi usque ad a* 1547, *postea V. D. M. Lubecensis et Rostochiensis. Scripsit librum de corpore et sanguine Christi.*

4) *Iam supra ostendimus esse quasdam rationes propter quas hunc Buschetum Gallum fuisse minus facile nobis persuaderemus. Alioqui nomen loci in Gallia quaereremus ubi vicus Cher reperitur in pago Aubusson (Creuse) et Le Cher in pago Chambon (Charente inférieure). Erat quoque locus Chieri in agro Pedemontano, Gribaldi patria.*

1258.

RUGERUS BULLINGERO.

Consensionis exemplar cum ministris Schaffhusianis communicatum est. Qui an subscripturi sint nondum pro certo cognitum est. Ipse approbat.

(Ex autographo Bibliothecae civicae Turic. MS. F. 40, olim Arch. Hottingeri Epp. Tom. V, fol. 231. — Simler. Vol. 71.)

Eruditione et virtute praestantissimo viro D. M. Heinrycho Bullingero ecclesiae Tigurinae antistiti fidelissimo domino suo observandissimo et fratri in Christo.

S. Conveniebat hercle, vir doctissime, ut doctiores ecclesiae nostrae antistites [1]) tuae humanitatis literis responderent, simulque iudicium aliquod de consensu mutuo ministrorum ecclesiae vestrae doctissimorum et D. Ioannis *Calvini* viri ornatissimi, ne libellum hunc absque literis plane remitterent (praesertim etiam quum ipsi habeant quod abs te petant), promerent. Sed quivis aliquid praetendit causae qua impeditus iam scribere nequeat. Ne ergo nostrum silentium et ingratitudinem potius accuses, imo pigritiam, ego quod possum scribam.

Principio quod diutius retinuerunt libellum, quem quamprimum fieri posset cupiebas mitti, in causa est quod eundem 7. die Septembris receperunt, quum tamen tuae literae ante octiduum scriptae sint. Hic obruti brevitate temporis diligentius perlegere nequiverunt: tamen citissime describi curarunt, quo tuum, iam nacti nuncium certum, redderent. Et descriptum reliquis etiam fratribus ex agro communicabunt, posteaque forsan vestrae consensioni subscribent. Dubito quia cuius sint sententiae adhuc ignoro. Ego profecto maximas Deo opt. max. gratias ago ob consensum in Deo et veritate mutuum, unde etiam haud exiguum fructum ad ecclesias rediturum nostras aliasque spero, et, quantum ego intelligo rem, placet, imo perplacet (obiter enim tantum degustavi hoc scriptum) sententia huius viri qui breviter sed dilucidissime de re sacramentaria disserit. Utinam aliarum nationum ministris verbi daretur etiam vobiscum consentire: quod procul dubio fieret nisi ambitio et philautia impedimento essent, imo ipsissima invidentia, nisique haec hactenus obstitissent, dudum concordia in religione sperari potuisset, unde evangelium certissime progressum felicissimum nactum fuisset, nec eo loci res delapsa esset ut evangelii doctrina sacra pedibus conculcaretur. Sed quid multis te moror de his disserens, cui haec notissima sunt, et qui a doctioribus doctiora audit? — — — — — — Scaphusiae raptim datum 9. Septemb. anno 1549.

Iacobus Rüger
tuae humanitati deditissimus semper.

1258. 1) *Simpertus Vogtius et Henricus Linkius. Ipse Iacobus Rügerus paucis ante annis adhuc subselliis Basileae et Wittebergae insederat a scholarchis civitatis patriae cum stipendio missus. Obiit peste abreptus a.* 1564.

1259.

VIRETUS CALVINO.

Merlinus professor hebraicus confirmatus est Beza desideratur. Zebedaeus ludimagister Iverduni factus. Nonnullorum stipendia accisa. Colloquia interdicta.

(Ex autographo Cod. Genev. 111[a], fol. 90, coll. c. Cod. 116, fol. 114, Epp. Bern. Tom. VII. p. 1030 et Simleri Vol. 71.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

Eustathius hac transiens mihi visus non est. [1]) Excusavit per *Marpium* quod non licuerit, se autem de via scripturum recepit. Nam huc sub noctem appulit, et postero die bene mane aut illi solvendum fuit cum comitibus aut a comitibus deserendus. Nullas tamen ab eo literas accepi, atque ita neque verbis coram, neque procul scripto me super ea re convenit de qua scripsisti. Posteaquam vero *Merlinus* [2]) confirmatus est, nihil opus est nos valde esse de hebraeo professore sollicitos. Nam etsi ea est lege confirmatus ut cedat magis idoneo, si contigerit, non posset tamen alio tam cito transferri, tum quia non esset nobis honestum satis, tum quod, nisi se locus offerat cui commode praefici possit, hinc extrudi nec debet nec potest. Exspectabimus igitur temporis opportunitatem. Si Pyrrhus [3]) extruditur, puto nos satis habere paratum qui ei succedat. Praestat enim nos iis uti qui et ad manum sunt et noti, quam ignotos procul accersere. *Arenaeo* nemo est qui non impense faveat, sed metuo ne non possit tam cito illi obeundo muneri par esse de quo inter nos verba fecimus. Si *Bezam* obtinere possemus,

1259. 1) *N.* 1255.
2) *N.* 1242.
3) *Infra leges Zebedaeum Iverdunensibus datum fuisse. Quod quidem decretum erat a senatu, non tamen statim peractum.*

longe melius consuletur ecclesiae, et malevolis os obstruetur contundeturque commodius. Exspectamus indies quid de Pyrrho statutum sit: sed nihildum audimus. Mirum est tantae molis esse hominem, ut tota illa civitas loco dimovere non possit. *Alysium* vobis commendo. Bene spero de eo. Si quid peccatum est, aliis id impulsoribus factum esse arbitror. A me admonitus boni consuluit nec irrita fuit monitio. Ergo nobis ratio fratris habenda est, quod vos scio non neglecturos. Quum hinc esset cum *Danione* soluturus, literas has paraveram quia istac iter facturos arbitrabar. Sed mea me fefellit opinio, nam *Danionus* voluit recta per Burgundiam transire. *Alysius* literas his inclusas apud me reliquit ad vos mittendas. Interea dum exspecto nuncium per quem has mittam, accipit praefectus noster literas a senatu Bernensi de rebus *Zebedaei* et nostris, quibus ut quaedam continentur nobis gratissima et ecclesiae utilissima, ita alia sunt quae, si obtinebunt, perniciosissima ecclesiae futura sunt. *Zebedaeus* ludimagister Iverdunensis constitutus est, donec ei aliter prospici possit. *Quintinus*[4]) ei sufficitur sine ulla nostra electione, sed acciso stipendio. Redigitur enim ad aliorum professorum normam, excepto tritici modio quo eos superat. Iubemur alium eligere et Bernam mittere, qui graeci professoris partes expleat. Hic erit de *Beza* cogitandum. Accisum est et *Ribitti* stipendium. Sed hoc nos valde urit quod prohibemur deinceps ad colloquia et scripturae tractationem convenire nisi quater singulis annis. Causantur contentiones, turbas et offendicula. Adfertur Tigurinorum et Basiliensium exemplum, qui illis colloquiis et collationibus carent. Ex qua hoc consilium officina prodierit coniicis, opinor. Non dubito quin nostri fortiter reclament, quanquam non desunt quibus nihil possit gratius nunciari. Faciam ut aliquando diplomatis videas exemplum. Quid putes nobis super hac re faciendum scribe, obsecro. Nostri te omnes salutant. Vale. Lausannae 10. Septembr. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

4) *Quem Ruchat.* IV. 456, *iam a.* 1548 *prof. philosophiae creatum dicit, et a.* 1551 *successorem habuisse Eust. Du Quesnoy s. Quercetanum. Haec cum nostris non quadrant. Etiam in successione professorum l. graecae incertus rerum investigator fuisse videtur. Dicit alicubi* (IV. 437) *Gesnerum, quum a.* 1540 *discederet, successorem habuisse Hispanum Avilensem Petrum Nunnez, huic vero Bezam suffectum fuisse. Constat autem post Gesnerum venisse Ribittum, qui a.* 1546 *theologicam professionem adiit.*

1260.

MUSCULUS BULLINGERO.

Consensio probatur, publicanda tamen non videtur collegis Bernensibus, qui de ea re communibus literis suam exponent sententiam.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 153, olim Epp. Tom. 31, fol. 123. — Simler. Vol. 71.)

Clarissimo theologo M. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti domino ac fratri in Christo longe carissimo.

Tiguri.

S. D. De concordia sacramentaria, *Bullingere* in Domino carissime, quid fratribus hic communiter videatur, communibus ad vos literis scribitur: [1]) quarum sententiam reprobare non possum. Plane gratulor ecclesiis hunc vestrum consensum. Scriptum illud quod misistis nihil habet quod a priori dissentiat, etiamsi uno et altero loco aliquid accesserit. Probantur omnia, et utinam in hanc sententiam concedant omnes contentiosi et superstitiosi. De vulgatione scripti huius et mihi non apparet tantum ex illa fore utilitatis in communi quantum rixarum ac turbarum: non propterea quod tale non sit quod per se plurimum prodesse nequeat, sed propter praesentium temporum incredibilem malitiam et rerum omnium disturbationem. Id quod ad te privatim, sicut volebas, scribo. — — — — — — Bernae 10. Septembris 1549.

W. Musc. tuus.

1261.

CALVINUS VIRETO.

Commendat Pontanum. Myconium ridet se in negotio consensionis tractando neglectum fuisse querentem. Plures etiam pagi ad foedus gallicum accedunt.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 21. — Turretini apographon exstat Cod. 111, fol. 235, Bernense Epp. VII. p. 1055, Simleri Vol. 71.)

Eximio Christi servo Petro Vireto pastori ecclesiae Lausannensis fratri et amico carissimo.

Hunc D. *Pontanum*[1]) nosti. Tanta est ipsius

1260. 1) *Quas habebis infra N.* 1266.

1261. 1) *Franc. du Pont Agedincensis Gallus iam N.* 95 *occurrit. Fuit olim V. D. M. in Moing.* (*Herminj.* IV. 364. *Archiv. p.* 18.) *Hic fortassis eius filius fuit.*

atque uxoris probitas ut nobis eorum quoque liberi cari esse debeant. Filium habet indolis bonae ac mansuetae, quem isthic collocare apud magistrum decrevit ut in pietatis doctrina et literarum rudimentis proficiat. Hoc abs te petit ne interdum graveris de eo sciscitari. Est enim adhuc tenellus. Sperat etiam, quod probabile est, si magister tibi eum curae esse intelligat, fore magis attentum ad omnia paedagogiae officia. Quod igitur eius rogatu abs te peto, facturum te liberaliter recipias. Nudius tertius colloquutus sum cum regio legato [2]) prolixe et familiariter. Verum eiusmodi sunt sermones qui literis mandari nequeunt. *Beza* mihi indicavit, *Myconium* indigne ferre quod se inconsulto Tiguri quidquam transigere ausi fuerimus. Optat ephippia bos piger. [3]) Basileam et Schaffusiam non ignoras novum esse gallici foederis auctarium. [4]) Valesiani quoque tandem compositis motibus se ad societatem iunxerunt. Sic versatur huius mundi alea. Faxit Dominus, ut Tigurini et Bernenses in suo cardine insistant. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te, uxorem cum utero, filiolam, totamque domum tueatur. Genevae, 3. Idus Septembr. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Saluta diligenter fratres et reliquos amicos.

1262.

HALLERUS CALVINO.

Denuo declarat, in consensionis formula semetipsum et collegas nihil habere quod improbent, attamen variis de causis nomina sua publice subscribere non posse. Nunciat Girardi libros receptos et Alterio missos.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 32.)

Clarissimo et insigni viro Domini D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae vigilantissimo antistiti domino et fratri suo venerando

Genevae.

S. D. Mitto tibi, vir eximie, literas D. *Floriani* Poloni [1]) et Laelii *Sozini* quas ad te directas ad me transmiserunt. Si qua enim in re tibi inservire queam, gaudium mihi magis erit quam molestia. Libros a *Girardo* typographo vestro accepi, sicut nomine *Alterii* postularam. [2]) Scripsit simul *Girardus* ut de vectura cum aurigis convenirem, et quod iustum videatur solverem: se mihi quidquid illud sit restituere velle. Feci: exposui 10 batzones nostrates ei qui a Geneva huc vexit. Addidi unum batzonem pro reficiendo dolio quod fere dissolvebatur. Ita 11 illi btz. nostrates duos faciunt testones. Id quod ipsi significare poteris.

Caeterum interea ad nos misit D. *Bullingerus* declarationem vestri consensus in re sacramentaria. Vidimus decisam praefationem atque etiam epilogum, et substitutas vestras epistolas, consilium huius declarationis atque editionis etiam exponentes. Petit *Bullingerus* ut denuo nostrum adiiciamus calculum, aut si quid reprobemus indicemus. Dolet sane nobis qui videmur quasi priorem repudiasse formam atque in dogmatibus quid reprehendere velle. Quod quidem nunquam in animum induximus nostrum, neque adhuc quidquam reprehendimus, quinimo Deo gratias agimus qui tantum nobis gratiae concessit ut deprehendere * tandem inter vos, qui huius saeculi clarissimi estis servi Dei et ecclesiae, nihil esse dissensionis, sed summam in hoc dogmate concordiam et consensum, in quo tam infestis signis et animis hactenus a multis altercatum est. Neque quidquam magis a Deo exoptamus et flagitamus, quam ut parem consensum etiam reliquis quae adhuc supersunt concedat ecclesiis. In praefatione tantum (requisiti nostrum dare iudicium) videbamur * quaedam propter calumniatores quosdam mutanda, quibus, si ulla est ecclesia quae tales habeat, nos abundamus. Secundum caritatem ergo, quam Deo, veritati et vobis praeclaris ecclesiae antistitibus debemus, putavimus ea sic attemperanda, ut et nostris illis omnis calumniandi praecideretur occasio, et promptioribus animis omnes tam sanctum veritatis consensum susciperent. Neque quidquam hic a nobis, quod * Deus nobis est testis, ex contentione aut calumnia actum, sed instigante caritate et salute nostrarum, quibus ut praesumus ita praecipue de earum tranquillitate et salute solliciti sumus, ecclesiarum. Hinc etiam factum, quod non dissimulamus, quod videretur nobis

---

2) *Menaige vel Lyancourt.*

3) *Iam supra N.* 1221 *audisti Myconium quaedam in consensu improbare. Hic alia eum cura remordisse videtur, quam et ipse postea* (12. *Mart.* 1551) *Bullingero exponit:* Consensionem (*scil. tunc impressam*) legi. Hic dolet et antea doluit quod ecclesia nostra, tanquam ad veritatem non pertinens, contempta est. Parvitas nostra potuit contemni, fervor ad veritatem nec debuit nec potuit. (*Hottinger* III. 785. *Kirchhofer Myc.* 376.) *Beza Basileae transiit in itinere suo germanico.*

4) *Utrobique senatus promissa pecunia permotus causam regiam amplexus est.* (*Ochs, Gesch. d. Stadt Basel.* VI. 205.)

1262. 1) *Recentiores puta quam quas sub N.* 1192 *legisti. Etiam Socini epistola non exstare videtur.*

2) *N.* 1217. 1224. 1247.

magis nostris consultum esse ecclesiis, si editio differretur:[3] maxime si ea quae mutanda videbantur in praefatione non mutarentur. Contulimus ea de re cum aliis quoque viris sanctis et servis Dei, quibus idem quod nobis videbatur. Unde confirmati libere nostrum consilium fratribus Tigurinis perscripsimus, non illibenter, si meliores vobis sint rationes, cessuri. Videmus ergo nunc vos ad editionem omnino inclinare, mutasse tamen praefationem, supposuisse epistolas. Scimus etiam quibus urgeamini rationibus. Age ergo, non contradicimus, in dogmatibus nihil reprehendimus, idem nos docere et hactenus docuisse confitemur. Agnoscimus vos libenter fratres nostros. Hoc unum nobis adhuc durum est (quo tamen nec opus habet illa editionis forma) nomina subscribere nostra, partim propter magistratum nostrum imperitum et suspicacem, partim ne inter nos fiat dissidium denuo et schisma,[4] aliis subscribere volentibus, aliis nolentibus. Hic vestrae erit caritatis nostram considerare ecclesiam, et pacem quaerentes non urgere ad dandam dissidii in re tam levicula occasionem. Sufficiet vobis sine dubio noster consensus, et quod annitimur quotidie ad maiora et perfectiora nostros adducere, et si quid adhuc est simultatis illis eximere. Ad hanc rem iuvabitis nos vestris precibus et studiis. Praestabimus idem atque quaecunque alia possumus officia vobis. Dominus te custodiat et conservet, vir clarissime, cum ecclesia et symmystis tuis, quos ex me plurimum salutabis. Salutat te *Musculus* noster et reliqui fratres. Bernae 12. Sep. 1549.

Girardo quoque dic, obsecro, me libros crastina mox postquam ab ipso accepi Tigurum misisse.

Domini nostri constanter foedus gallicum respuunt.[5] Renovata sunt vetera mandata omnia et constitutiones hanc causam concernentes. De priori nihil remissum est rigore. Publicantur haec per omnes passim ditionis huius ecclesias. Dominus confirmet vos et det vobis spiritum promovendi omnia quae regni sunt ipsius. *Bullingero* scripsi, videri mihi operae pretium esse ut, si latine edatur vestri consensus declaratio, idem fiat germanice.[6] Video enim sic multorum animos pacandos, qui, dum latinam non intelligunt linguam et aures calumniis obnoxias habent, nescio quid coniiciant: ut sic convincantur videntes nihil a vobis nisi puram tradi veritatem. Obsecro, si tibi videatur consultum, mihi aperias tuum consilium.

Tuus in Domino
Io. Hallerus.

3) *Vides Hallerum id egisse ut dum Bernenses ministri ad Turicenses scriberent, Calvinus etiam de eorum consilio certior fieret. Verum de mutationibus in praefatione faciendis, nihil dicitur in communibus illorum literis.*

4) *Vetus ergo dissensio inter Zwinglianos et Lutheranizantes nondum penitus sopita erat.*

5) *per majora scilicet, non unanimi consensu; erat enim Bernae etiam factio gallica. De his rebus Hallerus ad Bullingerum varia habet in ea epistola cuius partem tantum tecum communicabimus N.* 1265.

6) *quod etiam factum est, et quidem sine mora, v. N.* 1265.

1263.

FARELLUS CALVINO.

De consensu edendo, de suo libro et taedio ex eo legentibus oriundo, de Ferronio deplorato, desideria, deprecationes, querelae. Falsi de Bucero rumores.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 87. — Exstat praeterea in Cod. 116, fol. 11, Bernae in Epp. VII. 1056 et ap. Simlerum Vol. 71.)

Christi servo insigniori Io. Calvino pastori ecclesiae Genevensis summa et pietate et eruditione fratri et symmystae

Genevae.

S. Lubens legi quae *Bullingerus* scribit.[1] Utinam tandem, quod tam est necessarium et ocius produci in lucem expedit, fiat et plene absolvatur. Veritus ne quid literae meae officerent, quod ardeo non petii a *Bullingero*, quem spero brevi effecturum quod abs te intellexit praestandum esse.[2] Dedi tuas ad me literas[3] *Christophoro* legendas, non sine animi moerore, quod tibi et *Vireto* tantum taedii mea causa devorandum fuerit.[4] Sed ut prius cum aliquot aliis mihi instigator fuit, ita etiam nunc iudicat, quod prius factum oportuit, ut videam si tam frequentes tenebrae luce aliqua illustrari possint, quod tam facile non fiet, ac rursus, si tam vasta prolixitas coarctari poterit. Quod si tu probes, librum remittere poteris, quem sane mallem supprimi. Hic ego potius aliis quam mihi servio. Christus faxit ut nihil omittam eorum quae sunt in gloriam sui nominis, neque aliquid agam contra.

Ferronius viam sequitur illius cuius artes imitatur. Quam vereor ne in reprobam mentem inciderit. Horrendum Dei iudicium apertis oculis in visam sese coniicere perniciem. Quid non sibi pro-

---

1263. 1) *Non exstant.*

2) *Bullingerus editionem cupiebat, Bernenses retardare studebant. Infra Farellum audies impatientiam suam Bullingero declarantem* (12. *Dec.*).

3) *N.* 1253.

4) *nempe in legendo illo prolixo et confuso libro.*

mittunt locutelii?[5]) Putant et Deo et hominibus persuadere posse nigra candida esse. Ut miseri vicem doleo ita coetui sancto gratulor repurgatum esse a tam turpi onere. *Claudius* frater, qui me omnium certiorem reddere debebat, neque mihi visus fuit neque scripsit. Nos luctamur cum monstro,[6]) cui ut dotes longe inferiores sunt quam *Ferronio*, ita plura adsunt vitia, sed non omnia patent. Adiuva nos cum collegis precibus ad Dominum! Christus coetus omnes repurget a malis, quos tam notos faciat, et omnes ita ad eos in ordinem cogendos impellat, quam sunt ecclesiae nocentes. Vale, et tecum collegae omnes. Christus vos semper feliciter pergere faciat in omni puritate quum vitae tum doctrinae in christiano nexu. Omnes cupio salvos, ne praeteream pium *Normandium*. Collega te officiose iussit salutari, et *Gaucherius*. Neocomi 12. Septembr. 1549.

Iactata sunt quaedam de *Bucero* et *Fagio*, qui quum videant frustra se luctari pro Christo apud barbaram gentem et inhospitam, propediem sint Argentoratum redituri. Sed vana putamus. Adsit illis Christus et regem servet.

Farellus tuus.

1264.

VIRETUS FARELLO.

Colloquia inhibita et interdicta esse queritur.

(Excerptum ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, epp. Vireti fasc. III. N. 17.)

Aliud est gravius malum quod colloquia nostra, quae singulis haberi solent hebdomadibus, ad singula trimestria rediguntur: quanquam sic hac de re scripsit senatus ut aperte indicet se id cavisse hac solum de causa ut omnem tolleret contentionum occasionem. Si hoc decretum obtineat, nemo non videt quantum sit ecclesiae et scholae incommodaturum. Sed spero nostros hanc causam acturos diligentius cum ministris Bernensibus et senatu, neque diffidimus nos aliquid impetraturos, ubi nostras rationes intellexerint. De Genevensibus nihil scribo, quia scio te non ita pridem a *Calvino* literas accepisse — — — — —

Lausannae 13. Septemb. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

5) *lege:* locutuleii.
6) *quonam?*

1265.

HALLERUS BULLINGERO.

Agit de consensu et nunciat literas communi nomine scribendas propediem missum iri. Queritur de Vireto et Gallis qui ipsis negotia facessere non desinunt.

(Ex autographo, sua tamen inscriptione destituto, Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Vol. 32, fol. 104. — Simler. Vol. 71.)

S. D. Ad tuas,[1]) venerande compater, paucis haec respondeo. Principio quod declarationem attinet vestri cum *Calvino* consensus, intelliges ex literis publicis quid communiter nobis placuerit. Puto vos nostro consensu contentos futuros: neque enim video vos praeterea aliquid requirere aliud. In dogmate ipso, ut neque prius quidquam reprehendimus, ita nec nunc. Satisfactum est decisa praefatione, quae videbatur non impium quidquam, sed dubium aliquod continere. Video vos nostro responso aliquantum commotos, illudque a vobis sic intellectum, quasi in ipso dogmate aliquid reprehendamus: cuius tamen nobis conscii non sumus. Scribit nunc *Eberhardus* publico omnium nomine.[2]) Colloquutus sum hac de re cum D. *Hagio*,[3]) ut iussisti. Exhibui ei exemplar germanicum. Habet is sua consilia, quae tamen nihil ad rem. Placet ei consensus. — — —

D. *Calvino* misi literas a *Laelio* ad ipsum destinatas, simulque scripsi de nostro consensu. Exspecto iam responsum. — — — — — — —

D. *Vireti* literas[4]) si non legisti, ex prolixitate tamen, si modo inspicere dignatus es, intellexisti quantum negotii illi homines nobis facessant. Quod unum te scire mihi satis est. Ago gratias quod mox remiseris, iam enim illis opus habeo. Videretur hoc mihi omnino consultum, ut latine edita declaratione vestra germanice quoque ederetur, quo vel nostri saltem ipsi iudicare et facilius cicurari possent agnoscentes veritatem. Scio enim importu-

1265. 1) *deperditas.*
2) *proxime sequentes.*
3) *senatore Bernensi, ut videtur.*
4) *Etiam hac aetatem non tulerunt.*

nos quosdam homines, odio personarum magis quam dogmatum raptos, non cessaturos traducere hunc consensum, quibus vulgari vulgatione ora obstruerentur. Sic enim, quum vestra contra *Lutherum* ederetur confessio, placebat quoque eam lingua latina vulgare, ut et exterae nationes, quarum sanciae essent conscientiae, sanari possent. Idem nunc agendum quoque videretur, quandoquidem omnino vobis edere constitutum est. Cui rei non omnino reclamamus — — — — — — — — Bernae 14. Septembris 1549.

Tuus in Domino
Ioannes Hallerus.

1266.

MINISTRI BERNENSES TURICENSIBUS.

Omnium nomine Eberhardus a Rumlang denuo sententiam suam exponit de consensu sacramentario, quem etiam atque etiam subscriptis nominibus suum facere, adeoque quasi ex officio edere recusant.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. 1, fol. 418. Inscriptio manum Halleri, corpus epistolae Eberhardi a Rumlang exhibet. — Simler. Vol. 71.)

Fidelissimis Christi et ecclesiae ministris pastoribus et doctoribus ecclesiae Tigurinae dominis et fratribus nostris venerandis et dilectissimis
Zürich.

G. et P. a Christo salvatore et domino nostro. Accepimus rursum,[1]) viri ornatissimi et fratres colendissimi, explicationem et declarationem D. Ioannis *Calvini*, dilectissimi fratris nostri, de re sacramentaria, quam et vos vestro consensu haud iniuria comprobatis. Nam quia cuiusdam dissensionis sive variationis a vestra doctrina insimulatus fuit a quibusdam, apud quos vestra autoritas illustrior exstabat, iure et pie se apud vos expurgavit, quo offensio tolleretur et turbatae mentes sedarentur ac pacarentur. Iam vero quia nihil controversiarum D. Ioannes *Calvinus* adversus nos unquam, quod sciamus, habuit, neque is de ea compelletur, ideo fraternitatem et dilectionem sinceram cum ipso, neque minus cum D. Guil. *Farello* et reliquis eorum fratribus in vinculo pacis indivulse per Christi gratiam retinere studebimus, quod non aliud gravius quam turbas et dissidia in Christi negotiis aversemur et detestemur. Gratulamur itaque vobis et nobis tam egregiorum fratrum sinceritatem et consensionem. Nam quicunque a vobis dissideret in doctrina, cum eo nos convenire haud possemus. Proinde et nos istam explicationem D. Ioannis *Calvini* nostro calculo et suffragio in solidum unanimiter adprobamus, et piam rectam sanamque fatemur agnoscimus et laudamus. Hortamur etiam et precamur ut in hac sententia absque tergiversatione (si quid hinc aliquando, quod tamen ignoramus, variarint) constanter persistant, pergant, neque deflectant, quo certe nihil optatius nobis fuerit ob commune ecclesiarum Christi incrementum, ut omnis simultatum suspicio, quae fortassis nonnullos imbecilliores turbavit et anxios atque suspensos detinuit, sublata ex cordibus penitius facessat. Nihil itaque in hac consensione culpamus, nihil reprehendimus, nec quidquam vituperamus. Sed quod editionem attinet, scripsimus vobis prius cur eam hoc exulcerato tempore non admodum frugiferam censeamus, quod et papistis liberrimum sit utcunque pia impugnare, ad quorum vanitates quam liberum nobis sit exactas responsiones publicare, vobis expendendum relinquimus. At si animus vester prorsus sic tulerit, ipsam editionem vestrae sententiae deferimus et permittimus: tam siquidem abest ut vobis refragari aut praescribere attentemus, ut potius vestra placita exosculemur et veneremur, persuasi, vos firmioribus suffultos rationibus in hoc negotio nihil facturos quam quod publicae utilitatis ecclesiarum Christi referat. Ad haec quod nos subscribere nequeamus, percepistis ex prioribus nostris literis. Neque est ut quidquam vel de absurdo dogmate vel alia quapiam offensione conqueramur aut cunctemur, ut nihil suspicari debeatis: nam quae nos impediunt prioribus scriptis significavimus. Nam publici ministerii personas absque publico etiam consensu quidquam evulgare in re tam lata, quae ad omnes attineat, haud decebit. Sed si vobis in publicando pergere collubescat, sicut ad vos tantum spectat, en nihil morabimur nec impediemus. Per nos, inquam, libere licebit, neque improbabimus, cupientes hac simplici sed candida nostra sententia vobis satisfactum, quos semper integriter amplectabimur * et venerabimur per Christum, qui vos in sua gratia tueri et provehere dignetur: quem etiam mutuis precibus pro ecclesiarum incremento implorabimus. Valete, colendissimi fratres, atque nos commendatos habete. Bernae[2]) anno 1549.

Vestri ex animo
pastores et lectores Bernensis ecclesiae
ministri fratres deditissimi.

1266. 1) *Novam scil. recensionem, in qua suppressa praefatione et dempto epilogo, duae Turicensium et Calvini epistolae insertae erant.*

2) *Ex praecedenti Halleri epistola et autorem et diem natalem huius facile elicies.*

1267.

VIRETUS FARELLO.

Ipsum libri sui taedio captum erigere conatur.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. III. N. 18.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello fratri et amico coniunctissimo

Neocomi.

S. Si tam aliis tua displicere existimarem quam ipse tibi displices, omnino supprimenda consulerem. Sed plus aliis de te hac in re quam tu tibi credere tuto potes. Nosti *Calvini* iudicium, qui non est ita amore excaecatus quin facile animadvertat quid ecclesiis conducat, et quid tu ei conferre possis. Puto librum adhuc esse apud *Calvinum*, postquam non est apud te.[1])

Scripsi ad te de *Zebedaei* translatione. Redditas tibi literas arbitror. Scribo ad *Robertum* nostrum[2]) consilium super ipsius negotio. Nostri te omnes salutant, praesertim uxor et filiola. Saluta collegam et reliquos amicos. Vale. Lausannae 17. Septemb. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1268.

LINGGIUS BULLINGERO.

Ministrorum Schaffhusianorum nomine adhaeret consensioni inter Turicenses et Calvinum factae et explicite suam ipsorum confessionem sacramentariam subiicit, minime tersa latinitate insignem.

(Ex autographo neque literaturae neque latinitatis nitore conspicuo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Vol. I. fol. 420. — Simler. Vol. 71.)

Clarissimo et doctissimo in Domino viro M. Heinricho Bullingero Tiguri summo et vigilantissimo pastori fratri in Christo carissimo.

Gratiam et pacem a Domino. Sic placitum est tibi, *Bullingere* doctissime, et symmystis tuis intergerrimis, hanc vestram et *Calvini* concordem confessionem, vel potius consensionem, ecclesiae nostrae verbi ministris communicari, nostramque sententiam et iudicium super hoc negotium vobis significari petitis. Quamvis literis id testari a nobis non opus. Nostis enim vestra omnia sacrae scripturae dogmata verbis tum scriptis in lucem edita et prolata in nullo nos discrepare. Scriptura quum est concors, necesse ut interpretatio sit concors. Quum in mutua vestra tum *Calvini* consensione omnia sint diserte expressa nec ulla controversia. Quanquam multi malevoli conviciatores proclamarint *Calvinum* fidelem Christi ministrum in sacramentario negotio *Buceri* spiritum hausisse, praesertim in ultima editione Institutionis christianae religionis satis perplexe hanc rem tractasse diiudicant etiam boni et docti viri,[1]) nunc per Christi gratiam resipuisse beneque iam sapere, en quis vero piorum, *Bullingere* doctissime, hanc consensionem mutuam non dignissime laudaret, proveheret, adprobaret, inque hanc non consentiret, nisi qui vertiginis spiritu ducatur?

Confitemur vobiscum sacramenta non conferre gratiam, neque gratiam continere in se ipsis, nec exhibere quae significant, sed significare. Item, sacramenta esse instrumenta, et visibiles quaedam formae sunt quae habent foris imaginem rei quae per spiritum intus operatur. Item, carnis Christi manducationem aliam non esse quam spiritualem et fidei. Fide enim edimus corpus Christi quum credimus verum Christi corpus vera fide traditum pro nostra salute, sanguinemque eius pro emundatione nostri effusum: aliam non agnoscimus. Et confitemur incredulos signo tantum participari, at non re ipsa, ut Iudas. Item: verba Domini, hoc est corpus meum, esse significativa. Induunt enim nomina rerum signatarum, ut circumcisio, foedus, agnus paschalis, sacrificia, baptismus. Hic signis dantur nomina. Item confitemur Christum a resurrectione coelos ascendisse, veritate corporis terram reliquisse, nunc in coelo ut in loco residere, et non nisi in iudicium descensurum, at virtute sua, qua omnium Dominus et salvator est, per omnes ecclesias in suis operari et vivere, praesertim in actione coenae. Item: Deum et Christum, patri substantia similem, non in pane sed in coelo adorandum, quemadmodum doctor coelestis adorandi formam nobis praescripsit. Summam hanc mutuae vestrae consensionis sic tenemus, profitemur et testamur ex corde sincero coram Deo et toto mundo,

---

1267. 1) *Patet praecessisse epistolam Farelli, qui quum Calvinum legerit stili sui prolixitatem et obscuritatem notantem, de supprimendo libro suo cogitabat. Librum ipsum vero nondum receperat et, pro tempore nesciebat ubi esset. Vide infra.* 2) *Rob. Louat Orbae ministrum.*

1268. 1) *Ultima tunc Institutionis editio Riheliana erat a. 1545, quae tamen a praecedente nusquam differt. Boni isti et docti viri qui Calvinum perplexe de coena disputasse dicebant, puri puti Zwingliani erant, quibus aliena omnia uno eodemque loco ponenda videbantur.*

omnes nos Schaffhusiae in Domini verbo laborantes — — — — — — — — — — — — — —

Vale, et feliciter cedat quod aggressuri estis in consensione mutua. Oro per christianam caritatem, ne mihi propter inculta linea scripta succenseas. Iterum vale in Domino, carissime mi *Bullingere*, cum symmystis tuis, viris praestantissimis, quos omnes nostrum omnium nomine quam officiosissime saluta, et Dominum semper pro nobis ora, nosque et ecclesiam nostram vobis commendatissimam habeatis perpetuo. Schaffhusiae 17. Septembr. anno 1549.

Heinricus Linggius [2])
tuus ex animo obsequentissimus.

1269.

FARELLUS CALVINO.

Praeter alia attingit recentissima Buceri scripta, Frumenti in Gallia ministerium, colloquia Lausannensibus negata.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 88 coll. Cod. 116, fol. 12, Epp. Bern. VII. 1058 et Simler. Vol. 71. Autographon lectu difficillimum ita ut apographa saepius varient.)

Christi servo praestantissimo Io. Calvino pastori ecclesiae Genevensis doctissimo et eximio pio fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Nepotem ad fratres meos mittebam, ut eis redderet literas ad te et *Bucerum*, sed quum eos non invenerit domi fertur istuc venisse. Si tibi literas dederit non prorsus male cessit quamvis maluissem eum ad *Viretum* ivisse. Fratres dicebant te petere ut ad te irem et, ut potui ex ipsorum verbis intelligere, id ipsi cupiebant. Sed quum nihil scripseris adduci non potui, licet nolim usquam deesse tuis sanctis votis. Theses *Buceri* nondum legi, nam sero venit *Mulotius* et ego otium non habui. Paraclesin [1]) tuam lubens viderem, sicut avidissime exopto audire, fructum ex ea uberrimum, ut spero, futurum. Audio praeterea desiderari pastores prope Calesium, et *Frumentum* [2]) istam sibi usurpare provinciam eo mittendi idoneos, in quibus primus esse sperat. Utinam tam esset idoneus, fidelis et prudens ad tantam functionem, quam est ineptus improbus et temerarius, ac de se sibi magna pollicetur, nihil impedire vellem hominem, sed magis urgere. Intelligo quod tamdiu parturierunt improbi tandem peperisse. [3]) Simplicior *Capunculus* [4]) olim etiam in coetu nostro aliquid huius minabatur, de coetibus tollendis, quos audio tantum quater in anno concessos. Via aperitur ruinis et vastitati. Hoc debemus improbis monachis et eorum similibus, qui semper eminere volunt, et quum non possint, insaniunt. Si vera sunt quae feruntur de *Frumento*, vide ut occurras. Ego sane cuperem aliquot ebrios, quos audio illic docere, pulsos: tantum abest ut *Frumento* similes velim admissos. Necessitas nos coegit multos pridem admittere, quos nunquam vellem bene habere sed prorsus fugatos. Dominus Iesus faxit ut idonei passim soli ministrent, et improbi omnes nusquam locum habeant. Vale. Quum instet nuncius, per quem potes nos omnium reddere certiores, non licet plura. Dominus Iesus te, collegas piosque omnes servet, quibus salutem . . . . . [5]) opto. Ne praeteream *Normandium*, ... cum coniuge, *Fallesium* quoque. Collega te salutat. Neocomi 14. Calen. Octob. 1549.

Farellus tuus totus.

Quum *Harlotius* [6]) me iusserit salvum, idque officiosius, eum ut vides expedire, resaluta meo nomine. Ei et caeteris gloriam Christi commenda.

1270.

CALVINUS VIRETO.

Prodigium horrendum in Germania visum. Bernates usque subscriptionem recusant. Senatus Ferronio successorem dari non vult. Farelli liber.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 22 coll. c. exemplari Turretini Cod. 111, fol. 236, Epp. Bern. VII. p. 1060 et Simleri Vol. 71.)

---

2) *Germanice sive potius helvetice Linki* (*cf.* 1258). *Collegae eius fuerunt Iac. Rüger et Simpertus Vogt.*

1269. 1) *Vide ep. Buceri N.* 1240, *not.* 12.

2) *Haag* V. 77: Dans son histoire inédite de Genève, Gautier affirme que Froment desservit pendant un temps assez long l'église de Massongi dans le Challais avant de revenir à Geneve en 1552. — *Challais nomen est castelli et vici in finibus Santonum* (*Saintonge*) *prope oppidum Aubeterre et tunc principatus titulo veniebat.*

3) *Alludit ad colloquia interdicta a Bernensibus.*

4) *Cf.* 594 *et* 615.

5) *Hic et infra omittimus voces dubias, in altero loco nomen viri est, in altero legimus:* plurimam.

6) *Anglum fuisse coniicimus.*

Eximio Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri et amico integerrimo.

Si tumultuarie scribo festinationi meae ignosces. In fasciculo quem nuper misisti erant *Floriani* Poloni literae [1]) quae nihil continebant novi, nisi lacum in *Mauritii* ditione toto triduo sanguineum fuisse visum. Frusta concreti sanguinis huc et illuc exportata. Horrendum prodigium, et cuius significatio brevi constabit. Quoniam tot hodie fabulae circumferuntur, vix credere audeo, donec ex nundinis librarii nostri redierint.

De formula nostri consensus quid sperare debeam nescio. Bernates, ut ex *Halleri* literis [2]) intelliges, constanter subscriptionem recusant. Exspecto tamen quid Tigurini facturi sint. Ulterius instare, meo iudicio, non expedit.

In *Ferronii* locum *Faber*, [3]) qui aliquamdiu Lugduni fideliter operam suam Domino impendit, electus fuerat. Senatus locum vacuum relinqui iubet. Ostendi plus quam invictis rationibus, nos tanto oneri pares non fore. Nihil tamen impetravi. [4]) Haec quoque indignitas nobis devoranda est, quod veluti data opera improbi suum in nos odium ostentant. Vobis cum iniquiore decreto luctandum est. Certe non puto tam ignavos esse fratres, ut sanctum illud adeoque necessarium exercitium aboleri patiantur, nisi summa contentione opposita.

Farello nisi iam suum librum remiseris, [5]) hic fidos habes ac idoneos qui tuto ferant. Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te servet, ac familiam tuam. Uxori tuae, filiolae et amicis omnibus plurimam ex me salutem dices. Genevae 23. Septemb. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1271.

VIRETUS FARELLO.

Liber Farelli deperditus videtur, quum Calvinus eum misisse dicat, ipse vero non acceperit. Halleri literae subscriptionem negant, Zebedaeus confessionem ipsam arrodit.

1270. 1) *deperditae.*
2) *N.* 1262.
3) *Jo. Fabri post Petrum Fournelet parvo Lugdunensium fidelium coetui operam suam navaverat, unde fuga sibi consulere coactus vergente a.* 1548 *Genevam se contulit. Postea Fourneletus Lugdunum rediit.* (*Hist. ecclés.* I. 55 *seq.*)
4) *Postea vero medio m. Octobre Senatus tandem mutata mente ministrorum votis obtemperavit.*
5) *Qui tamen non in manibus Vireti erat, ut Noster hic praesumit, verum Genevae apud Girardum* (*vide infra*).

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. III. N. 19.)

S. Mitto ad te *Halleri* ad *Calvinum* literas, ex quibus intelliges quae sit Bernatium de subscriptione ad editam a vobis et Tigurinis confessionem sententia. Audio locum esse quem Pyrrhus noster arrodat, sed qui sit nescio. Arbitror tibi meas redditas fuisse literas, quibus quid de Pyrrho statutum esset scribebam. Polonus *Floriunus* scripsit ad *Calvinum* lacum quendam in *Mauritii* ditione visum in sanguinem conversum: frusta concreti sanguinis huc illuc asportata a multis. Sed hac de re forsan a librariis Francofordia reversis audiemus certiora. Quantum sit fidei habendum eis rumoribus, hominum vanitas nos quotidie docet. — — —

Librum tuum putabam adhuc esse apud *Calvinum*. Ille scribit ad te tuto per hos tabellarios mitti posse, si nondum sit a me missus. Miror quid hoc sibi velit. Suspicor ad me a *Calvino* missum. Id si factum est metuo ne perierit. Mihi enim non est visus. Aut ad te portatum esse oportet, aut falli *Calvinum*, aut a tabellario nobis omnibus fuisse impositum. Fac igitur ut primo quoque tempore hac de re scribas, si quid habes. Ego *Calvinum* admonebo. Uxor te salutat et fratres omnes. Vale. Lausannae 24. Septemb. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1272.

VIRETUS CALVINO.

Mortuo Lausannensi diacono aditus patet Arenaeo, et de Beza etiam serio cogitatur.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 91. Exstant praeterea exemplaria recentiora Cod. 116, fol. 115, Bernense Epp. VII. p. 1062 et Simleri Vol. 71.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino
Genevae.

S. *Bertrandus* diaconus communis ad Dominum emigravit. [1]) Cogitavi de *Arenaeo* ipsi substituendo, [2]) si *Bezam* possumus impetrare ad eam functionem de qua ad te scripsi. Nam hac ratione nobis sem-

1272. 1) *Hunc Bertrandum vix per unum mensem suo officio functum fuisse docet N.* 1242.
2) *Arenaeum in Zebedaei locum sufficere voluerat, sed hic nondum removeri se passus erat.*

per esset *Arenaeus* ad manum in omnes usus quibus eo uti ecclesia posset, nulli certae alligatus ecclesiae. Nosti quae sint communis diaconi partes, ut eorum suppleat vicem aut qui aegrotant, aut qui necessariis ob causas coguntur a suis ecclesiis abesse, ac eorum etiam qui classibus scholasticis praesunt, si id res postulat. Scribe ad me quid hac de re tota sentias. Brevi classis habebitur conventus, fere intra dies quindecim. Spero me Orbam usque exspatiaturum. Velim *Bezam* adesse in tempore.[3]) Tu nos hac in re iuvato, omnibus quibus poteris modis, consilio, auxilio, opera, autoritate. Nostri te omnes salutant, praecipue uxor. Saluta amicos. Vale. Lausannae 24. Sept. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1273.

FARELLUS HALLERO.

Eximiis cumulatisque laudibus eum demulcet, tum colloquia Lausannensibus negata, quasi illo nescio id factum fuisset, queritur, et Viretum prae caeteris audiendum commendat.

(Ad manus nobis fuerunt duo apographa, alterum Neocomense Epp. Farelli III. 30, alterum Turicense, in Bibl. civica B. 217 p. 124. — Simler. Vol. 71.)

S. Gratiam et pacem in Christo Iesu. Recreasti me plurimum tuis quam amicissimis et vere piis literis. Sane ego is non sum cuius gratia tu tanta rerum mole pressus, in qua te dignas habes occupationes, vel tantillum avocari debeas. Sed habeo gratiam quod tanti facias Christum, quod huius gratia non ducis me praetereundum, quin meis medearis malis. Ego tibi et ecclesiae gratulor sanctissimum pacis studium, quod tanta cura et studio provideas ea quae pacis sunt. Sane aliud vix puto potentius signum praesentiae spiritus Christi, quam eo ipso Christo cognito sectari ea quae pacis sunt et aedificationis. Ago gratias servatori quod in te et tui similibus non sum falsus: sed ut in te agnovi Dominum, ita et vim ipsius intueor, nec mihi contigit, ut in non paucis, de quibus bene sperare adnitebar, quum prae se ferrent aliqua bonis viris non indigna, qui sese satis aperuerunt nihil minus quam Christum et huius gloriam quaerere, nulla pacis, nulla aedificationis ratione habita. Qui si quando recte egerint ac loquuti sint, non ut hoc curarent evenit, sed ut sibi consulerent: ut contra in optimis viris, si quid exciderit et admiserint non probandum, ut nulli non contingit, praeter institutum fuit ut meliora curantibus acciderint deteriora.

Fateor ingenue me graviter afflictum fuisse quum mihi narraret aliquis, datas fuisse literas bonis viris qui moleste ferrent prohibitionem colloquiorum et tractationis scripturae, et quod non liceret nisi tantum quater in anno convenire. Ita is referebat, et nonnihil prius audieram huius. Rogo an tu istic esses? Refert ille, te absente omnia peracta. Hoc me non parum movit, coepique apud me dicere: En tandem habent monachi quod a principio innumeris sunt aggressi modis. Siquidem ubi primum coepta est tractari inter pastores scriptura, et suo quisque ordine locum accipiebat enarrandum, ac censura introduci coepit, mox monachi aliqui, non tamen omnes, coeperunt adniti ut hoc tolleretur. Quum abunde se pietatem assequutos iudicarent, quod ex antris suis fuissent egressi et pontifici non faverent, sed ciborum liberum usum et profusum etiam probarent, possentque in aliqua pontificia invehi, aliud non putabant a se exigendum. Si quando ordo posceret, ut locum tractarent, misere discerpebant, latina male edocti, aliorum prorsus ignari, veteris salivae tantum appetentes, vix unquam etiam saepius repetitum quam veteris fermenti admittentes. Erant hi annis graves, et qui si tacuissent nec quisquam nisi tacentes et nihil agentes vidisset, philosophos iudicasset. Verum ubi iunior aliquis, *Viretus*, quod cum supercilio dictum erat, et velut oraculum, cui refragari nemo debebat, multa modestia ignosci sibi poscens, quod per aetatem, inscitiam et id genus alia, quae bona fide causabatur obstare quominus de tam sacris verba faceret, et coram suis fratribus tanta gratia locum explicabat, ut cogerentur fateri Dominum loqui. Rursus ubi mores censerentur, multaque in veteribus notarentur digna emendatione, et quid in aliis carperent non invoniebant, urebat eos male. Sed devorandum iis erat, eorum magno etiam commodo. Nam et legere diligentius et audire attentius coacti fuere, multa et purius tractare quam fecissent antea. Hoc in probis experti sumus. Quin et mores coacti sunt immutare. Tantum abfuit ut sanctissimum hoc institutum bonis obfuerit, ut improbis multum contulerit, adeo ut tali exercitio non inepte didicerint tractare scripturam, probi vero tantum huic ferant acceptum ut vix aliquid plus conduxisset. Nec ausus fuit aliquis aperte refragari tam piae observationi. Semel intellexi consulem *Wattevillensem* pium fratrem rogasse de coetibus, ecquid in eis fieret? Mox rescivimus unde prodiisset. Processit tamen pacate tam utilis ratio donec *Conzenus* prodiit. Is ubi monachis praebuit amicos,

3) *Is tardius ex itinere rediit.*

tunc coepit domi et foris omnia suo more agere. Impuri homines et hac indigni vita evecti fuere ad verbum veritatis docendum. Illis licebat altum in coetibus vociferari, qui perpetuo adversati fuerint. Quos potuerunt perdite pertrahere in partes suas, produxerunt eo ut nulla causa moti insanirent, et quod rauci senes non poterant, per recte ab eis in poculis edoctos effecerunt, et tamen illorum improbitas tantum ipsis nocuit. Perseveravit semper multorum aedificatio et instructio adeo ut magis illustres fuerint servi Domini.

In te veneror, ac ea animo flagito ut magis ac magis quod facis peragas, ne tu nec tecum pii et sancti viri moleste feratis iudicium meum in ista prohibitione, et vanum et temerarium prorsus putetis, ac frustra queri, quum sciam in hoc improbos omnes ab initio laborasse. Te non fugit quanta omnium ecclesiarum vastitate *Conzeno* autore cessarint synodi.[1]) Si illius *Malingrius*[2]) multum evomuit vinum, quid non tam graviter publice peccans punitus fuit, ut omnes discerent clam id cavendum? Quid sobrii sanctis ebriorum gratia privantur? Ut merito fit discrimen in eo qui in maiestatem et potestatem peccat, unde laeduntur omnes, et eo qui unum aliquem laedit, ita cuperem fieri in coetibus et scripturae sacra[3]) tractatione. Si quis domi aut alibi inebrietur, vel improbe rixetur, iudicium et mulctam subire et committere merito debeat, quanto coetus et ecclesia sanctior est, et tam sacra tractatio divinior est, tanto gravius plectantur qui non sancte et reverenter in his versantur. Mala tollenda sunt et non tam bona.

Sed ego hic mihi sapere nolo, verum meliora sequi paratus sum. In controversis malo sententiam suspendere quam temere definire. Hinc factum est quod nihil nisi ad te unum scripserim eorum quae me movent. Tantum scire cupivi quid actum sit. Mea quaeso boni consule. Exoptarem te *Viretum* super his audire: nam posset facilius et melius omnia referre quam ego. Praeterea vix puto alterum esse inter Gallos, qui melius norit quid gallicis conducat ecclesiis. Non quod tuum iudicium non quam maximi faciam, quum supra modum tui etiam commemoratione oblecter et tantam conceperim spem, ut nihil mihi non pollicear: petoque, ut hactenus praesens favit Dominus, ita semper adsit praesentissimus. Sed non obfuerit aliquando *Viretum* audire. Indignus sane sum qui tam officiose saluter a viro theologo tam pio *Bullingero*, ad quem scribendi neque nuncius neque tempus copiam fecit. Mire cupio, ut Satanas dissidium infelix passim spargit, et omnia quam amarissime et impotentissime exagitavit, ita formulam, qua speramus posse omnes ad concordiam trahi, passim dispergi. Christus faxit ut feliciter et cito exeat. Reverenter et officiosissime iube, quaeso, salvum esse et clarum in domo Domini *Musculum*, cui tecum et symmystis fausta omnia precor. Collega te salutat. Vale. Neocomi 8. Calend. Octobris 1549.

Tuus totus Farellus.

1273. 1) *Conzeno autore synodos cessasse memoriae traditum non est. Certe plures celebratae sed non, ut olim decretum fuerat, quotannis et statutis temporibus.*
2) *Tunc Albonensis minister.*
3) *sic.*

1274.

FERONA[1]) CALVINO.

Averniacum vocatus ut ludi magisterium suscipiat, Calvinum adit consultum quid agere debeat muneri se imparem sentiens.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 216.)

A Monsieur Monsieur maistre Iehan Calvin pasteur de leglise de Geneve.

Scis tu quidem, vigilantissime pastor, quas mihi molestias asperserunt fratrum literae quae tacitis conviciis interminabantur extrema omnia, nedum miseram servitutem, ni ad eos redirem.[2]) Atqui hactenus substiti fretus tuo consilio, eoque innixus veni Lausannam. Ubi peractis aliquot diebus, quum minister verbi et cives Auverniacenses D. *Corderium* idoneum atque integrum ludimagistrum infestassent[3]) pro suae iuventutis moderatore, eo suadente provinciam hanc suscepi sub tenui admodum conditione, nempe decem florenorum quotannis. Sed quid mea est? Iam enim a biennio mihi decreveram nullam sortem quamvis humilem renuere: adeo urebat otium. Deterret attamen quorundam iudicium, qui discessum meum tam repentinum, tam insperatum, suspectum tenent, praeterque vires id negotium iurant. Quod facile eis concedo. Agnosco certe imbecille ingenium: fateor insuper me docendi ignarum. Addunt praeterea ex usu nostro minime esse istic in oppidis degere. In hoc discrimine quid mones, doctissime *Calvine*, quaeso? Incepta relin-

1274. 1) *De hoc Antonio Ferona v. post-scriptum ep. N.* 1280.
2) *Vide an loquatur de reditu in Galliam et ad sacra pontificia.*
3) *Scribere voluit:* a Corderio ludimagistrum petiissent *aut simile aliquid. Auvernier vicus est ad lacum Neocomensem, germanice Avernach dictus, inter Serrières et Colombier.*

quere non arbitror, verum potius postulare a Deo, qui indigentibus sapientiam dat affluenter. Quod si quando tristitia urserit, ad Christum confugiam qui clamavit olim, nec hodie mutat vocem: Venite ad me qui onerati estis et ego requiem vobis praestabo; sicque fiducia benevolentiae eius acquiescens dolorem solabor. Faxit Deus ut noster utcunque labor post nominis sui gloriam in commodum adolescentium suo nutu ducatur. Interim tui *Feronae* memoriam ne abiicias. Itaque ne diutius his ineptiis aures tuas offendam, claudam epistolam hanc his carminibus:

Vivite felices quibus est fortuna peracta
Iam sua: nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies, nullum maris aequor arandum.

Auverniaci 7. Calend. Octob. [4])

Anthonius Ferona
ad tua vota paratus ex animo.

1275.

WOLMARIUS CALVINO.

Bezae adventu recreatus denuo gratias agit ob librum sibi honorifice inscriptum.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 58.)

Doctissimo atque optimo viro D. Ioanni Calvino episcopo Genevensi domino suo observando et amico veteri.

S. Non credi potest quam mihi gratus fuerit atque iucundus *Bezaei* [1]) nostri ad nos adventus. [2]) Idque quum aliis multis nominibus, tum vero praecipue quod ingenti me suspicione opportune liberavit. Verebar enim, quia literarum tanto tempore nihil neque abs te neque ab illo acceperam, ne scyphus argenteus quem fratris ad te filio credideram minus bona tibi fide redditus esset. [3]). Neque id adeo quod tanti ille apud me, si intercidisset, foret, sed quod valde timerem ne honorem illum, quem mihi maximum habuisti, non eo apud me quo debet loco esse suspicarere. Hoc tantum iam per literas te scire volui quod caetera omnia *Bezaeus* longe melius coram. Bene vale in Domino, cui me quaeso precibus tuis commendes, id quod mutuo facies. Tubingae 25. Septembris anno rc. 49.

Tibi addictissimus
Melior Volmarius Rufus.

4) *Annum definies collata ep. Calvini ad Farellum supra laudata. Versus sunt Virgilii Aen. III.* 493 *ss.*

1275. 1) *Hac nominis forma ipse Beza in suis epistolis olim passim usus fuerat.*

2) *Cf. N.* 1250 *qua cum hac nostra collata tempus itineris accurate definies. Minime enim dubitandum quin haec per ipsum Bezam missa fuerit.*

3) *Facile conieceris, hunc scyphum a Volmario Calvino missum fuisse quo gratum animum pro dedicatione commentarii in secundam ad Corinthios* (*N.* 814) *testaretur. Verum tunc vel serius missum dixeris, vel Calvinum neglexisse debitum scribere responsum.*

1276.

BULLINGERUS CALVINO.

Quid in negotio Consensus tam Turici quam apud exteros iam actum sit exponit.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 71. — Exstat quoque in Cod. 111[a], fol. 219, Bernae in Epp. VII. p. 1066 et ap. Simlerum Vol. 71. Edita est ab Hundeshagenio, in libro cui titulus est: Die Conflicte des Zwinglianismus etc. p. 391.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fidelissimo pastori domino venerabili et fratri longe carissimo suo

Genff.

S. D. Non nostra quidem culpa fit quod post tantum temporis intervallum tibi, *Calvine* vir doctissime et frater in Domino carissime, respondemus. Caeteri enim fratres, ad quos vestra illa misimus, tardius suam nobis exposuerunt sententiam. Ita vero res habet. Placet nobis mutata praefatio. Placet inseri aut adiici quod inserendum aut adiiciendum scripto nostro existimasti. Ex his enim lux quaedam scripto accedere videtur. Subiecimus nos conclusionem, ac exspectamus iam tuam sententiam an ea tibi probetur, aut quid in ipsa vel additum vel ademptum aut mutatum cupias. Conscripsimus ergo formam quam fratribus nostris exhiberi et communicari, si tibi etiam ac D. *Farello* carissimo fratri nostro placeat, concedimus, ut sit mutuae nostrae consensionis in Domino testimonium. [1]) Formam eam mittimus melioribus scriptam characteribus quam ego possim scribere.

Iam quod sententias fratrum attinet sic habe. Ministris ecclesiae Basiliensis nihil huius communicavimus, non aliam ob causam quam quod intra

1276. 1) *De his omnibus cf. editionem nostram et prolegomena.*

anni spatium ediderunt, imo repararunt, fidei suae confessionem, cui quum haec nostra probe consentiant, supervacaneum videbatur ab eis postulanda confessio aut sententia, quam non ita pridem ediderant. Ministri ecclesiarum Schaffhusii et Sangalli[2]) cum gratulatione approbarunt omnia. Ministri ecclesiae Bernensis responderunt in haec verba: Nos istam explicationem D. Ioannis *Calvini* nostro calculo et suffragio in solidum unanimiter approbamus, et piam certam sanamque fatemur agnoscimus et laudamus, precantes Dominum ut spiritum suum omnibus nobis concedat et in nobis confirmet, ne ex his arripiatur tergiversandi occasio. Non tamen videtur hoc tempore vulganda, neque nos, sicuti et antea scripsimus, in editionem publicam consentimus, nempe ut nobis iubentibus edatur. Nam ad magistratum omne negotium prius esset referendum: id quod in praesenti non videtur frugiferum fore.[3]) Haec et alia huius generis et in hanc sententiam scripserunt fratres Bernenses. Est et alius quidam vir certe doctus et pius et bene meritus de literis et ecclesia Dei, qui inter alia haec ad me dedit: De vulgatione scripti huius mihi non apparet tantum ex illa fore utilitatis in communi, quantum rixarum et turbarum, non propterea quod tale non sit quod per se plurimum prodesse nequeat, sed propter praesentium temporum incredibilem malitiam, et rerum omnium disturbationem. Haec ille. Nobis vero non videtur omnino supprimenda nostra consensio, sed vulgatio per impressuram in praesenti et ad tempus meliorem que occasionem duntaxat differenda. Quod si tibi et *Farello* videatur consensio illa nostra descripta in Galliam aut aliis piis fratribus mittenda, per nos quidem licet, ut et in hac epistola initio significavi. Communicabimus et nos descriptam aliquot piis per Germaniam fratribus, si prius intellexerimus hanc tibi formam non displicere. Interim dissimulare non possum, me hanc formam misisse in Angliam amicis meis intimis, D. *Utenhovio*,[4]) *Trehero* et *Hoppero*, sed ea lege ut sibi et fidis retineant, donec intelligant extremam his manum esse impositam. Speramus autem te in nostra conclusione nihil improbaturum. Salutant te, D. *Farellum*, D. *Viretum*, D. *Gallasium*, et fratres alios symmystas omnes ministri huius ecclesiae, pastores et lectores, quorum nomine et iussu hasce scripsi. Vale, vir doctissime et nobis carissime frater. Amemus nos mutuo et oremus communem salvatorem nostrum, regem et pontificem, ut debellato Antichristo solus regnet Christus. Tiguri 30. Septemb. 1549.

H. Bullingerus
tuus ex animo

2) *Sangallensium iudicium nusquam vidimus literis mandatum. De Schaffhusianis v. N.* 1258 *et* 1268.

3) *Haec partim verbo tenus, partim summatim ex N.* 1266 *repetita.*

4) *N.* 1252.

1277.

BULLINGERUS CALVINO.

Approbatio tractatus de vitandis superstitionibus.

(Ex impressis. Vide Opp. T. VI. p. 641. Simlerus inseruit Vol. suo 70, medio m. Iunio, quod non nisi casu factum esse potest.)

S. D. Legimus librum tuum, *Calvine*, frater in Domino venerabilis et dilecte, quem edidisti de vitandis superstitionibus. Placuit is non mihi quidem soli, sed omnibus apud nos piis, non tam propter eruditionem excellentem quam propter religionis puritatem et confessionis verae fidei sinceritatem fortiter assertam. Laudamus pietatem et integritatem tuam, precamurque ut pro bono opere benedicat tibi Dominus. Interim non ignoramus tibi contradici a pluribus obiicientibus: te solum in hac esse sententia. Ergo ne ignorent et nos illa tua approbare et tecum sentire, si quando recudetur a typographo libellus tuus,[1]) hunc nostrum ei coniungere poteris, quo idem tecum argumentum tractamus.[2]) Scripsimus eum in gratiam cuiusdam viri magni pii et docti qui nostrum expetebat iudicium. Vale. Tiguri 30. Septemb. 1549.

Tuus Henrychus Bullingerus.

1278.

CALVINUS PRINCIPI INCERTO.

Literae commendatitiae pro quodam scriptae qui ex magno discrimine aegre liberatus ad patronum redit.

(Legitur in Codice Bibl. nationalis Parisiensis, sign. Dupuy Vol. 102, fol. 18 v. Verum est apographon satis recens.)

1277. 1) *Vide omnino Prolegomena nostra in Opp. T. VI.*

2) *Titulum fecit:* An liceat homini christiano simulare.

Illustrissime Princeps ac domine! [1]) Hunc bonum virum ad te proficiscentem sine meis literis dimittere nec debui nec volui, praesertim quum hoc non magni laboris officium a me peteret. Antequam provinciam susciperet quam illi postea mandasti, sicuti eum hortabar ne sibi parceret, ita quod accidit exspectandum esse praedixi, non cavendum. Nam utile erat in tempore moneri ut forti animo et intrepido exciperet tristiores eventus, neque, ut in rebus subitis fieri solet, nimio metu consternaretur. Iam vero ipsum suas partes in promovendo Christi regno fideliter egisse ex eo apparet quod impiorum rabies in eum protinus exarsit. Ex quo semel iniectae sunt illi manus, quam indigna perpessus fuerit non dico. Nam qua aequitate aut quo temperamento hodie tractetur haec causa inter furiosos, ipse non ignoras. Evasit tandem necessaria magis quam optabili ratione. At nec ulla spes erat iuris impetrandi, et via illi praeter spem a Domino patefacta erat. Nunc quum se tibi ad reddendam procurationis suae rationem offerat, quin pro singulari tua humanitate, quam ignoti quoque interdum sentiunt, eum sublevaturus sis, non dubito. Sic enim communi domino suam operam impendit, ut tibi quoque obsequia sua probare vellet. Haec ratio est cur mea etiam ipsum commendatione prosequi non alienum ab officio meo duxerim. Quae si parum habebit apud te momenti, non est quod temeritatis accuser, qui fratri non contemnendo concessi quod nec pie nec honeste negare poteram. De onere quod arduum et periculosum sustines ideo verba facere supersedeo quoniam prolixae tractationis argumentum foret. Deinde in re adeo perplexa nec exordium nec exitus mihi apparet. Nihil ergo melius quam ut me ad preces convertam, tibi a coelesti patre spiritum et prudentiae et consilii et invictae fortitudinis postulare, qui te dirigat in medio labyrintho, et supra omnes difficultates attollat. Vale, illustrissime et eximiis virtutibus ornatissime Princeps. Pridie Calend. Octob. 1549.

Tuus Ioan. Calvinus.

1279.

SULZERUS CALVINO.

Tectis verbis nunciat nescio quam mirabilem rerum in Germania metamorphosin.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 98.)

Viro praestantissimo D. Ioanni Calvino fratri in Domino colendissimo suo.

S. Literis meis proximis [1]) quae quidem volebam significaveram omnia, et plenius nunc et ea et alia item ex *Buceri* literis [2]) te cogniturum arbitror et gaudeo. Per caetera id unum nunc habeo, et certo quidem, maximarum rerum molimina in Saxonia agitari, sed valde secreto. [3]) Quae si procedant, videbimus mirabilem eamque improvisam metamorphosim. Rogandus est ergo Dominus ut piis consiliis adspiret ipse, et largiatur vires et eventum propter sui nominis gloriam. Plura de his scribam quum certa habuero et secreto scribere potuero. Vale, mi frater, cum tuis omnibus. Salvum te iubent mei symmystae. Basil. Cal. Octob. anno 1549.

T. Sultz.

1280.

CALVINUS FARELLO.

Farelli liber quem deperditum crediderant apud Girardum repertus est. A Bullingero nihildum accepit responsi de formula consensus ad suam mentem emendata. Buceri novae literae. Feronam commendat.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 5. — Ed. Bretschneider p. 27.)

Eximio Christi servo Guill. Farello, Neocomensis ecclesiae fido pastori fratri et symmystae coniunctissimo.

S. De libro nunc licet mecum rideas. [1]) Me quidem per dies aliquot valde anxium et tristem habuit. Eum *Viretus* Ioanni *Girardo* miserat, sed apud me esse arbitrabatur. Ego, qui sciebam mihi nunquam esse redditum, ut *Viretus* domi suae quaereret instabam. Hodie primum mihi in mentem venit sciscitari ex *Girardo*. Et nos quidem ambo

---

1278. 1) *Nomen istius principis divinando assequi desperamus, nec minus caetera omnia quae hic leguntur cimmeriis tenebris obvoluta nobis apparere candide fatemur.*

1279. 1) *deperditis.*

2) *Ad N.* 1240 *hic alludi facile nobis persuademus, ita ut haec Buceri ad Calvinum epistola Basileae resignata videatur, quum et infra eadem saepius retractetur.*

3) *Ita quidem ut ad posteros de talibus nihil pervaserit. Quae Sleidanus de rebus saxonicis hoc tempore gestis tradit* III. 165. 175. 178 *magnos istos Sulzeri hiatus minime comprobant.*

1280. 1) *Vide N.* 1267 *et seqq.*

iustam erroris nostri poenam dedimus. Te vero nihil meritum in molestiae partem trahi aequum non erat. Sed quum *Girardus* nos simul omnes cura liberaverit, dabis utrique veniam, quia satis poenarum dedimus.

Bullingerus nondum respondit.[2]) Ex *Halleri* literis,[3]) siquidem a *Vireto* ad te missae sunt, intellexisti placuisse Tigurinis meam epistolam, quia suam addiderint ipsi. Bernates subscriptionem refugiunt, neque tamen recusant quin de suo consensu et approbatione Tigurini testentur. Duas appendices[4]) an inseruerint, scire vehementer cupio. Eius rei *Bullingerus* spem facere videbatur. Et sane, cur se difficiles praebeant, nulla est causa, ut vides.

Heri literas bene prolixas a *Bucero* accepi, quas tibi intra biduum mittam. Necdum enim perlegere licuit. Scribit tumultuantes in Anglia fuisse subactos caesis quinque millibus, neque tamen fractam adhuc esse animorum ferociam.[5]) Dum haec scribere incipio, mutavi repente consilium: literas mittere decrevi prius leviter percursas, ut tu prima quaque occasione ad *Viretum* cures. Si quid scribere placuerit, habeo fidum hominem qui brevi in Angliam proficiscetur. Fac tantum ut literae tuae hic sint ante 16 huius mensis diem. Haec eadem est ratio cur literas *Vireto* quam primum velim remitti. Theses[6]) per alterum nuncium habebis. Nam curabo et *Vireto* alterum exemplar descriptum. Triduum proximum paraclesi[7]) quam a me postulat destinavi. Vale, integerrime et mihi in Domino carissime frater. Dominus Iesus te servet, tibi semper adsit, ac te regat. Saluta diligenter collegam et reliquos symmystas nostros. Genevae 5. Octob. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Optimum senem Antonium *Feronam*,[8]) qui nunc Auverniaci[9]) ludimagister est, tibi commendatum esse cupio, non tantum quod conterraneus meus est, sed quod pium et probum esse hominem iudico.

Ferronius in Galliam quidem profectus est, verum non alio consilio, siquidem illi fidem haberi convenit, nisi statim huc se reciperet, vel, si in Angliam tutum esset iter, mare traiiceret. Cur nostrum illi consilium negaverimus, *Helias* tibi referre debuit.

2) *Scil. N.* 1276 *nondum Genevam pervenerat.*
3) *N.* 1262.
4) *imo novas recensiones art.* 5 *et* 23 (*cf. N.* 1238).
5) *Haec quoque in N.* 1240 *leguntur, versus finem.*
6) *quas Bucerus iam in post-scripto ep. suae promiserat. De iisdem Farellus N.* 1269.
7) *Hanc Protectori destinatam etiam Farellus habere cupiebat l. l. vide ep. seq. not.* 2.
8) *N.* 1274.
9) *Br. male legit:* Annecinaci *vel* Annerinaci.

1281.

CALVINUS VIRETO.

Farelli liber tandem repertus. Bezam simul ex itinere redux erit ut Lausannensium votis cedat rogabit. Consilium eorundem de Arenaeo captum approbat.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 23 coll. cum Cod. 111, fol. 238, Epp. Bern. VII. p. 1069 et Simleri Vol. 71.)

[*A Monsr. Monsr. Me. Pierre Viret.*]

S. Liber *Farelli* apud Ioannem *Girardum* erat. Ita factum est ut ambo iustas oblivionis nostrae poenas dederimus. Me certe non modice cruciavit eius quaerendi sollicitudo, quia ex literis *Farelli* suspicabar, eum non aliter sentire quam data opera fuisse suppressum.

Bezam ante fortassis convenies quam hae literae tibi reddantur. De *Arenaeo* placet tuum consilium.[1]) Nunc rus concedo, ut hoc triduum scriptioni mihi a *Bucero* iniunctae,[2]) si tamen valetudo patietur, addicam. Literas[3]) ad *Farellum* misi quia tunc ad manum erat nuncius. Rogavi tamen ut quamprimum ad te ferendas curaret, ut satis habeas temporis ad respondendum. Simul ac *Beza* appulerit modis omnibus pervincere conabor ne quid recuset. *Arenaeum* vobis fore obsequentem confido. Si quid tamen erit difficultatis, aetati ut ignoscas peto: modo tandem melioribus consiliis obtemperet. Vale, frater et amice in Domino carissime. Saluta meo nomine diligenter collegam, *Ribittum*, alios fratres, domi uxorem et filiolam. 6. Octob. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

Dies nondum est nuptiis[4]) constitutus. D. tamen *Fallesius* opportune tibi et *Plessiaco* edicet. Spero fore huius mensis vigesimum.

1282.

VIRETUS FARELLO.

Ex Beza reduce rescivit Buceri literas ad utrumque et Calvinum advenisse, de quibus tamen hic in suis nihil. Bustorgii liber et praefatio contumeliosa.

1281. 1) *N.* 1272.
2) *Haec erat paraclesis illa quam ut Protectori scriberet Bucerus a Nostro petierat v. N.* 1240, *not.* 12.
3) *Buceri.*
4) *in domo et familia Fallesii.*

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. III. N. 21. Cf. Baum, Beza I. 117 not.)

Guilielmo Farello Neocomi.

— — — — — — — — — — — — — — — —

Beza, qui hac transiit e Germania rediens cum bibliopolis Genevensibus, admonuit de quibusdam *Buceri* literis [1]) ad nos, hoc est, te, *Calvinum* et me, et fasciculo quodam literarum quem Genevam curaverat transmittendum. Scripsit ad me *Calvinus*, sed de illis literis nullum verbum. Non dubito tamen quin verum sit quod dixit *Beza*, sed aut nondum *Calvino* redditae fuerunt, aut forsan non ei venit in mentem quum scriberet. [2]) Meminit quidem laboris sibi a *Bucero* iniuncti ob scriptionem quan[*dam*, *cui*] ut se addiceret ad triduum rus concessit. Misit et pronunciata quaedam de eucharistia, quae ex Anglia audio allata. [3]) Sed nihil de ea quoque re scripsit. Quo fit ut nesciam unde sint profecta. Ubi excerpta curavero, ad te mittam per Michaelem *Mulotium*, qui se huc rediturum recepit. Admonuit praeterea *Beza*, *Bustorgium* [4]) dedisse *Oporino* suam in Epistolas Pauli versionem et paraphrasin gallicis rythmis imprimendam, visam et approbatam iudicibus *Castalione* et *Coelio*, cui praefationem praefixit in nos et nostram classem contumeliosam admodum, quamvis suppressis nominibus, sed ita circumloquutionibus expressis ut quivis facile subolere possit in quos invehatur. Huius admonuit *Oporinum*, qui promisit hanc sibi rem curae fore. — — — — — — — — Lausannae 10. Octob. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1283.

VIRETUS CALVINO.

Materiam scribendi suppeditant Buceri literae, de cuius thesibus nunc scribere, et sic fortasse novae controversiae ansam praebere, neque ipsi libet neque omnino consultum videtur.

1282. 1) *Haec literae eae ipsae sunt de quibus in praecedentibus saepius dictum est.*

2) *Viretus hic hallucinatur, quum dicat Buceri literas fortasse nondum Calvino redditas esse, quum hic ex iisdem de officio paracleseos scribendae sibi imposito iam ipsum certiorem fecerit et ipsas Buceri literas ad Farellum misisse affirmet.*

3) *Buceri theses puta.*

4) *De hoc non habemus quod dicamus. Vide infra N.* 1290.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 92, cuius apographa reperies in Cod. 116, fol. 115 ubi tamen confusionem fecit bibliopegus, tum Bernae in Epp. VII. p. 1063 et apud Simlerum Vol. 71.)

Praestantissimo Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae amantissimo

Genevae.

S. Mitto ad te hunc fasciculum, [1]) quem ut tibi curarem tuto reddendum impense rogavit *Bullingerus*. Pollicetur summam posthac in ecclesiis concordiam, scribitque formulam vestram de eucharistia et a Bernensibus et ecclesiis helveticis omnibus probari. Gaudeo et *Bucero* non displicere. Legi enim literas quas ad te scripsit a *Farello* huc missas, ex quibus quaedam intelligo quae postremis tuis literis tantum attingebas, quia putabas illas *Buceri* literas iam a me visas fuisse. Sed unum superest quod nondum satis capio. Scribis te *Farello* mandasse, *Buceri* literas ut quamprimum ad me ferendas curaret, quo satis temporis concederetur ad respondendum: *Farellus* ad me scribens dicit se malle ut scribam quam se. Ego vero nescio quid a me scribi *Farellus* velit. Quid denique *Bucero* respondeam non video. Nihil enim a me responsi postulat, nisi quod in genere videtur nostram omnium sententiam requirere super pronunciatis illis et thesibus quas misit. Quo fit ut suspicer, illa esse quae mihi nuper *Simon* attulit, sed arbitror te abunde responsurum. Neque sat scio an satis expediat hoc praesertim tempore ea de re scribere, quo vixdum bene veterum dissidiorum obductae sunt cicatrices, recentiores quam vel ut attingere fricando sine periculo non liceat. Non ignoras quantum nobis mali literae aut interceptae aut communicatae pepererint, et quae habuerint sinistrarum suspicionum fomenta. Vides quam sit difficile hac de re scribere aut loqui tam moderate, quin aliquid aut desideretur aut offendat. Deinde te non latet quanta laboret suspicione eius persona ad quem scribendum est, et quantum eius solius obtutus iudicia nostra legentium perturbet. Quare tutius iudico in totum ab huiusmodi scriptione abstinere, ne quis novas inde arripere possit tumultuandi occasiones, et nostris studiis obstrependi. Praestat te unum omnia curare, et, si opus est, *Farellum* adiungi, nisi tu aliud censes esse faciendum. Lubens enim tuum sequar consilium. Quod si in hac es sententia, literas scribam duntaxat officii gratia, reliqua tuo committens iudicio et curae. Tu igitur primo quoque tempore quid mihi putes fa-

1283. 1) *Scripta quaedam ad negotium consensionis pertinentia, nisi fallimur.*

ciendum scribe et admone. Ego vero dabo omnem operam. Sunt quaedam in illis pronunciatis quae prima lectione non satis assequi potui, et quae visa sunt parum emendate scripta. Suspicor aliquid a scriba aut additum, aut omissum, aut immutatum. Attendam tamen propius. Salutant te nostri omnes. Saluta amicos. Lausannae 13. Octobris 1549.

Tuus Petrus Viretus.

Admonebis etiam si in manu habes nuncium et quando sis emissurus aut per quem curaturus ut literae perferantur.

1284.

MINISTRI LAUSANNENSIS CLASSIS SENATUI BERNENSI.

Viretum Bernam delegatum significant, qui apud Senatum de abrogando decreto circa colloquia nuper edito agat.

(Hoc documentum et quae proxime sequentur duo exstant in Archivis Turicensibus Plut. VI. Vol. 105 olim Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 439 seqq. et apud Simlerum Vol. 71 hoc communi titulo insignita: *Acta de abrogandis vel retinendis colloquiis singulis hebdomadibus classis Lausannensis 13. Octobr. — 9. Novembr.* 1549. Est apographon ad Turicenses ministros missum. Numeris distinguuntur 1. 2. 3 ad quos pertinent 4 et 5 quoque quae supra habuisti N. 1254 et 1256.)

Exemplar literarum classis Lausannensis ad magnificos dominos Consulem et Senatum Bernensem.

Magnifici et observandi domini! Non putamus vos alienum officio nostro existimaturos, neque in contumaciae aut arrogantiae loco habituros, quod dilectissimum fratrem nostrum Petrum *Viretum* decanum nostrum una omnium mente et consensu ad Amplitudines vestras legatum misimus, ut quaedam nostrum omnium nomine vobiscum communicaret, quae vos admonendos existimavimus de mandato quod nuper praefecto vestro Lausannensi dedistis: in quo scriptum erat de abrogandis colloquiis et congressibus, iam inde ab evangelio in hisce nostris ecclesiis publicato usitatis et singulis hebdomadibus repetitis. Quin potius speramus, vos cognitis et perspectis causis, quae nos ut id faceremus impulerunt, miraturos esse quod tam tarde ad hoc ipsum aggressi simus: praesertim quum ea res eius sit momenti ut, si eam nos silentio ferremus, non omnes modo pii et religiosi homines qui usu longo compertum et exploratum habent, ea colloquia quum aliarum ecclesiarum omnium tum vero Lausannensis inservire commodis, verum etiam nosmet ipsi cogeremur nos ignavos et perfidiosos confiteri, utpote minus bene officio ac iureiurando nostro perfunctos, eiusque nostrae negligentiae culpam, tum apud Deum et eius ecclesiam quum apud maiestatem vestram sustineremus: quippe quum in hoc negotio et Dei et vester honor agatur, nec non aedificatio et conservatio tum ecclesiae tum ministerii ipsius. In qua ipsa conservatione tuenda et fovenda magnum semper vestrum, utpote christianissimorum principum, studium magna industria versata est. Neque unquam vestrae repertae sunt occlusae aures, aut piorum hominum monitionibus minus patentes. Quae nos duae res, simul quod vestram humanitatem, prudentiam, pietatem, singularem denique tum in ecclesiam tum in illius ministros ac paternam voluntatem identidem experti sumus, nos certe non parum audaces facit ut bono animo et fidenter ad Amplitudines vestras confugiamus, magnam spem habentes fore ut semper maiorem et faciliorem aditum opem et favorem omnibus in rebus assequamur. Quae res ad honorem Dei et vestrum, salutem praeterea et pacem ecclesiae eiusque ministerium conservandum attinebunt, sine quo nullo illa modo stare potest. Itaque, observandissimi et magnificentissimi Domini, suppliciter et demisse, et quam maxime animi nostri obtestari possunt, a vobis petimus ut ea quae mandato et nomine nostro decanus noster vobis exponet audire dignemini, eaque pro rei dignitate expendere momentoque suo ponderare nulla tenuis et abiectae conditionis nostrae habita ratione, verum ad illum solum spectantes cui vigiliae et labores nostri destinati et addicti sunt, et cuius nomine vobis haec exhibentur, quemque ardenti studio obsecramus ut vos donis et muneribus suis magis magisque cumulatos reddat, ac proinde spiritu suo consilium vobis impertiat perutile ecclesiae suae vestraeque reipublicae, et imperio cuius ab ipso vobis procuratio commissa est. Valete. Lausannae ex generali classis nostrae conventu 13. Octob. 1549.

Ioannes Raymondus Merlinus
iuratus classis Lausannensis totius classis nomine.

1285.

MINISTRI LAUSANNENSIS CLASSIS SENATUI ET MINISTRIS BERNENSIBUS.

Instructio Vireto a collegis data.

Mandata legationis fratris nostri *Vireti*, decani classis Lausannensis, quibus ea continentur de quibus tam observandissimos et magnificentissimos principes quam eorum concionatores et professores admonere debet, circa abrogationem colloquiorum quae scripturae sacrae tractandae et disciplinae ac ministerii ecclesiae conservandi causa instituta sunt.

Quoniam hoc negotium, de quo nobis agendum est, non levis est momenti, ac fortasse, nisi clare et ordine exponatur, aliud existimari posset quam revera sit, visum est primo loco de ordine dicere qui in colloquiis observatur: ac tum paucis exponere quo fundamento scripturae sacrae earumve synodorum, quae superioribus temporibus coactae sunt, aut ipsorum denique principum autoritate nitantur: tertio, quam brevissime fieri poterit, explicare qui fructus ex hac disciplina ad ecclesiam redeat, contra quae mala atque incommoda ex eorum abrogatione ventura videantur: denique utrum expediat propter quorundam abusum, qui fortasse in iis intervenerit, tam laudabile et salutare institutum rescindere.

Ordo et forma colloquiorum. [1])

1. Primum constituimus ad illa colloquia et congressus ineundos diem Mercurii, quo die schola vacationem habet, utpote magis ad eam rem accommodatum, quo videlicet tam concionatores quam scholastici salvo officio ac studio suo convenire possent.

2. Semper exordium sumimus a precibus, eodemque pacto finem facimus. In his autem agimus Deo gratias eumque oramus ut necessitatibus ecclesiae succurrat, praesertim autem ut magnificentissimos principes nostros, sub quibus beneficio Dei tranquille et placide vitam in eius semitis transigimus, semper beatos et florentes tueatur.

3. Porro semper unus ex concionatoribus aut professoribus colloquii, tum ex urbe tum ex agro, ordine suo gallice proponit eum scripturae locum qui deinceps tractandus est, ex eo libro qui iam explanari coeptus est: eaque capita persequitur quae tum ad loci intelligentiam tum ad usum doctrinae et aedificationem ecclesiae pertinent.

4. Posteaquam ita propositio absoluta est, permissum est unicuique eorum qui deinde sequuntur id quod ipsi a Domino datum est exponere, iuxta ea quae Paulus docet 1. Cor. 14.

5. Verum ut vanis et absurdis garrulitatibus occurratur, iisque nugis quae vel extra rem vel contra iam receptam in ecclesia doctrinam et reformationem adduci possent, utque id sine ulla turba, si quando accideret, emendaretur, atque componeretur, ordo eorum qui conventibus istis intersunt ita descriptus est, ut quos Deus maioribus ornamentis cumulavit, quique earum rerum curam habent, partim primo loco sententiam dicant, partim vero extremo: nimirum ut tum ab exordio tum in extremo ea tractatio ad doctrinae christianae puritatem exigatur, contra falsa et inepta dogmata corrigantur et repudientur.

6. Et quoniam linguarum cognitio ad scripturae cognitionem magnopere necessaria est, professores hebraeae et graecae linguae suo quisque ordine propositum locum interpretantur, translationes alias cum aliis comparantes.

7. Interea autem, quoniam magnus pauperum advenarum numerus, partim qui sunt huius loci incolae et habitatores, partim qui quotidie studiorum causa vel propter saevitiam, quae contra evangelium exercetur, ad nos commigrant, colliguntur pecuniae quibus eorum necessitati et afflictis rebus succurratur, atque eo pacto, quantum quidem in nobis est, ecclesiae ac magnificorum Dominorum onera sublevamus. Huc autem unusquisque eorum qui adsunt arbitratu suo confert quod illi visum est: quod vero ita coactum est postea pro cuiusque necessitate, opera et consilio eorum quibus ea cura ab omni conventu commissa est, distribuitur.

8. Postquam ita ad exitum perventum est, tum congregatione post gratiarum actionem et precationem absoluta qui non sunt e numero ministrorum vel professorum, veluti scholastici et alii praeterea nonnulli, abscedunt: ac tum demum qui proposuit, continuo, si quid in eius propositione animadversione dignum est, admonetur. Quo postea secedere iusso in eius mores inquiritur. Postremo revocatus audit aliorum de se censuram.

9. Caeterum, si quid consulendum est ecclesiae vel scholae negotio, id inter professores et ministros conficitur.

Hactenus de forma et ordine colloquiorum.

Quibus fundamentis colloquia constituta sint.

Ex his quae diximus perspicuum est hunc ordinem apertissimis scripturae fundamentis fretum ac munitum esse, tum praeterea apostolorum et veteris ecclesiae exempla imitari. Neque quidquam apud nos esse arbitramur quod magis ad formam et ritum veteris ecclesiae accedat, de quo Paulus

---

1285. 1) *Haec rubrica Vireti manu scripta est.*

commemorat 1. Cor. 14. 2. Cor. 8. 9. praeterea Luc. 4 et Act. 2 et 13, sive precationem, sive scripturae tractandae rationem, sive pauperum et afflictorum curam spectes.

Accedit huc quod eadem colloquia nituntur autoritate et magnificorum principum et omnium synodorum, conventuum, congregationum, quae ad haec usque tempora in ditione eorundem principum coactae sunt nec non consensu et summa omnium concionatorum, qui antehac fuere et adhuc supersunt, comprobatione.

Quae utilitas ex iisdem colloquiis ad ecclesiam perveniat.

Quod si, quo modo ea colloquia instituta et observata sunt, diligenter spectemus, perfacile est id quod quotidie ex ipso usu intelligimus animadvertere: magnopere videlicet ea colloquia ad christianae doctrinae puritatem, reformationem, ac disciplinam ecclesiae et ministerii conservandam conducere: facile praeterea falsis dogmatibus, seditionibus, sectis, factionibus occultis et scandalis, tum in doctrina tum in moribus, eo pacto occurri posse: denique aliorum eruditionem, aliorum studia et virtutem excitari, et eos qui aliqua in re ab religione officii sui declinant corrigi atque emendari.

Neque ulla meliore ratione arbitramur vel diligentius scripturam examinari et perpendi posse, vel una de omnium studiis conferri, vel varia Dei dona, quibus ecclesiam suam ornavit, communicari, vel commodius de scholasticorum ingeniis periculum fieri, eorumque omnium, qui tum in ministerium cooptati sunt, tum vero dum cooptentur exspectant. Huc accedit quod iuventus exercetur suique ingenii et eruditionis specimen praebet. Occurritur autem vel maxime ignorantiae, quam quidem merito matrem omnium errorum appellant, eique inscitiae et stupiditati quae inter papistas versata est.

Quid quod nihil aeque erigit aut confirmat inquilinos qui se huc evangelii causa conferunt: neque vero quidquam est quod vel scholas vel ecclesiam nostram magis decoret, eique maiori ornamento sit. Denique tantum eius rei fructum et commodum arbitrantur ut multi iique non indocti aut rerum imperiti malint sibi tres conciones quam unam congregationem deperire.

Quae damna et incommoda ex colloquiorum abrogatione ventura videantur.

Ex his fructibus quos breviter strictimque commemoravimus intelligi potest quae damna contra ex colloquiorum abrogatione ventura sint, et profecto, quum tanta etiam in plerisque nostris inscitia et ignorantia sit, tanta praeterea scandala ex eorum depravatis et corruptis moribus oriantur, quamvis magnam et assiduam magnifici principes aut vero nosmet ipsi diligentiam adhibeamus, quaeso quid futurum putemus, quum quisque ministrorum perfunctorie quater tantum singulis annis coram fratribus comparebit? praeterea quam segniter aut leviter in mores aut doctrinam eorum inquiretur, si tot negotia simul expediri oporteat?

Porro ut aliquid in scholae aut ecclesiae negotiis contigerit, quod remedium et curationem praesentem efflagitet, quam laboriose et magna cum difficultate delegandi erunt qui huc illuc concursent, et ministros ad extraordinariam congregationem evocent? Quam vero magno cum periculo differentur negotia et morbi quidam, qui paratum remedium postulant, usque dum unum e quatuor illis ordinariis colloquiis stato tempore agetur?

Insuper huius quoque calamitatis partem inopes et egeni sustinebunt, propter abrogationem earum collectarum de quibus ante commemoravimus. Quin ipsi quoque exteri inquilini non mediocriter offendentur, neque dubium est quin multi honesti et pii homines urbem hanc deserent, alio quopiam remigraturi, ubi honestis illis exercitationibus frui possint: eos etiam, qui ad nos cogitabunt avertent. Ex quo quantus honor ad Deum, magnificos principes aut eorum scholas redibit, cogitabunt ii qui eius mutationis autores erunt.

Quibus causis adducti sint magnifici Domini ut abrogationi colloquiorum consentirent.

Non negamus magnificos principes quibusdam causis, iisque prima specie probabilibus et similibus veri hanc abrogationem instituisse: neque dubitamus quin solum honorem Dei et tranquillitatem ecclesiae spectarint. Quare vehementer etiam atque etiam eos rogamus ne hoc tantum spectent, si forte nonnulli colloquiis illis abusi sint, aut quaedam incommoda inde profecta sint: sed potius cogitent quam multi pie et honeste illis utantur, ac reputent, longe maiorem et ampliorem utilitatem quam ullum incommodum inde accidere. Nam quod tandem institutum tam pium aut sanctum est, quod non rescindi et dissolvi oporteat, si ea omnia rescindenda sunt quibus homines perversi ac praeposteri abutuntur? Nulla certe concio, nullus cuiusquam rei usus ne punctum quidem temporis permaneret. Etenim sic se res habet: quo quaeque res sanctior et castior magisque inviolata est, eam diabolus tanto maiore studio et cupiditate pervertere et perturbare nititur, ut ea tandem prorsus ac funditus evertatur.

Quod si propter abusum improborum ea abroganda sunt quibus boni viri recte uti possunt, quanta fenestra depravatis et hostibus disciplinae et istiusmodi censurarum aperitur omnia turbandi et miscendi, denique omnem ecclesiae ordinem evertendi,

ut eorum improbitas tecta sit, neque quidquam illis non liceat?

Neque vero difficile est obviam ire laboribus et molestiis ministrorum quibus magnifici principes parcendum esse statuunt. Neque enim unquam quisquam ad ea colloquia convenire coactus est: quinimo perfacile et perhumaniter excusatio illorum recipitur, qui legitimam et iustam absentiae causam afferunt.

Quod autem ad exemplum Tigurinorum et Basiliensium attinet, quo exemplo niti principes et magnifici Domini videntur, profecto non dubitamus quin multi excellentes ingenio et doctrina singulari praediti earum ecclesiarum curam gerant. Verum si quid amplius a Domino ecclesiae nostrae datum est, aut vero si quem ordinem paulo diversum ab eo retinemus qui in eorum ecclesiis observatur, eos certe non magis putamus nobis hoc Dei beneficium invidere quam ipsis invidemus, si quae Dominus praestantiora et maiore cum copia illis quam nobis largitus est. Quare vehementer petimus ab humanissimis principibus nostris ut potius cogitent, annon satius esset et utilius ecclesiae nostrae, si quarundam rerum exempla, quibus illi optimis et utilissimis abundant, ad nos transferrent, quam si perexiguam et pertenuem illam disciplinae partem, quae nobis reliqua facta est, nobis adimant: praesertim quum illud tam saepe et tam valde ab iis petierimus, tum autem evidens ecclesiae necessitas etiam atque etiam efflagitet.

His itaque omnibus de causis iterum suppliciter petimus a magnificis principibus, ut pro sua clementia et humanitate expendant, utrum quae res adeo salutaris et fructuosa videtur, quae multo ante tempore instituta et usitata est, quae tum illorum autoritate et conventuum generalium omniumque adeo concionatorum et professorum consensu et comprobatione fundata et constituta est, quae nostra quidem sententia rescindi sine magnis scandalis, magno ecclesiarum et scholarum intertrimento non potest, ea res propter quorundam abusum abroganda sit: existiment etiam an aequum sit, ut boni poenam impiis et iniustis debitam sustineant. Quod si iidem humanissimi principes nonnullam in ea re nostram culpam reprehensione dignam animadverterent, nos tamen maiorem in modum petimus atque contendimus ab iis, ne ob eam causam tam sanctum institutum abrogent, ac tanto ornamento ecclesiam et eos qui deinceps futuri sunt spolient: neve illos iis malis onerent quae meriti sumus: denique, si nostram in Deum et Amplitudines egregiam fidem experti sunt, tantum nobis tribuant, ut aliquanto adhuc tempore experiantur quo pacto nos in iis colloquiis gesturi simus, et quam in corrigendis corruptelis, quae fortasse in his intervenerint, diligentiam adhibebimus. Quod si quis deinceps hisce optimis institutis abutatur et ecclesiae pacem interturbet, nos vel gravissimum in eo et acerbissimum exemplum ut edatur, omnes una mente et consensu, multos iam annos et nunc, ut quum maxime postulamus.

Ioannes Raymondus Merlinus
Classis Lausannensis iuratus totius classis nomine.

1286.

MINISTRI LAUSANNENSIS CLASSIS AD BERNENSES.

Commendant Viretum collegis Bernensibus, de colloquiis denuo permittendis deque Beza et Hotomano professoribus confirmandis cum senatu acturum.

Exemplar literarum ad ministros Bernenses classis nomine.

S. Quia Petrum *Viretum* decanum nostrum nobis carissimum istuc ad vos mittimus cum mandatis nostris, [*qui*] tum apud vos tum apud clarissimum senatum vestrum nostram expositurus est sententiam de iis rebus quas ecclesiae nostrae necessarias esse existimavimus, non putavimus longiore opus esse epistola. Hoc solum a vobis per nostram amicitiam, perque illam communitatem quam vobiscum habemus in Christo, ac per Christum ipsum illius autorem et conservatorem, et per commune nostrum omnium ministerium vehementer petimus et contendimus, ut fratri nostro et decano sua vobis mandata nostro omnium nomine exponenti, primum super electione horum duorum fratrum Theodori *Bezae* et Francisci *Ottomanni*, [1]) deinde super colloquiorum abrogatione, et denique super postulatis nostris synodalibus et aliis quibusdam id genus, non solum fidem habeatis, sed vos etiam aequanimos et benevolos ac faventes exhibeatis, communemque ecclesiae causam nobiscum suscipiatis et vestro adiu-

---

1286. 1) *Beza literarum graecarum professor factus est, Hotomanus latinarum s. humaniorum quas dicebant. Caeterum de huius additione inter viros doctos ultro citroque disputatum. Sunt qui eum nunc primum Lausannam se contulisse dicunt, et quidem a Beza arcessitum (Tessier). Ruchatius vero* (IV. 438) *iam a.* 1547 *vocatum dicit, quod et Haagio* (V. 526) *placuit. Et Baylius eum iam ante Bezam Lausannae fuisse asserit. Patet quidem ex nostro loco eum demum m. Octobre* 1549 *rite vocatum, sed ex Ep. N.* 968 *constat eum iam biennio ante ibidem commoratum fuisse, antequam Lugdunum peteret.*

vetis patrocinio. Quod si impetramus, ut causae bonitas et dignitas vestra atque ecclesiae scholarum communisque ministerii necessitas nobis non postulare modo verum etiam efflagitare iure videntur, non dubitamus quin extemplo voti compotes nullo [2]) negotio simus evasuri, auctiorque semper et confirmatior deinceps amicitia inter nos et animorum consensio futura sit. Quin etiam hoc quoque nostra ex parte futurum promittimus ut huius suscepti pro ecclesia laboris nunquam vos poeniteat. Valete, fratres et patres plurimum observandi. Lausannae ex generali classis nostrae conventu. 13. Octobris 1549.

Ioannes Raymondus Merlinus
iuratus classis Lausannensis totius
classis nomine.

1287.

CALVINUS VIRETO.

Invitat eum ad nuptias in familia Fallesii celebrandas.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 24. — Habent quoque Turretinus Cod. 111, fol. 237, Epp. Bernensium Tom. VII. p. 1074 et Simlerus Vol. 71.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri mihi carissimo.

S. Cuperem omnino te adesse ad nuptias, [1]) nisi tibi et ecclesiae valde esset incommodum. Ego vero non tanti excusationes tuas duco ut spem nostram frustrari debeas. Praecipua est, quod tibi fratres eorum iniungent exsequutionem quae in conventu statuerint. Verum si quid de *Beza* erit deliberatum, [2]) saltem vocandus esset. Annon melius erit tecum eum reducere. Diem nundinarum [3]) nescio. Verum si in aliud tempus reiicere liceat quibus condixisti, fac, obsecro, ut venias. Non addam plura, ne videar de adventu tuo dubitare. Vale igitur, frater in Domino integerrime. Fratres et uxorem ac filiolam diligenter salutabis. Genevae 14. Octob. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

2) nullo negotio *cuett. usque ad finem, adeoque ipsa subscriptio Vireti manu scripta sunt in exemplari quo usi sumus.*

1287. 1) *N.* 1281, *not.* 4.

2) *quem ergo iam electum et senatui propositum nesciebat.*

3) *Simlerus coniicit legendum esse:* nuptiarum. *Quod cum tenore epistolae minime convenit, et inspecto autographo plane reiiciendum est.*

1288.

FARELLUS CALVINO.

De Buceri literis, thesibus, curis et formulis denuo satagitur et condigne.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 89. Legitur etiam in Cod. 116, fol. 13. Bernae in Epp. VII, p. 1071 et ap. Simlerum Vol. 71.)

Praeclarissimo Christi servo Io. Calvino ecclesiae Genevensis fidelissimo pastori summa et pietate et eruditione

Genevae.

In quantis versetur angustiis magnus ille et clarus servus Domini *Bucerus*, suae ipsius testantur literae, quas vix inspicere licuit, siquidem, quum tarde eas excepissem sub noctem, mane statim ad *Viretum* misi, ut is, quod ego non possum, tecum virum solaretur animosque ei adderet. Multus est, [1]) ut ex verbo Dei loquamur: quod sane supra modum est probandum, et *Lutherus*, qui hoc regebat, non passus est legem apud suos locum habere plene, quemadmodum et antagonistae. Peccatum utrinque non parum. Inclamabat ille, circumcisionem foedus esse, quod et verum est, ut scriptura habet. Reclamabant hi, circumcisionem nihil esse, quod et verum esse scriptura non negat. Quumque pugnantes verbis re non satis intellecta sese impeterent, non pugnantia respuerunt et non admiserunt. Tu, ut potes, animos saucios curato. Expedit siquidem *Bucerum* sibi vim facere et meliora de fratribus sperare et gravioris simultatis oblivisci. Suspecta esse omnia *Buceri* fecerunt improbi, qui nomine *Buceri* inflati nihil non everterunt, semper disciplinam in ore habentes, et omnia impie agentes, furiis exagitati, diabolos evehentes in coelum et angelos sanctissimos in abyssum deturbantes, nihil nisi impotentia animi agentes. Sed ut apud *Bucerum* agendum, quo mens ipsius ex prioribus non ita omnia iudicet futura, ita mature alii erunt componendi, ne semper pergant in pium, sed adiuvent precibus: et ut pos-

1288. 1) *Si quid videmus, dicere vult Bucerum verba facere, quibus ipsis persuadeat ut in re sacramentaria non formulis scholasticis sed biblicis utantur.*

sunt, quae alii egerunt, omnia ipsi *Bucero* feruntur accepta, ut migma illud deformis reformationis Coloniensis: ex quo iudicant, quae illic ad tempus conceduntur, cupere virum in repurgatis iam ecclesiis velle restituere. Sed falluntur valde: verum tu ista rectius nosti et mederi commode potes. Novum articulum de loco statui non vult. Augustini dictum alio referri vult. Olim inter loquendum attenta veritate mortis Christi, sepulturae et resurrectionis, quum sensibus patuerint, visui, auditui et tactui, ac de ascensione idem constet, quod mutato loco ex humili terra in sublime coelum ferri visus sit Christus, ut haec sensibus fuerunt pervia, motu, situ, loco et caeteris eiusmodi comitata,* putabam ita non inepte dicendum, sessionem Christi locum habere et corporis veram habitudinem. Sed Lucas mihi occurrit dum scribit sublatum Christum exceptum esse a nube ea quae lucida, proinde sessionem hanc Christi in nube sensibus impervia, et esse corporis Christi in ea esse gloriam, ut non modo nostris oculis cerni possit, imo nec cogitatione assequi,* sed ut verum est ita vere credimus.

Volebam ego meas ad *Bucerum* literas obsignare, sed vetuit *Christophorus*, et recte, ut te castigatorem habeant, si tantum tibi liceat taedii devorare, ut in eis videndis te eneces et tantum possis suffurari temporis a melioribus. Nunc magis perdor in opere correcto quam dum informem ederem. Sed, ut video, frustra conor, etsi aliqua planiora spero futura. Vale. Dominus Iesus plene tibi adsit, teque incolumem servet et a malis liberet.

Feronius[2]) a te commendatus ex caro fiet carissimus. Tantum utatur libere nobis. Cuius tu eum admone, siquidem Corydon nondum desiit rusticus esse. Is qui abiit, cum quo quid agas, utinam melior tandem fiat. *Rognacus*[3]) te salutat. *Fallesium* et *Macrinum Christophorus* item plurimum. Neocomi 14. Octobris 1549.

Farellus tuus totus.

Saluta collegas cum *Normandio* et piis omnibus.

1289.

CALVINUS FARELLO.

Turicenses in omnibus ipsi satisfecerunt, tantum editionem formulae differri cupiunt, interim manu scripta exemplaria spargi non vetant. Epistola ad Protectorem scripta est.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 25. Legitur praeterea in Cod. 111, fol. 237, in Epp. Bern. VII. p. 1075 et ap. Simlerum Vol. 71.)

Praestantissimo Christi servo Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. Quoniam de adventu ad nos tuo[1]) nondum despero non mittam in praesentia quae a *Bullingero* recepi. Epistolam addiderunt[2]) qualem pollicitus fuerat. Praefatio mea illis placuit. Inserta sunt duo illa capita[3]) quae *Bucerus* ne admitterent verebatur. Quia sciebam tibi ac *Vireto* probatum iri omnia, secure pro ambobus spopondi. Unum est in quo tibi non satisfiet, quemadmodum etiam illis testatus sum. Nam editionem differri in aliud tempus volunt. Quanquam permittunt ut quocunque visum fuerit descripta exemplaria spargamus, sicuti etiam vicissim facient ipsi. Nisi veneris unum tibi mox curabo, et simul meae ad *Protectorem* epistolae.[4]) Theses *Buceri Viretus* tibi mittere debuit, et iam te habere puto. Reperies quae tibi non arrideant, scio. *Viretus* scripturus non est. Iudicium meum breviter indicabo. Vale, frater in Domino carissime. Nepotem tuum hunc dimidium diem apud me retinui. Dominus te conservet, ac domum tuam. Saluta collegas omnes. *Normandius* et reliqui amici te plurimum salutant. Utinam his literis occurras in itinere. 17. Octob. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1289 bis

CALVINUS BULLINGERO.

Per duos amicos hac occasione commendatos, quorum alter fuit Rob. Stephanus, respondet ad duas Bullingeri epistolas nuper de Consensu et de Vitandis superstitionibus scriptas.

(Ex autographo edita legitur in diario: Wöchentliche Duisburgische Adresse- und Intelligenz-Zettel, per Io. Hildebr. Witthoff, prof. Duisburgensem, a. 1737. N. 25. Unde descriptam nobiscum humanissime communicavit vir doctis-

2) *Feronam ludi magistrum dicit N.* 1274 *a Calvino ibi commendatum.*
3) *N.* 188 *et* 206.

1289. 1) *ad nuptias quarum supra mentio facta est.*
2) *N.* 1251.
3) 1280 *not.* 4.
4) *quae exstare non videtur. Hoc ipso tempore* (13. *Oct.*) *Protector a factione adversa depulsus in Turri Londinensi captivus detinebatur. Proxima ad eum Calvini epistola, quam infra suo loco exhibebimus ei iam libertatem redditam gratulatur.*

simus Carolus Krafft, eccl. Elberfeldensis minister, satis commode quidem ut eam suo loco inserere potuerimus quum iam huius anni epistolae prelo paratae essent.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero ecclesiae Tigurinae pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. Literae tuae [1]) nudius tertius mihi demum redditae fuerunt. Idque parum [2]) opportune accidit, quum isti duo amici mei discessum ad vos pararent. Epistola a vobis addita [3]) pro utroque iam secure spondeo, nisi quod *Farello* ingratam editionis moram suspicor: qui ita in animum induxerat, nihil esse melius quam statim publicari. Quantum ad me spectat, duorum vestrum sententiae non aegre acquiesco. Quod duo illa capita [4]) inserenda curasti, magnam tibi habeo gratiam. Nam inde multum lucis toti scripto et aliquid gratiae accedet. Responsum vestrum de edenda fidei confessione libro meo addendum prima occasione curabo. [5])

Caeterum ex duobus amicis, quos dixi, alter est Robertus *Stephanus*, [6]) qui commendatione apud te opus non habet. Alter vir etiam admodum pius, qui boni viri liberos istuc deducit, ut una cum literis et lingua germanica pietatem apud vos discant. Quoniam pater dignus est bonorum omnium amicitia, etiam atque etiam te rogo ut honestam et castam domum eligas, ubi commode et in timore Domini possint educari. Solvetur in sumptum officii quod aequum iudicaveris.

Collegae omnes mei vos diligenter salutant. Meo nomine salutem plurimam omnibus tuis dices, simul D. *Laelio* et reliquis amicis. Vale, ornatissime vir et frater in Domino plurimum colende. Dominus te ac domum tuam servet ac vobis adsit in omnibus. 17. Octob. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1290.

FARELLUS OPORINO.

Severam exercet censuram in librum Eustathii quem autor Oporino excudendum tradidisse ferebatur, et huic autor est ut ne edat. Item de alio quopiam qui Vireti librum latine vertendum susceperat. Fallesii frater e vinculis liberatus.

(Amanuensis manu scripta exstat in Bibl. pastorum Neocomensium.)

S. Gratiam et pacem et misericordiam a Deo. Vir insigniter pius *Viretum* admonuit, *Eustathium*, [1]) qui multum ecclesias offendit adeo sese improbe gerendo, ut omnes clementissimi et tolerantissimi vel inviti coacti fuerint eum ministerio privare et alio amandare, iam parare se digna, improbi improba, sed indigna his in quos scribit: quod sane, si misero male vellem, ut eos amo in quos scribit, suaderem. Nam sibi magis nocere non posset, aliisque plus favoris conciliaret, quum essent quos tam impurus duxerit, ut a se valde alienos, impetendos. Verum quum non satis omnes norint utrosque, et quae istic eduntur pro pie scriptis habeantur, praecipue ubi paulinae iactantur literae, quas ille vertendas, si non evertendas, duxit, fieri non poterit sine gravi offendiculo. Tu qui literatos omnes amas, sed multo magis pios, in quorum albo scio te reponere *Viretum* tui amantissimum, vide ne talem et tantum amicum patiaris levissimi hominis morsibus lacerari. Mihi hic rem facies non ingratam, et plane intelligam te veteris non oblitum consuetudinis. Nec *Calvinus* minus officii loco ducet, et quidquid inter nostros piorum gratiam tibi habebit: siquidem non puto vel unum piorum esse, qui non merito amet et observet *Viretum*. Alterum retulit vertere *Vireti* opus de ministerio, [2]) quod autor latine facere decreverat, et iam coeperat. Nec dubito, si vera audio, quanto *Viretus* sensum magis tenet isto versore, tanto aptioribus reddet verbis. Iste sua vertat et edat, vel eorum qui vertere non possunt. *Viretus* dono Dei sua edere potest et vertere. Tu, mi *Oporine*, ut vales iudicio et amans es aequitatis ac studiosus aedificationis, cernis quam ista sint iniqua. Ideo curato istos in ordinem cogi, et si quid possimus tua causa, iubeto. Experieris nos tuos esse.

Fallesius heros pius intellexit alterum ex vinctis fratribus ob verbum liberatum esse. [3]) Proinde pium senem *Myconium* et collegas non gravaberis certiores facti reddere, et ut precibus cum ecclesia poscebant Dominum pro vinctis, ita gratias laeti agant quod non frustra sint precati. Faxit Deus ut alter quoque liberetur. Argentoratensibus quo-

---

1289 bis 1) *N.* 1276. 1277.
2) *Lectio suspecta, imo absurda, quam Witthoffius ex mera coniectura natam fatetur, scilicet compendium scripturae falso enucleans. Leye:* peropportune.
3) *ad Consensus formulam.*
4) *N.* 1280 *not.* 4.
5) *Cf. N.* 1277 *et quae ibi annotavimus.*
6) *Cf. N.* 1292.

1290 1) *Hic non potest non esse idem atque Bustorgius ille de quo Viretus N.* 1282 *not.* 4.
2) *quod a.* 1554 *demum latine editum est.*
3) *De Fallesii fratribus in vincula coniectis v. N.* 1228. *Alter hoc ipso anno exustus est.*

que audire non erit ingratum. Nam et illi flagitabant id a Deo.

Vale, *Oporine* doctissime cum tuis omnibus, ac piis caeteris quos salvere opto, sed officiose *Myconium*, ad quem non vacat scribere, quum vix haec potuerim. Neocomi 17. Octobris 1549.

Farellus tuus totus.

1291.

VIRETUS CALVINO.

Queritur de senatus decreto colloquia interdicente et ministris Bernensibus eius decreti veris autoribus vel certe patronis. Rogat ut Calvinus super hac re ad eos scribat. Literae Parisienses allatae.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 93. Habent etiam Cod. 116. fol. 116 et 118 v. nempe falso ordine ligata, Epp. Bern. VII. p. 1078 et Simlerus Vol. 71.)

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Puto hoc nobis esse fatale malum ut Arctopolitanos ministros semper nostris habeamus studiis adversos. Quum speramus meliora, ecce exoriuntur certamina praecedentibus duriora. Scripsi nuper ad te quodnam fuisset de nostris colloquiis senatus consultum. Dum super ea re deliberamus, ut malo in tempore tam gravi commoda aliqua ratione mederi possimus, et ne latius serpat occurrere, ecce malum denuo recrudescit et tantas concipit vires ut ex uno membro in totum grassetur corpus. Adest *Croisetus*,[1] qui literas adfert ad decanos omnes, quibus classes omnes ad hebdomadaria colloquia prohibentur convenire. Quatuor annua relinquuntur, et, si urgeant aliquando ecclesiae necessitates, permittuntur convenire fratres pro re nata, si ita decanis et iuratis visum est. Posteriores literae aperte testantur, fuisse consultos Bernenses ministros et professores a senatu, atque hoc eorum fuisse consilium et responsum. *Hallerus* respondit expostulanti *Croiseto* inter alia quod semel, dum nostro interesset colloquio, animadverterit quoddam contradicendi et mordendi studium: *Zebedaeus* torquebat impudentissime locum qui tractabatur ad suae causae patrocinium, *Ribittus* sine contentione correxit quod ille depravarat. Iustissima scilicet causa quae *Hallerum* movere debuerit ut haec meditaretur consilia aut foveret. Meministi, opinor, quae esset, quum Tiguri essetis, *Pellicani* de his scripturae collationibus sententia. *Musculus* se egisse Augustae annos 17 testatur sine illis colloquiis, quae si instituta fuissent actum erat de ecclesia, quum ea papistas, anabaptistas, Lutheranos et Zwinglianos haberet. Vides quibus nitatur rationibus senatus: turbas causatur, locorum distantiam et viae molestias, et in genere abusum, in quem a principio degeneratum est. Ego, antequam hae posteriores literae mihi decano redderentur ad quem scriptae sunt totius classis nomine, electus eram totius classis suffragiis legatus Bernam, qui hanc causam agerem apud senatum et ministros, cum aliis aliquot negotiis quae habebam in mandatis. Nunc, quando hae literae intervenerunt, haereo. Nescio enim utrum expediat, an persequi quod statutum est, an exspectare tantisper, dum literas reliquis fratribus totius classis communicavero, et donec intelligamus quid aliae classes sint sequuturae consilii. Mihi videtur consultius obire legationem mihi impositam, multas ob causas. Satis enim fratrum mentem teneo. Qui enim mutarent sententiam, dum omnibus ex aequo interdicitur, qui dum nostra duntaxat causa ageretur, tam serio suscipiendam esse decreverunt? Huc accedit quod diu protrahetur negotium, priusquam rursum per colloquia convenerint et responderint: neque video quid sit necesse aliarum classium deliberationes exspectare. Nosti qualia sint quorundam ingenia, et quae cunctatio et tarditas. Nec deerunt qui exspectent quid nos acturi simus, a quibus est coeptum, et qui videmur ansam dedisse iis qui has poenas ab ecclesia reposcunt. Velim itaque super hoc toto negotio non solum tuam audire sententiam, sed et tuis instrui rationibus, si quas meditatus es, quibus, quantum inde mali exoriturum sit ostendamus. Non dubito autem quin habeas quam plurimas, quibus et nostrae augeri et confirmari poterunt. Reliqua audies ex *Croiseto* qui te proximo die lunae[2] inviset. Scribe tuam sententiam per *Sampaulum* et *Bezam*. Cuperem et ad *Hallerum* et ad *Musculum* scriberes serio,[3] et ad Tigurinos, quos non dubito fuisse primos huius consilii autores. Non mihi dubium est quin et senatus et ministri, tum Bernenses, tum Tigurini, putent optime hac ratione esse ecclesiis consultum, et quin eo spectent eorum consilia. Sed si rem probe haberent exploratam, certo scio sententias mutaturos. Dominus eos omnes spiritu suo regat, eaque suppeditet consilia quibus aedificetur, non diruatur, ecclesia, uti futurum spero.

1291 1) *Minister fuisse videtur in agro Vadensi.*

2) 21. *Oct.*

3) *Vide infra N.* 1294 *sq.*

Saluta amicos, nominatim *Fallesium* et *Bezam*, cui me spero comitem futurum. Vale. Lausannae 18. Octob. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

Unum exciderat quod adscribo. *Alysius* et *Danionus* [4]) Lutetia redierunt. Literas attulit ad me *Alysius* a *Fumeo*, [5]) quibus valde conqueritur de *Plessiaco*, [6]) quod infamem et falsum rumorem de *Alysio* sparserit, quem furti accusarit. Mentitum asserit *Plessiacum*. Sed hac de re cum *Plessiaco* agam. Arbitror te intelligere causam. *Willierius* etiam valde serio admonet ne quid ad eum dem literarum nisi valde fidis tabellariis, et multis exaggerat quibus in periculis versetur. Rogat ut *Alysio* dem quidquid forte erit suarum apud me literarum. Mittit munusculum, ut ipse appellat, 10 coronatorum. Rogat ut boni consulam. Tantundem ad te missum dixit *Alysius*. Nolui recipere sed rogavi ut asservaret adhuc aliquamdiu. Opto et super hac re tuum iudicium et consilium. *Alysius* urget ut recipiam. Ego resisto modis omnibus, donec tuam audivero sententiam. Ut ingenue fatear, mihi ista agendi ratio valde improbatur. Vale. Salutat te collega.

1292.

VIRETUS BULLINGERO.

Robertum Stephanum aliosque nonnullos commendat. Concordiam sancitam ei, scholae Lausannensis felicem statum sibi gratulatur. Unum est quod animum cruciat, nempe colloquia interdicta a senatu Bernensi.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 111, olim Epp. Tom. VI. Pt. I. f. 1484. — Simler. Vol. 71.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fratri ac symmystae plurimum observando.

Tiguri.

S. Etsi urgente tabellario parum mihi ad scribendum temporis conceditur, nolui tamen hunc veterem nostrum amicum Robertum *Stephanum* [1]) sine literis ad te a me dimittere. Fasciculum literarum quem nuper ad me misisti sedulo et tuto curavi ad *Calvinum* perferendum, quibus eum etiam respondisse per hunc tabellarium non dubito. Gratissimus et fructuosissimus omnibus ecclesiis futurus est iste vester labor et studium ad mutuam consensionem, et ecclesiarum pacem et conciliationem. Vix credas quam apud nos gaudio exsiliant pii viri omnes, et quam contundat malleus hic nostrae omnium concordiae adversariorum capita. Dominus vos diu conservet suae ecclesiae incolumes, et feliciorem subinde det exitum piis vestris laboribus et successum conatibus.

Quam me recrearint et omnes fratres meos literae tuae, vix credibile est. Illi te et omnes tuos symmystas officiosissime salutant. Vestri iuvenes nobis curae erunt. Non praestitimus quod apud vos testati sunt. Sed indies, quod hactenus defuit sarcire studebimus. Scholae nostrae augentur indies, doctorum virorum et scholasticorum numero. Maxima undique affulget spes profectus deinceps uberioris.

Unum superest solum quod nobis maximam gaudii quod conceperamus partem deflorat ac etiam consternat in mediis voluptatibus, quarum iam nobis gustum suavissimum praebuerat spes haec nostra futurae inter ecclesias concordiae. Atque utinam id ipsum eius esset generis, merito ut dolere et conqueri frustra videri possemus. Sed res tanti est momenti ut, si persistatur in hac sententia, maximum sit moerorem piis omnibus et rerum peritis in ecclesiarum administratione apud nos allatura. Ecce dum vires paene fractas et collapsas ex tam acerbo ecclesiae luctu recolligere incepimus, et accingere studiosius nos ad ecclesiae aedificium, aufertur id ipsum nobis quod paene solum relictum fuerat, quod aliquam habere videretur veteris ecclesiae formam, et illud exercitationis genus, quo nihil potuit utilius aut magis necessarium nostris ecclesiis excogitari, quidquid alii iudicent. Nos loquimur quod sumus experti. Alii videant ne de re ignota iudicent. Non videntur fuisse facile tollenda paucorum consilio quae gravissimas ob causas fuerant pridem instituta, et confirmata hactenus omnium synodorum autoritate et magistratus consensu. Si qui inventi sunt qui optimo sunt abusi instituto, corrigantur et dent poenas suae proterviae, non tota ecclesia. Quod si sunt tollenda omnia quibus im-

4) *In Actis Senatus Genevensis nulla fit mentio veniae huic ministro concessae ad iter Parisiense.*

5) *Apographa omnia male habent:* Furneo. *Capnium, (de Fumée) pridem obvium habuimus.*

6) *Hunc virum (Du Plessis) saepius Genevae et alibi occurrentem alioqui non accuratius novimus. Galiffius neminem huius nominis alias frequentissimi recenset. Idem de Villerio dictum accipias nisi quod autor modo laudatus* II. 19 *familiam nobilem dicat sabaudicam Villeriorum.*

1292. 1) *Fortasse iam tunc migrationem meditabatur quam demum a.* 1551 *exsequutus est. Vide Reussii notitiam familiae Stephanorum in Herzogii Encyclopaedia, Haagium Vol.* V. p. 9. *et alios scriptores.*

probi homines interdum abutuntur, quid erit tam sanctum quod non abrogare sit necesse? Res certe postulabat gravem et seriam totius ecclesiae consultationem. Quo animo putas fratres omnes hanc agendi rationem ferre posse? Necessitati non reluctabuntur praefractius, sed viderint quam sint Deo rationem reddituri huius consilii autores. Non dubitamus quin pius senatus solam Dei gloriam spectarit, et ecclesiarum pacem et concordiam: sed quum de omnibus ageretur ecclesiis, et pridem recepta et tandem approbata sancta consuetudine, non debuerunt contemni, ab iis qui sunt consulti, aliorum consilia, quorum res agebatur, qui versantur quotidie in re praesenti. Non enim dubito quin aliud longe visum fuisset si auditae fuissent rationes quas proferre vere et bona conscientia possumus. Sed quia de his alias sumus copiosius scripturi, et hanc causam acturi diligentius, nunc plura non addam. Hoc solum te oratum velim in praesentia, ut fratrum nomine apud Bernensis ecclesiae ministros intercedas,[2] studiis nostris ne adversentur sed faveant. Spero enim futurum ut classes intercedant suo quaeque nomine, nisi valde fallor, quia boni omnes valde commoti sunt. Sed agentur omnia summa moderatione ex verbo Dei, cui non suspicamur reluctaturos qui ei hactenus semper faverunt impensissime.

Nostri te omnes salutant. Hic pius vir[3] qui cum Roberto *Stephano* est me rogavit ut duos hosce iuvenes quos istic habet secum tibi commendarem. Quod profecto facerem diligenter, nisi satis tibi esse commendatos existimarem a D. *Calvino*. Interea mihi ignoscas, oro, si liberius scripserim, et familiarius egerim tecum, in cuius sinum me totum effundo. Ubi cognoveris exactius nostrarum querelarum causas, sat scio, non mirabere nos conqueri, sed potius si secus factum esset. Vale. Lausannae 19. Octob. 1549.

Tuus deditissimus Petrus Viretus.

1293.

CALVINUS VIRETO.

De Beza et schola Lausannensi, de pecunia a Villierio semel et iterum sibi missa, de Buceri literis, et illis quas in causa Lausannensium ad Musculum scripturus est.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 26. Adire praeterea potes Cod. 111, Turr. fol. 237 v., Arch. Bern. Epp. Tom. VII. p. 1077 et Simleri Vol. 71.)

Eximio Christi Domini nostri servo Petro Vireto fido ecclesiae Lausannensis pastori fratri et amico singulari.

S. *Beza* libenter sui experimentum vobis dabit, et simul vicissim periculum faciet an oneri sustinendo par sit futurus.[1] Quoniam audio pueros lectionum multitudine prope obrui.[2] Si obtineri Bernae poterit, ut duae pomeridianae lectiones ex numero demantur, facilius reliquis sufficiet. Ut in eius gratiam aliquid publico commodo decedat non consulo, neque ipse cupit. Sed quoniam aliquando vobis id e re scholae fuisse visum audio, eius putavi faciendam mentionem, ut capto cum fratribus consilio Bernae quod censueritis proponas.

Alysius huc venit. Eiusdem fere argumenti literas obtulit a *Villierio*, cuius tuas fuisse scribis, nisi quod decem coronatos mihi non donat, sed pauperibus erogandos mittit. Itaque sine difficultate accepi, sed iis tradam qui pauperum curam habent. Ne quid tamen dissimulem: quum huc primum venit *Alysius* ab illo munus attulit. Recusavi, bis aut ter, negans id mei moris esse. Praefatus enim erat, *Villierium* non alio animo dedisse nisi ut in sumptus meos domesticos impenderetur. Tandem pervicit. Ego quid facturus essem per literas testatus sum.

De retentis *Buceri* literis mihi expostulandi causam dedisti. Distuleram responsionem donec eas remitteres. Neque enim diligenter singula expenderam et opus erat praesentiore memoria. Ergo si quid peccarim tu culpam sustinebis.

De nova[3] prohibitione coeperam scribere ad *Musculum*. Quid obstiterit quominus absolverem, *Franciscus*[4] noster tibi dicet. Cras aut perendie habebis. Vale, frater integerrime. Uxori et fratribus plurimam salutem. 21. Octobris.[5]

2) *quod ille ut faceret minime sibi persuaderi passus est, scilicet ab Hallero satis superque de vera rerum natura edoctus.*

3) *Librarium Lugdunensem fuisse docet Simlerus ex epistola Plancii ad Bullingerum quam habet ad d.* 13. *Oct.*

1293. 1) *Qui ergo Genevae commorabatur dum vocatio Lausannensis a senatu rata facta fuerit.*

2) *En tibi perpetuam paedagogorum stultitiam.*

3) *Novam dicit, quia reclamantibus ministris senatus decretum suum iterum promulgavit.*

4) *Bourgoing?*

5) *Annum praebet argumentum.*

1294.

CALVINUS MUSCULO.

Colloquiorum eo et Hallero autoribus a senatu interdictorum vindicat utilitatem.

(Ex autographo Bibl. Zofingensis Vol. I. Epp. Ref. N. 15. Apographa praebent Cod. Genev. 196 fol. 76 et Simleri Vol 71. Edita est a Beza Gen. p. 380, Laus. p. 683, Han. p. 768, Chouet p. 522, Amst. p. 238.)

Ornatissimo viro D. Volphgango Musculo theologiae professori eruditissimo fratri et amico colendissimo.

S. De tuis dialogis [1]) duplicem habeo tibi gratiam, et quod mihi privatim exemplar misisti, et quod hunc laborem, quem fructuosum esse iudico, dedisti Christi ecclesiae. Interea tristis nuncius hic spargitur: vetari fratres ditionis Bernensis [2]) ne ad scripturam tractandam ex more conveniant. Ne quid dissimulem: quum haec agendi ratio minime sit ecclesiastica, te et *Hallerum* [3]) eius autores vel approbatores fuisse valde miror et molestius fero. Magno hactenus cum fructu celebrati fuerunt isti conventus, a quibus nunc senatus [4]) fratres indicta causa prohibet. Ut nihil momenti apud nos habeat usus, qui tamen optimus magister esse solet, rem vobiscum expendite. Certe non utilem modo hunc morem esse reperietis, qui nunc abrogatur, sed prope necessarium. Quoniam singulis fratribus sunt suae vices, perspicitur eorum diligentia. Si negligentes deprehensi fuerint admonentur. Illic cognoscitur an dextre et apposite scripturam in populi usum accommodare noverint. Optimum quoque hoc retinendae in doctrina consensionis vinculum est, quia, dum in commune non conferunt, licet cuique seorsum docere quidquid libuerit. Magnam licentiam dat solitudo. Qui tertio duntaxat mense in fratrum coetum prodibit, quidvis in reliquum anni tempus audebit, nullius iudicium aut conscientiam reformidans. Denique nullum est melius corrigendae ignaviae remedium, nulla fovendae in doctrina unitatis aptior ratio. Ad haec omnes et loquendo et tacendo proficiunt. Neque solis ministris utile est eiusmodi exercitium, sed plurimi ex plebe, qui singulari intelligendae scripturae studio ducuntur, partem utilitatis sentiunt. Pauci forsan tales sunt Lausannae, sed quia universale est edictum, totam regionem comprehendo. Scio hic esse pios homines et eruditionis non poenitendae, qui sibi duas conciones adimi malint quam unam scripturae tractationem quales audiuntur. Si hunc usum non habent quaedam ecclesiae, tantundem illis deesse fatendum est. Sed exortae inde contentiones vos moverunt. Id vero non alienum modo vestra aequitate, sed prorsus inhumanum fuit, si quid peccavit unus homo culpam in fratres innoxios coniicere. *Zebedaeum* [5]) praefractum hominem et rixosum, adeoque importunum animal esse notum est. Ipse quibuscunque potuit modis turbavit Lausannensem [6]) ecclesiam. Quum finem contentionibus nullum faceret amotus est. Nunc vero, ne culpam sustineat quam meritus est, nota infamiae aspergitur fratribus. Ut dissimulem fratrum iniuriam, pium sanctum et utile institutum ubique abrogatur. Vetantur fratres agere ordinarios conventus, quorum necessitas ipsa desuetudine melius patefiet. Quisquis huius consilii primus fuit autor, quam Deo rationem sit redditurus videat. Grave certe ecclesiis vulnus inflixit. Fuit tempus quum istic quotidie audiebantur pro suggestu atroces invectivae aliorum in alios. Cur non a concionibus prohibiti fuerunt qui sic petulanter suo munere abutebantur? Pudet me certe quum video quosdam in tantis delitiis habere *Zebedaeum*, [7]) ut prae ipso ecclesiam Dei contemnant, et gravi damno afficere non dubitent. Nam quid aliud iudicem non habeo. Fieri tamen potest ut errem. Sed tu meae libertati ignosces, quod fretus amicitiae nostrae fiducia familiariter in tuum et *Halleri* nostri sinum depono quidquid in animo habeo. Ego de studii vestri rectitudine ita sum persuasus, ut vos ecclesiae pacem et aedificationem quaerere pro certo habeam. Verum quia nos hic melius in re praesenti cernimus quid expediat, non putavi mihi esse cessandum quin vos ad medicinam in tempore adhibendam hortarer. Vale, eximie vir et frater mihi colendissime. D. *Hallerum* [8]) diligenter meo nomine saluta, et alios collegas quibus gratum hoc officium esse cognosces. Genevae 22. Octobris 1549. [9])

Ioannes Calvinus tuus.

1294. 1) scriptis *Edd. Titulus libri est* Eutychii Myonis Prosaerus. Liceatne homini christiano evangelicae doctrinae gnaro papisticis superstitionibus ac falsis cultibus externa societate communicare. Dialogi IV. Basil. 1549. 8. (*Adami Vitae heol. p.* 184. *Fritzsche Catal. bibl. canton. Turic.*

2) ditionis Bernensis *om. Edd.*

3) te et nostrum N. *Edd.*

4) edictum *Edd.*

5) *Pro nomine simplex* N. *praebent Edd.*

6) bene stantem *Edd. suppresso nomine.*

7) *ut supra.*

8) fratrem *Edd. absque nomine.*

9) *Diem mensem et annum tacent Edd. Item nomen Musculi in inscriptione. Qui in fronte adscripsit* 6. *Nov.* 1549, *scil. acceptam fuisse.*

1295.

MÉMOIRE AU SÉNAT DE BERNE.

Sur la défense des colloques.

(Minute autographe de Calvin, Bibl. de Genève MSS. Vol. 145, fol. 136. La suscription est d'une main plus moderne.)

Advis pour les conferences des pasteurs sur la saincte Escriture.

Pource que la response quil a pleu a noz tres redoubtez Seigneurs nous donner par escrit, touchant la conference de l'Escriture que nous avons accoustume davoir chascune sepmaine, ne saccorde pas du tout a ce que les prescheurs de Berne ont dict a nostre frere Maistre Pierre *Viret*, et aussi qu'en ladite response il y a quelque article qui nous est doubteux, nous avons pense que le meilleur moien seroit, affin de ne rien attenter qui ne soit conforme a lintention de nos dicts Seigneurs, mais plustot suivre ce quilz auront cogneu et iuge estre bon et expedient pour ledification de leglise: de coucher par escrit de poinct en poinct la forme que nous desirons tenir en nos dictes conferences, affin que si elle est approuvee par nos dicts Seigneurs, comme nous esperons, quelle soit observee sans difficulte et quil ne soit licite a nul dy contrevenir.

Premierement qu'en la classe de Lausanne, a cause de la distance des lieux, il y ait trois colloques divisez, tellement que nul ne soit vexe de longueur de chemin.

Que chascun colloque choisisse un livre de lescriture pour linterpreter, celluy qui sera advise le plus propre.

Que le passage quon devra traicter soit limite dun commun accord huit iours devant, affin quon prengne du texte competemment et ne plus ne moins quon iugera estre bon, tant pour linstruction que la commodite des freres.

Que chascun des ministres et professeurs soit tenu a son tour dexposer le passaige qui luy aura este baille. Et ce affin quon voye comme chascun est diligent a lestude et quelle facon ilz ont a desduire lescriture saincte pour edifier le peuple.

Que celluy qui aura propose ainsi en son rancq soit adverty a part entre les freres des faultes quon aura apperceu en luy: comme sil avoit mal allegue et expose lescriture, ou bien quil n'eust grace denseigner, ou quil y eust aultre visce a reprendre.

Apres que le passage sera expose par celluy qui est en son ordre, pour retranscher toute superfluite, qu'on ne reitere point les propos qui auront este tenus, mais seulement que ce qui aura este omis soit adiouxte par ceux ausquelz Dieu aura fait la grace.

Que nul propos de contrariete soit esmeu qui engendre debat ou contention: mais quon traicte paisiblement ce qui concernera tant lintelligence du passage que la doctrine quon en pourra recueillir. Et si cela se faisoit, que le doyen previenne imposant silence au contentieux.

Que nul propos ne soit advance contre la reformation receue. Et que celluy qui le vouldroit faire soit reprime par lauctorite du doyen.

Si quelquun advance question sur la deduction du passage, quil en dise modestement ce que Dieu luy en aura donne, ou quil en attende la resolution par celluy qui sera esleu de la classe comme le plus suffisant.

Ce pendant que nul ne soit contrainct par necessite de venir chascune sepmaine. Mais seulement que tous soient admonestez de sy trouver, sinon quilz eussent excuse legitime dabsence. Et ce tant pour y profiter que pour censurer le proposant, si besoing en est.

Que le tout soit pour avoir la pure et simple intelligence de lescriture, et de la bien tirer en usaige pour linstruction de tous. Et ce sans subtilite sophisticque, et sans forme de dispute ny encor moins daltercation. [1])

1296.

CALVINUS VIRETO.

Literae commendatitiae.

(Exemplar authenticum cui autor manu propria subscripsit exstat in Cod. Genev. 107 a, fol. 27. — Apographa tria pro more habes in Cod. 111, fol. 237 v., Bernae in Epp. VII. p. 1076 et ap. Simlerum Vol. 71.)

Quoniam hic frater Lausannam a nobis migravit, ut sibi vitae apud nos actae testimonium daretur iuste rogare visus est. Atque hoc etiam illic a se postulari dicebat. Itaque officii nostri esse putavimus, quum se nobis probasset, id aliis testari. Hic enim cum uxore satis diu pie et honeste vixit. Et qui eum in Gallia noverunt superiorem eius vitam laudant. Nec alia discessus a nobis causa fuit

---

1295. 1) *La pièce n'est pas datée, et il est difficile de dire à quel moment précis de la discussion Calvin conçut le projet de rédiger ce mémoire à l'usage des Vaudois. En tout cas il appartient à la série des documents relatifs à l'affaire d'automne* 1549, *et ne se rapporte pas aux faits relatés par Ruchat.* VI. 400 *à l'an* 1561.

nisi quod hic nulla erat tolerandae vitae conditio. Lausannae autem fore sperabat. Genevae 22. Octob. 1549.

Ioannes Calvinus fratrum nomine.

Quas ad *Musculum* literas scripsi vel reddes vel supprimes tuo arbitrio. Hac de causa sigillum ad te mitto, quod prima occasione mihi reddendum curabis.

1297.

CALVINUS BUCERO.

Solatur lugentem, animumque eius firmare conatur, quum et ipse multa et iniqua tolerare cogatur. Tractat rem sacramentariam ἐν παρόδῳ et historiam consensionis cum Turicensibus paucis comprehendit.

(Manu scripta non exstat. Servavit Beza ed. Genev. p. 81, Laus. p. 177, Hanov. p. 198, Chouet p. 108, Amst. p. 49. Versio anglica legitur in ed. Edinb. T. II. p. 218.)

Literae tuae [1]) tametsi gaudio et tristitia mixtae erant, mihi tamen perquam gratae fuerunt. Utinam animi tui moerorem, et eas curas quibus te cruciari video, possem aliqua ex parte sublevare. Omnes tamen etiam atque etiam obsecramus, ne te absque profectu conficias. Ut laetus sis atque hilaris in tam varia et multiplici lugendi materia, neque tuae est pietatis, neque expedit, neque optandum nobis est. Danda est tamen opera, ut te, quoad licebit, Domino et ecclesiae serves. Amplum quidem stadium cucurristi: sed nescis quantum adhuc tibi restet. Ego fortassis qui paulum a carceribus sum progressus, iam propior sum metae. Sed in manu Dei est cursus nostri moderatio et finis. Ut tamen maxime essem vegetus, dum pericula quae ex multis partibus impendent circumspicio, multae mortes quotidie versantur ante oculos. Sicut ergo istic vos pugnae exercent, ita hic lentos timores fovemus: quanquam et tumultus iam intus sedatos esse confido, et rumor est vobis esse a Gallis inducias. [2]) Utinam et firmae pacis ratio iniri posset: lanistam [3]) enim qui haec duo regna inter se committit, videmus interea otiosum ridere, et utramvis captare fortunam, ut viribus integris adoriatur victorem, et victis spolia absque sudore et sanguine legat: adeoque de ambobus triumphet ac praedam rapiat. Sed dum mecum reputo quam pravis consiliis regatur Gallia, de hac re fere despero. Illum quidem plus satis timent: sed alios superbe despiciendo non cavent sibi ab eius astutia. Et sane Dominus hac caecitate atrocem eorum in sanctos saevitiam, et quae in dies magis gliscit (ut ego quidem interpretor) iure ulciscitur. Utinam sicut illic vires colligit impietas, et augescit semper in peius, ita Angli contraria aemulatione ad solidam christianismi puritatem contendant, donec ad unicam Christi regulam omnia illic constituta cernantur.

Dominum Protectorem, ut volebas, conatus sum hortari, [4]) ut flagitabat praesens rerum status: tuum quoque erit modis omnibus instare, si modo detur audientia, (quod te facere sum persuasus) praesertim vero, ut ritus qui superstitionis aliquid redolent tollantur e medio. Hoc tibi nominatim commendo, ut te invidia liberes, qua te falso gravari apud multos non ignoras: nam mediis consiliis vel autorem vel approbatorem semper inscribunt. Scio hanc quorundam animis suspicionem altius infixam esse, quam ut eam revellere facile sit, etiam si nihil omittas. Et sunt qui te maligne nullo errore inducti calumniantur. Denique fatale quodammodo hoc tibi malum est quod fugere vix possis. Cavendum tamen ne imperitis detur male suspicandi occasio, improbi vero obloquendi praetextum arripiant. N. [5]) tibi sine causa molestum esse valde doleo. Utinam aliquando humanitatem discat. Ego facilius ignosco, quod tam malitia impelli ipsum quam caeco impetu ferri animadvertisse mihi videor. Non credas quam nos aliquando atrociter lacerarit, et absentes et innoxios et amicos. In *Viretum* praesertim, quum praeter meritum summa quorundam iniquitate, aliorum vero perfidia prope esset oppressus, non minus violenter invectus est quam in sceleratissimum ecclesiae proditorem. Certe mansuetudini assuesceret, si sciret quam noxia sit praefervidi sui zeli et immodicae austeritatis intemperies. Tibi haec indignitas cum aliis malis qua soles aequitate devoranda est. Nec vero Tigurinis causam suam probaret.

Hac in parte nonnihil abs te dissentio, quod putas adversae parti fieri iniuriam. Nam dum eos nunquam tam crasse hallucinatos putas, ut Christum ubique diffusum imaginarentur, non tenes quid inter

---

1297. 1) *N.* 1240.

2) *Pax composita fuit inter Galliam et Britanniam m. Maio* 1550 (*Thuani l.* VI. *p.* 183 *sq. Aurel.*)

3) *Imperatorem.*

4) *Haec est paraclesis illa quam postulaverat Bucerus l. l. not.* 12.

5) *Beza nomen suppressit a Calvino scriptum, quod Hoperi fuisse suspicamur. Vide Bucerum l. l. not.* 5. *Certe Bonneti sententiae, de ministro quodam Bernensi cogitantis, adstipulari non possumus.*

alios scripserit *Brentius*, Christum quum in praesepi iaceret, gloriosum in coelo fuisse, etiam secundum corpus. Atque ut apertius loquar, scis doctrinam papistarum modestiorem magisque sobriam esse, quam *Ampsdorphii*[6]) et similium fuerit, qui tanquam Apollinis Phoebades insanierunt. Scis quam inhumaniter vexatus fuerit Dominus *Philippus*, quia modum aliquem teneret. Deliria quoque secum idololatriam trahebant. Quorsum enim illud *Lutheri* adorabile sacramentum, nisi ut idolum in templo Dei erigatur? Ego tamen sepulta esse haec omnia cuperem. Summa quidem contentione semper apud vicinos nostros institi, ut ab insectatione abstinerent: ut tamen illis satisfieret, errores omnes quibus minime consentiebam, damnare suppressis nominibus non dubitavi. De loco tu certe nimis subtiliter disserere mihi videris. Alios gravius offendit obscuritas, quam astute data opera accersi abs te putant. Atque hos quidem errare scio. Sed non video cur tantopere refugias quod docemus, quum in coelum ascendisse Christus dicitur, hac loquutione exprimi locorum distantiam. Neque enim an in coelesti gloria sit locus, hic disputatur, sed tantum an Christi corpus sit in mundo. Id quum scripturis clare testatum sit, pro fidei articulo amplecti non dubito. Et tamen quum in scripto nostro reperies, quorundam morositati non absque certamine datum fuit: nam ego aliter verba temperaveram. Caeterum quia hac quam usurpavimus forma nihil continebatur nisi quod sentiebam, aliis eam concedere non fuit religio. Effectum sacramentorum, et quid per ea nobis Dominus conferat, luculentius et uberius explicari quam multi patiantur, pie et prudenter optas. Neque vero per me stetit, quin pleniora quaedam essent. Gemamus ergo ferentes ea quae corrigere non licet. Exemplar scripti quod mihi remiserunt, hic habebis. Capita duo quae verebaris ne admitterent, perlibenter sunt amplexi.[7]) Si *Bullingeri* mansuetudinem reliqui sequuti essent, facilius omnia impetrassem: bene tamen habet quod in veritatem consensimus, et tenuimus summam rei.

Si theses tuas duobus tantum in locis aliquantum flecteres, faceres appositissime, nempe ut clarius exprimeres te locorum distantia Christum a nobis qui in mundo sumus disiungere: deinde ut commenta omnia quibus hactenus ad superstitionem inductae sunt hominum mentes clarius reiiceres, praesertim ut spiritui sancto Christoque suam gloriam vindicares, ne quidquam ad ministros vel elementa transferatur.

Initia actionis in consensione ineunda meram desperationem prae se ferebant. Subita lux affulsit. Voluerunt[8]) priores cum aliis ecclesiis communicare. Non aegre concessimus. Quod autem N.[9]) dissentit, aequo animo ferendum est.

Farellus tibi scribit copiose, ut videbis. *Viretus* non audet: non enim credas quam inique tractetur. Et tamen quam potest officiosissime te salutat, petitque ut se habeas excusatum. Collegae etiam mei omnes te reverenter salutant. Nihil hic novi, nisi quod Tigurum et Berna spem omnem foederis Gallo absciderunt. Vale, clarissime vir et pater in Domino mihi plurimum observande.[10])

6) *Amsdorfius hoc ipso anno librum de coena ediderat.*
7) *Bucer. l. l. not.* 3.

8) *Turicenses.*
9) *Utrum et hic Hoperum an alium quempiam notarit, dubium esse potest. Certe Bernenses non dissenserunt.*
10) *Bonnetus omnino errat quum hanc epistolam ad m. Iunium referat. Evidenter enim est responsum ad eam quam Bucerus d.* 14. *Augusti scripsit. Inserimus hoc loco potissimum, quia ex N.* 1293 *discimus d.* 21 *Octobris nondum scriptam fuisse sed sine mora scribendam. De Fagii morte qui Idibus Nov. obiit fama nondum Genevam pervenerat.*

1298.

BULLINGERUS CALVINO.

Exspectat Calvini responsum et approbationem eorum scriptorum quibus iam operosum Consensus negotium absolutum est. In Stephani gratiam quid Turici fieri potuerit. Socinus redux.

(Ex autographo Cod. Genev. 120, fol. 201.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae antistiti vigilantissimo suo in Domino carissimo fratri.

S. D. Gaudeo literas nostras ad te,[1]) venerande et dilectissime domine et frater *Calvine*, tuto esse perlatas. Exspectamus iam quid sis ad eas responsurus.[2]) Intelligo sane quid tu sentias, et gratulor nobis tam pulchre convenire in omnibus. Restat ut aliorum quoque calculus accedat, D. *Farelli* et *Vireti*. De quibus tamen freti ipsorum pietate nihil nobis quam de te ipso pollicemur. Dominus consentientes et copulatos sanctissima et integerrima consensione unanimes conservet in finem usque.

1289. 1) *N.* 1276.
2) *Nullam habemus Calvini ad Bullingerum ante* 7. *Dec. Scripserat tamen per Stephanum ut ex sequentibus colliges.*

D. *Robertus* [3]) mihi fuit commendatissimus quum propter tuam commendationem, tum etiam propter virtutes proprias et eas quidem eximias. Nihil tamen potui in eum conferre beneficii. [4]) Vidit interim non defuisse voluntatem paratissimam. Iuvenes autem mea intercessione accepit in suam fidem D. Ioan. *Wolphius* [5]) symmysta, vir graece et latine doctus, liberalis civilis et diligens. Committerem ei meos filios, si aliis vellem credere custodibus aut tutoribus. Spero itaque illis tuis prospectum optime. Singuli pro victu et omnibus impensis, lectis inquam etc., solvunt 20 coronatos. Verum haec exactius exponent tui illi. Obtuli et ego iuvenibus omnem meam operam. D. *Laelius* salutat te officiosissime. [6]) Scripsit tibi literas, proposuit quaestiones aliquot: orat ergo tuam humanitatem per Christum ut respondere digneris. Oro et ego te per meam amicitiam ut hac in re ei inservias, tuisque studiis tantillum temporis suffureris. Collegae omnes te cum tuis omnibus diligenter salutant, et vobis omnia felicia imprecantur, commendantes se vestris precibus. Nomine meo salutem plurimam dicas omnibus tuis, inprimis clar. viro D. Iac. *a Burgundia*, cui me commendari peto. Vale, vir doctissime et animo meo carissime. Dominus Iesus servet te incolumem ad gloriam nominis sui. Tiguri 29. Octob. anno 1549.

Bullingerus tuus.

Accepisti haud dubie literas quas nuper ad te scripsi de scripto tuo contra Interim, quid de eo fratres ex Frisia scripserint.

1299.

MUSCULUS CALVINO.

Commendat cives quosdam Augustanos et queritur de religionis statu in Germania indies magis misero.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 184.)

Praestantissimo theologo D. Ioanni Calvino Gebennensis ecclesiae antistiti vigilantissimo domino ac fratri in Christo carissimo

Gebennae.

S. D. Qui has reddunt, *Calvine* in Domino carissime, Augustani sunt. Occasionem captant videndi te, eamque ob causam literas hasce meas ad te illis dare volui. Studiorum gratia Galliam petunt. Utinam id sine pietatis detrimento fiat. Educati sunt in evangelio Christi, et opus habent summa diligentia et cautione, ne quod a puero bene didicerunt in Gallia male dediscant. Quapropter obsecro, inculca illis timorem Domini, ne iugum illius mundum hunc sequuti abiiciant.

Caeteris de rebus meis nihil habeo quod scribam, nisi quotidianum illud quod misere discrucior quoties de ecclesiis Christi ad papismum relabentibus cogito, et praeterea metuo ne etiam istae, ad quas confugi, idem iudicium Domini experiantur, atque ita crambe bis exposita mortem hanc mihi duplicet. Huius metus plures causas reperio quae in nostris ecclesiis miserrimam hanc calamitatem praecessisse videntur. Exsurgat tandem Dominus, et tempestati huic, si non finem, saltem modum aliquem imponat. Hodie literas ex Augusta accepi, quibus amici scribunt causam religionis illic versari in magno discrimine, quae tamen hactenus habuerit tolerabiliter: deinde Caesari parari mansiones opera sedula et urgente in aedibus Antonii *Fuggeri*, scribique ex Antwerpia, quod circa dimidium Novembris moturus sit ex inferiore Germania Spiram, deinde Augustam versus, [1]) et quod Norubergenses magnam vim bombardarum et reliqui bellici apparatus ad illius petitionem Spiram sint missuri. Loquatur illi Dominus tandem in ira sua, et furore suo conturbet eum, detque nobis spiritum verae pietatis. Optime vale, virorum carissime, Dominus te conservet et ecclesiam tuam magnis adversariorum insidiis obnoxiam. Amen. Bernae 31. Octob. 1549.

W. Musculus tuus.

1300.

VIRETUS CALVINO.

Bernenses ministri se iam autores fatentur eius consilii quod sequutus senatus colloquia interdixit, et omnem spem adimunt abrogationis.

3) *N.* 1292.

4) *filios comitis sui Turici educandos collocare volebat fortasse apud ipsum Bullingerum (ibid.).*

5) *Bullingeri consanguineus, per viginti annos minister ad aedes B. V. (Pestalozzi p.* 484).

6) *Basilea redux.*

1299. 1) *Caesar nonnisi anno sequente Augustam se contulit ad comitia imperii celebranda. Quae ad d.* 25. *Iunii convocata demum d.* 26. *Iulii inchoata sunt. (Sleid. p.* 199 *et* 210.)

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 95. Habuimus praeterea exemplaria Cod. 116, fol. 118; Bernense Epp. VII. p. 1083 et Simleri Vol. 71.)

D. Ioanni Calvino

Genevae.

S. Heri literas accepi a *Musculo* et *Hallero* quibus aperte se fatentur autores eius consilii quod sequutus est senatus de abrogandis colloquiis, in quo sibi mire placere videntur, me vero graviter peccare arbitrantur qui hac de re conquerar, et pium senatus institutum non approbem. Quin et se mirari scribit *Musculus*, non ante hoc consilio fuisse huic malo provisum. Has solas habent rationes quod, quidquid fuit contentionis et dissidiorum in ecclesia, id omne solis colloquiis acceptum ferunt.[1]) Quod multis exaggerat *Hallerus*, qui me et reliquos omnes fratres meos satis amare perstringit. Iactat consilium Tigurinorum[2]) et aliorum virorum praestantissimorum. Nulla fuit exitiosior pestis in ecclesia his congressibus. Nulla supererat spes firmae concordiae nisi hac sublata. Solae ecclesiae summa in pace vixerunt quae ab his congressibus abstinuerunt. Longum esset recensere quae in hanc dicuntur sententiam, et quam graviter nos premamur, sed argumentis admodum infirmis, quae non nisi falsis de nobis delationibus et sinistris suspicionibus nituntur. Ut semel concludam: non suadet *Hallerus* ut hac de re intercedamus[3]) apud senatum, sed spem adimere conatur successus. Non putat se et suos collegas et senatum mutaturos sententiam, aut se dissuasuros quod suaserunt. Sed de his alias latius. Ora Dominum pro nobis, qui nostram secundet legationem, adsitque adversus omnia studia, quae eius adversabuntur ecclesiae. Vale. Lausannae 4. Novembr. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1301.

SENATUS BERNENSIS VIRETO.

Novum senatus consultum de colloquiis ministrorum instituendis.

(Ex actis de abrogandis colloquiis Lausannensibus N. 6 l. l. fol. 444 vide supra N. 1284 seqq.)

Exemplar posterioris mandati.

Legatione Petri *Vireti* classis Lausannensis decani et legati ab ea classe missi[1]) super singularum hebdomadum colloquiis summatim heri a magnificentissimis Principibus intellecta, quum huius ecclesiae ministri et professores, quibus id negotium commissum fuit ut suam de eo sententiam exponerent, hodie retulerint:

1. Quod mandatum magnificentissimi Principes ad decanos super iis colloquiis misissent, multas ob causas in eo copiose expositas ecclesiae maxime utile commodumque se arbitrari, nec proinde quidquam ei detrahere velle,

2. Si quando tamen eius classis ministris saepius quam quater convenire videatur, posse quidem id se permittere, ea tamen conditione ut ne quis ad eos extraordinarios conventus cogatur,

3. Quoties vero ita fuerit conventum, ferre se nullo modo posse ut controversiis et contentionibus res agatur, quemadmodum quidem olim est factum, adeo ut litigationum potius quam colloquiorum speciem hi conventus habuerint. Hunc igitur ritum se probare:

4. Ut semel aliquis scripturae locum aliquem tractet, mox discedat, caeterique fratres tum doctrinae tum morum ipsius censuram agant, ut eorum quae necessaria videbuntur decanus eum admoneat, nec postea quidquam repugnans proponere liceat. Possint quoque hebraicae et graecae linguae professores eundem scripturae locum tractare atque declarare.

5. Rogare se vero magnificentissimos Principes ut hic etiam ritus intra generalem tantum synodum proxime futuram illis concedatur, in qua deliberetur an publicae paci atque concordiae conducat.

6. Eaque etiam conditione ut serio admoneantur ut ab omni innovatione caveant, ne magnificentissimis Principibus occasio praebeatur non hoc tantum colloquiorum iure ipsos privandi, sed ipsa quoque eligendorum ministrorum potestate,

Eam sententiam magnificentissimi Principes approbarunt, et sua autoritate confirmatam Petro *Vireto* dari sciverunt. Actum die Sabbathi 9. Novembris anno 1549.

Secretarius Bernensis.

1300. 1) *quasi hae rationes non suffecissent.*

2) *Tale nobis non innotuit ex scriptis, sed de re minime dubitandum. Cf. N.* 1292.

3) *In N.* 1291 *consilium suum Bernam proficiscendi ibique reclamandi Calvino exposuerat. Mox videbis illud iter susceptum fuisse quamvis dissuadente Hallero.*

1301. 1) *Ergo Viretus post scriptam praecedentem epistolam re vera Bernae adfuerat. Caeterum hic fere nihil conceditur quod non iam in priore decreto N.* 1256 *definitum fuisset, quamvis Hallerus* (*N.* 1303) *aliter sentiat.*

1302.

SCHLATTERUS [1]) BULLINGERO.

Ministrorum Bielensium sententia de Consensu Turici in re sacramentaria facto.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 105, olim Scrin. B. Epp. Tom. I. fol. 421. — Simler. Vol. 71.)

Ornatissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fidelissimo praeceptori suo in Domino colendissimo.

Gratiam et pacem a Deo patre nostro per Iesum Christum Dominum nostrum.

Literas tuas, ornatissime vir, idemque nobis in Domino colendissime praeceptor, primo Octobris datas 24 demum eiusdem mensis die accepimus, una cum exemplari Consensionis vestrae in re sacramentaria. Ad quas si forte serius opinione tua respondere videbor, duplici quaeso nomine meam illam cunctationem tibi purgatam habeas. Primum quod tuae illae literae tardius nobis quam oportebat redditae sunt. Deinde quod descripto exemplari Consensionis vestrae non statim ad manum nobis erat nuncius certus, cui illud referendum tibi tuto imponere possemus. Quare hanc qualemcunque moram nostram aequi bonique consulito.

Capita Consensionis vestrae in re sacramentaria non tantum D. Iacobus *Wirbenius* et I. *Leopoldus*,[2]) symmystae mei et fratres in Christo carissimi, et una cum illis ego quoque perlegimus et descripsimus, verum etiam legenda exhibuimus ea et reliquis fratribus Christo servientibus in agro reipublicae nostrae Bielnensis. Quod tibi minime displicere putamus, praesertim quum id studio singulari iuvandae pietatis egerimus. Docuerunt hi hactenus suas ecclesias orthodoxe nobiscum, non modo in doctrina sacramentorum, verum etiam in aliis omnibus sacrosanctae religionis nostrae capitibus. Quo ergo optimos illos viros minus poeniteret praeclarae illius suae constantiae in recepta et tot annis iam perseverata veritate, non celandam eos esse duximus hanc vestram in re sacramentaria initam cum D. *Calvino* et *Farello* concordiam: maxime quum *Calvini* scripta, et gallica et latina, magis illis, quum propter vicinitatem Neocomi tum propter linguae commercium, familiaria sint quam tua, quorum illis perquam raro copia fit. Existimamus ergo eos in veteri sua sententia de sacramentis tanto in posterum confirmatiores futuros, quo plures habent eius adstipulatores et suffragatores, maxime autem *Calvinum* et *Farellum*, quibus plurimum semper detulerunt.

Porro quod nostrum de Consensione illa vestra in re sacramentaria iudicium requiris, gravem sane difficilemque nobis iniungis provinciam. Quomodo enim indoctis imperitisque nobis de summorum ingeniorum iudicio censuram agere liceret? Sed agnosco hic, praestantissime *Bullingere*, christianam tuam modestiam, qua cum Paulo apostolo agnoscis spiritus prophetarum prophetis esse subiectos. Proinde nos quoque, ut vis, breviter nostrum iudicium tibi de concordia illa vestra exponemus.

Placet nobis illa apprime, non tantum quod est canonicae scripturae consentanea, verum etiam quod est compendiosa, solida, sincera, simplex, plana et perspicua. Quae etiam eo nomine nobis commendatior est, quod ab ipso *Calvino* capita eius in ordinem sunt congesta nobisque a Geneva transmissa. Sic enim omni tergiversationi viam in posterum praeclusam arbitramur. Non quod *Calvinum* credam constantiam et fidem suam unquam mutaturum posthac, sed quod autoritate huius sperem nonnullos nostratium flexos vel nunquam amplius doctrinae nostrae de sacramentis oppedere et obgannire ausuros, vel suam opinionem erroremque minus certe audacter propugnaturos. Quid enim miseri tanto promacho destituti posthac adversus veritatem auderent? Quid multis moror? Unum tantum Consensioni vestrae deesse nobis dolet, partim quod non typis excusa est, quo et quam plurimorum manibus tereretur et adulterari a nemine in posterum posset, partim vero quod *Calvinus* non ante multos annos collationis huius inter nos mutuae ineundae consilium cepit. Sic enim vel ecclesiae multae nunquam sacramentariis istis contentionibus vexatae dilacerataeque essent, vel maturius ex illis liberatae minorem iacturam quum pietatis tum salutis suae fecissent. Certe *Bucerus* absque Theseo hoc solus non facile in Helvetia suum errorem tot ecclesiis persuadere potuisset. *Calvinus* enim eam inter omnes ecclesias helveticas eruditionis et pietatis opinionem habuit et adhuc habet, ut non facile quisquam hoc dissentiente ecclesiis nostris novi dogmatis aliquid ingerere ausurus fuerit. Sed in hoc casu sequemur hoc proverbium quo dicitur satis cito fieri quod fit satis bene. Congratulamur ergo, quum nobis tum aliis piis ubivis gentium, quod is, qui antehac semper habitus est impugnator sententiae nostrae de sacramentis, clarissima et luculentissima expositione eius propugnatorem defensoremque se semper et antea fuisse, et nunc esse, et in posterum fore, declaravit. Deo item opt. max. immortales agimus gratias quod per felicis memoriae

---

1302. 1) *Michael Schlatter V. D. M. apud Bielenses, a.* 1551 *ob quasdam disceptationes, quas habuit cum Iac. Fünkle, Constantia electo et nuper ad ministerium Bielense vocato, loco suo cessit et successorem habuit Ambr. Blaurerum.*

2) *Fry. — Wirbenium eundem fuisse ac Würbium* (*N.* 279. 358) *nulli dubitamus.*

Zuinglium perque te ac alios pios eruditosque viros huc usque veritatem suam illibatam inviolatamque adversus tot monstra conservarit.

Nos ecclesiamque nostram abs te amari non modo literis tuis testaris, sed iam pridem id multis argumentis aliis testatissimum nobis fecisti. Ut id perpetuo agas enixe te rogamus. Nos vicissim et te et ecclesiam Tigurinam amamus sinceriter et constanter. Et quia officiis aliis nostram erga vos benevolentiam declarare propter ingenii et virium nostrarum tenuitatem non possumus, saltem assiduis precibus nostris pro vobis apud Dominum gratitudinem nostram vobis exhibebimus. Vale, ornatissime vir, una cum omnibus symmystis tuis, quos meo fratrumque meorum nomine vicissim resalutato. Dominus vos incolumes conservet in profectum suae ecclesiae. Datum Bielis 10. Novemb.

Tuus ex animo

Michael Schlatterus.

1303.

HALLERUS BULLINGERO.

Viretus Bernam venit eique nonnihil concessum est.

(Excerptum ex autogr. Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 115 olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. p. 2852. — Simler. Vol. 71.)

Viretus hic fuit. Aliquid eis datum. Modus tamen constitutus quo non satis videntur contenti, sed rixosis illis ingeniis vix satisfaciet quisquam. Sed de his alias. Salutant te *Musculus* et reliqui fratres. Bernae 11. Novembr. 1549.

Ioannes Hallerus totus tuus.

1304.

GRIBALDUS [1]) CALVINO.

Commendat Vergerium.

(Ex apographo Bibl. Paris. nation. Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 85.)

D. Io. Calvino Genevae antistiti Matth. Gribaldus S.

Proficiscitur ad vos Petrus Paulus *Vergerius,* [2]) olim episcopus Iustinopolitanus, cupiens Germaniam peragrare et fideles in Domino fratres amplecti. Quamobrem te vehementer rogo ut illum humanitate, qua caeteros soles, excipias, dominisque Genevensibus insinues ut cum honorantes virum sane rarissimum exspectationi quam de illa felici republica omnes conceperunt respondeant. Vir est supra omne praeconium, quo, si dicere liceat, neque meliorem, neque Christi amantiorem quenquam novi. Is, ut Christum fateretur, omnibus officiis, beneficiis, honoribus, ac bonis temporalibus libentissime renunciavit: neque ex Italia quisquam prodiit qui universo papismo maiorem plagam intulerit. Quamobrem vos etiam atque etiam obsecro ut tanto viro dignum officium exhibeatis, quem pluribus commendare[*m*], nisi eum iam vobis et notissimum et acceptissimum arbitrarer. Valete. Ex V . . . . . Idibus Novembris 1549.

1305.

FARELLUS CALVINO.

Myconii querelae, se in negotio Consensus praeteritum fuisse dolentis. Sulzerus notatur. Item Bernenses colloquia Gallicis ministris negantes.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 90 coll. c. exemplaribus recentioribus Cod. 116, fol. 14, Bernensi Epp. VII. p. 1085, et Simleri Vol. 71.)

Quando et quo pacto cum Calvino familiaritatem inierit, qualem haec epistola prodit, incertum. Familia eius Taurini degebat dum ipse Patavii docebat. Possidebat, saltem sequioribus temporibus, dominium Farges dictum in agro Gaiensi, Genevae vicino. Etiam cum Curione habuit commercium epistolicum et sic plures ei patebant viae ad Nostrum. (Trechsel, Antitr. II. 54.)

2) *De hoc viro, Clementis VII. et Pauli III. nuncio s. legato in Germania, v. omnino Sixt, P. P. Vergerius, Brunsv.* 1855. *Qui hanc epistolam non vidit et tempus quo Vergerius Italia profugus Genevam appulit definire non ausus est. Caeterum constat eum iam a.* 1545 *Pontificiis suspectum fuisse, et vergente a.* 1548, *Spierae mortis testem factum aperte mentem suam declarasse, ita ut d.* 3. *Iul.* 1549 *Romae anathemate notatus fuerit. Cf. etiam Halleri Ephem. p.* 89 *qui narrat eum initio Iulii* 1550 *Bernam venisse quum antea Lausannae commoratus postea vero aliquamdiu ecclesiis rhaeticis praefuisset.*

1304. 1) *Matthaeus Gribaldi Cherianus, Pedemontanus, iurisconsultus a.* 1548 *professor Patavii, sacris reformatis clam addictus, et nuper scripto de Franc. Spierae exitu clarus.*

Christi servo summa tum pietate tum doctrina Io. Calvino pastori Genevensi fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. *Myconius* queritur in literis quas mihi reddidit *Simon* [1]) non procul Geneva, quod nihil ad se scripserim de concordia Tiguri coepta, utinam plene tandem absoluta. Queritur et de Tigurinis, quod nihil quoque indicarunt: se, ut par est, fratrem haberi vult. Ego, quum istic [2]) essem, quod praecipuum erat praeterii. Et mirum sane quod rem tantam ita expetitam neglexerim, satis esse reputans audivisse ea, quae petebas adiungi, admissa fuisse. [3]) Tu non gravaberis, quidquid est peractum ad me mittere, ut bonum patrem, ut ille inquit, placem: quum facile sit multos offendere ac alienare hoc tempore, sed non ita in officio continere.

Sultzerus hic non satis officium fecit. [4]) Sane vix memini unquam aliquid curasse ex animo, quod me invidia liberaret, contra vero saepius gravavit. Si praeter spem et ignoranter fecerit, nescio: nec ideo vellem committere quin commodis illius in Domino servirem. *Viretum* quamvis valde festinans, redeuntem Berna [5]) assequi hic non potui. Siquidem prius hinc solverat, nec recta Lausannam repetiit. Ut audio, aedificatores diruunt Domini aedificium et ruinas aedificant. Hoc est poculum irae [6]) Dei, ut amentia impleantur et cadant qui sapere et stare deberent.

Tres feruntur cardinales Babylone venisse interempturi Interim et plene papismum erecturi. Tres qui e coelo vitam mundo adnunciant: unus Deus non istos tres tantum, sed etiam pontificem, Mahometem, ac quam maxime his accedentem funditus perdat, ut solus tantum regnet Christus. *Bucerum* et pios cum eo in Anglia servet. Argentoratum stare faciat [7]) et quidquid sanum est servet. Vale cum piis omnibus, ne praeteream *Budeum* cum matre et reliquis. Collegas opto salvos cum *Normandio*. Collega te salutat. Neocomi 14. Novembris 1549.

Farellus tuus.

1305. 1) *Sulzerus, cui occurrisse videtur Farellus quum Geneva rediret. Myconius podagra laborans et alioquin morosus facile quaevis in malam partem accipiebat.*
2) *Genevae, de quo itinere alibi nihil.*
3) *duos articulos* 5 *et* 23 *Consensui inserendos.*
4) *scil. ut Basiliensibus consensum Turicensem commendaret.*
5) *ubi d.* 8. *Nov. fuerat de colloquiis restituendis cum senatu et ministris acturus. Quae sequuntur ostendunt quam parum ibi effecerit.*
6) *Cod.* 116 *praebet:* veri *quod S. ex coniectura mutavit in:* vini.
7) *Etiam post Buceri excessum Argentoratenses praeeunte Hedione Interim sibi obtrudi non passi sunt, quanquam in summo templo die Natalis cultum pontificium instaurandum impedire non potuerunt.* (*Roehrich II.* 214.)

1306.

CALVINUS FARELLO.

Quantum ad Myconii querelas, eum placatum iri sperat culpa in Turicenses reiecta. Iam et Turici et Neocomi Genevaeque Consensui subscribendum. Bernenses et Lausannenses privatis literis adhaerebunt. Tristes ex Anglia nuncii. Ipsius mala valetudo.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 30. Coll. Cod. 111, fol. 239, Epp. Bern. Tom. VII. p. 1091 et Simleri Vol. 71. Apographa passim mendosa. In authentico maior pars epistolae ab initio cancellata, scil. Bezae manu, qui eam prelo destinaverat.)

Eximio Christi servo D. Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et amico carissimo

Neocomi.

S. *Myconio* brevi scribam. [1]) Si erit placabilis, facilis erit excusatio. Iam mihi *Beza* retulerat [2]) offensum fuisse quod non accitus in partes fuisset. Ita semper habent imperiti et resides quod queruntur. Interim sustinenda est nobis Gedeonis persona. Imo non tantum racemus Ephraim sed acinus labruscae vindemias nostras superet: modo ne bonum saporem corrumpant. Tigurini certe peccarunt. Atque id tibi nuper dicebam. [3]) Sed quum per nos minime steterit quominus suum locum tenerent Basilienses, et nobis hodie liberum sit hoc profiteri, sibi, ut spero, quantum ad nos attinet, satisfieri patientur. Sic tamen in epistola mihi moderabor ut neutra pars iure offendi queat. Caeterum ex *Bullingeri* literis, [4]) quas tibi mitto, intelliges subscriptionem tuam et collegii vestri desiderari. Tu si absque controversia eam videbis impetratum iri a fratribus, consulo ut exemplar mittatis subscriptum. Sin aliqua erit difficultas, tibi certe recusare non licet quin manu subscribas quod ore confessus es. In collegis meis nulla erit mora. Die Veneris [5]) convenient. Statim admonebo Tigurinos ut vicissim idem praestent. Bene habet quod ultro sunt solliciti. Ubi viderint se praeventos, nostra sinceritate adducti nihil negabunt. In *Vireto* diversa ratio. Satis erit si privatis literis suum consensum testabitur. Res erit ultra periculum calumniae, quia idem iam fecerunt Bernenses ministri.

De Anglia tristes nuncii [6]) sed varii sparguntur.

1306. 1) *N.* 1309.
2) *N.* 1261.
3) *quum Farellus Genevae esset.*
4) *N.* 1298.
5) 22. *Nov.*
6) *Dux Somersethi d.* 13. *Oct. in vincula coniectus fuit.*

Ego in meliorem partem inclino. Est tamen utilis metus, qui nos ad preces acuit. Vale, frater et amice integerrime. Dominus Iesus te servet ac tuis laboribus semper benedicat. Saluta collegam tuum mihi carissimum, et reliquos fratres. Omnes amici te plurimum salutant, praesertim *Normandius* meus, *Copus* et *Gallasius*, quos ego solos vidi ex quo mihi tuae literae redditae sunt. Scribo enim a coena. Literas tuas sub horam quartam accepi. Domo non sum egressus quia hemicrania iam triduum me atrociter infestavit. Totum diem sabbati ieiunus transegi. Hodie aliquanto post quintam vespertinam coepi edere, quia hesternum prandium mihi stomachum exercuerat, ventriculum autem paene confecerat. A duobus annis mihi cum hemicrania non fuerat tam durum certamen. Vale iterum cum familia tua. Genevae Lunae 18. Novemb. [7]) Cras nuncius iter ingredietur.

Ioannes Calvinus tuus.

1307.

VIRETUS CALVINO.

Quid Bernae egerit et profecerit, imo quo pacto Hallero et Musculo officium suum negantibus frustra fere laboraverit. Calvinum rogat ut ipse literis ad illos datis meliorem rerum faciem paret.

(Ex autographo Cod. Gen. 111[a], fol. 96, quocum conferenda prostabant exemplaria Cod. 116, fol. 117. Bernense Epp. VII. p. 1087 et Simleri Vol. 71.)

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori vigilantissimo fratri et amico suavissimo

Genevae.

S. De successu meae legationis [1]) ideo nihil ad te scribo, quia melius omnia cognoscès tum ex scriptis quae ad te mitto, tum ex *Beza*, qui omnium fuit spectator et testis. [2]) Is narrabit quo simus vultu ab omnibus excepti, quae fuerit totius senatus ad omnia propensio, per quos steterit quominus admissus sit *Ottomannus*, [3]) ac quominus id omne impetraverimus quod postulabamus. Valde metuo illi ecclesiae. Spem antea maiorem conceperam de pace et profectu ecclesiarum quam possim iam retinere. Non possum de *Hallero* et *Musculo* sinistrae quidquam concipere suspicionis, sed vehementer timeo ne eos aliorum affectus et rerum nostrarum imperitia nimis a recta via abducant. Ex utriusque ad me literis intelliges quomodo sint in hanc causam affecti. Causentur quidquid volent, ego certe non possum non interpretari tyrannidem in ecclesiam quod fecerunt, et quod in posterum moliri videntur. Certo scio eos nihil minus cogitare aut appetere. Sed videant ne sibi ipsis imponant, et imprudentes suis fallantur consiliis, et ecclesias evertant. Quid unquam certum erit in ecclesia, et quae nobis speranda est concordia et constantia, si ad ministrorum Bernatium nutum regantur omnia? si de alienis ecclesiis ipsi statuant et fratribus omnibus, non iam fratres sed domini, leges imponant, synodorum placita abrogent, et quae ab aliis sancita sunt rescindant, inconsultis fratribus omnibus et vicinis ecclesiis, nisi quas libuerit? Si hic erro, quaeso te me ut in viam reducas. Loquor quod sentio. Provideo quid futurum sit. Ecclesiae curam gero et posteritatis. Neque haec apud eos dissimulavi, praesertim apud *Hallerum*, quem non dubito meis verbis commotum fuisse. Nam colloquium nostrum postremum speciem habuit maximam paroxysmi, quanquam amici discesserimus, sed utrinque animorum fuerit non exigua commotio. Quo fit ut coniiciam, non magnam me iniisse gratiam hac legatione apud eos. [4]) Cum *Musculo* parce colloquutus sum: cum aliis nihil, nisi in genere et in consessu, quia nullum ex mutuo colloquio sperabam operae pretium. Audio eos non posse penitus deponere suspiciones et affectus quibus adversus nos (me et te dico) aliquando commoti sunt. Posteaquam nulla illis potest ratione satisfieri, non magnopere laborabo posthac, nisi ut me Christo approbem.

Utinam suo officio tam bene ministri omnes responderent quam suo senatus. Proxima hebdomada Viviacum classem conventuram speramus, super responso senatus deliberaturam, et diaconi communis electione. Quare tuam mihi sententiam de omnibus diligenter perscribi cupio. Videbis quid ad nos scripserint communibus literis, et quid nos re-

---

7) *Annum* 1549 *Farellus adscripsit et hic et in fronte.* **1307.** 1) *N.* 1286 *et* 1301 *quae fortassis ea ipsa scripta sunt de quibus hic missis loquitur.*

2) *Bernae fuerat a Lausannensibus missus, ut se examini subiiceret, quo peracto et senatus confirmatione obtenta munus suum Lausannae auspicari poterat. Vide ep. seq.*

3) *Qua de causa huic confirmationem negarint nobis non constat. Cf. Hundesh. p.* 255. *Lausannenses ei munus diaconi communis dari voluerant, quum proprie iureconsultus esset. Postea Lausannae fuit professor humaniorum sed invitus et necessitate coactus, neque diu sustinuit in tali conditione permanere.*

4) *In quo quam recte iudicaverit saepius iam in Halleri literis legisti. Vide nuperrimas N.* 1303 (1215. 1247).

sponderimus, quanquam literas reddidi ea lege *Hallero* ut aliis, si non videretur, non communicaret, nisi *Musculo*. Videbis quid ad me *Hallerus* et *Musculus* scripserint, ex quo quid prius ipse scripserim etiam cognoscere licebit. Paucis scripsi, neque ullum verbum asperius, quam quod admonui de reddenda Domino ratione, iis paene verbis quibus tu usus es in eandem sententiam in tuis ad *Musculum* literis. [5]) Videbis quid *Musculus* respondeat, et si quid continent literae quod nostra nos scire referat facito certiores. Videbis quid postulaverimus, et quibus rationibus et quid sit responsum. Queruntur de nostra loquacitate ministri, quando explicare volumus quae nobis innotuerunt et impedierunt. Ubi perlegeris remitte per *Bezam*, quia iis mihi in classis conventu erit opus. Mitto et *Bullingeri* ad me literas hac de re. Nostri te omnes salutant, praesertim uxor. Audies a *Beza* de nostro omnium statu, quum privato tum publico. De meo ad vos adventu nihildum certi statuere possum: spero tamen id futurum propediem. Saluta amicos. Vale. Lausannae 18. Novemb. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

Nihil in hac causa arbitror consultius quam ut abs te et aliis omnibus doctis et bonis viris intelligant quam ipsis probetur haec ecclesiae administrandae ratio, et haec consilia, et quam parum conveniant ecclesiasticae disciplinae. Si igitur hac de re scripseris iterum serio ad *Musculum* et *Hallerum*, atque etiam ad *Bullingerum*, recte feceris, meo quidem iudicio. Paterniacensis classis idem habuit mandatum quod nos. De *Ferronio*, quid hic egerit, quid a me petierit, audies ex *Beza*. Recepi me scripturum eius rogatu. Sed aliud non possum abs te petere quam quod aequum et in rem ecclesiae futurum iudicaris. Vale iterum. Collega te salutat.

1308.

FARELLUS CALVINO.

Meliorem ei apprecatur valetudinem. Consensus exemplaria ex parte mendosa esse deprehendit, suo omnino subscribet. Bezae, Stephani aliorumque res obiter attingit.

(Ex autographo Cod. Gen. 115, fol. 91. Exstant apographa Genevae in Cod. 116, fol. 15, Bernae in Fpp. VII. p. 1098 et Turici ap. Simlerum, Vol. 71.)

Insigniori Christi servo Io. Calvino pastori Genevensis ecclesiae tam pio quam erudito fratri et symmystae quam carissimo

Genevae.

S. Dominus Iesus prosperam tibi det valetudinem, ne quid morbi aut alicuius impedimenti morae tibi sit quin quam felicissime absolvas omnia quae ecclesiarum aedificationi et illustrando Christi regno serviunt. Quam vellem istam hemicraniam, et quidquid bonis facessit negotium, in Epicureis, ignavis terrae oneribus, valide vim suam exserere, ut haberent in quo sese exercerent: sed multo magis improbos, qui dies et noctes aliud non agunt quam ut funditus perdant omnia, summis premi doloribus, ut a malis avocarentur et aliquando de Deo cogitarent. Sed indigni sunt qui sentiant ea quae filiorum sunt, ut et nos sane indigni essemus quorum memor esset pater. Verum quum propter carum filium nos non negligat, sed tam benigne intueatur, propter hunc et miseris omnibus sit propitius.

Valde me oblectarunt literae *Bullingeri* ad te. [1]) Vides ut agat Dominus nobiscum supra quam speremus. Favenda erit haec sancta amicitia ut crescat, quum ecclesiae plurimum sit utilis. Omnia tam bene transacta esse et admissa tam necessaria quae adiunxisti, non possum non gaudere quam maxime et gratias pacificatori Christo agere merito debeo. Is qui scripsit, dum optime studet, pessime id effecit. Si exemplar Tigurinum, quod apud me habeo, male habebat, istud peius. Verum hoc nihil est quin solido gaudio fruamur in Domino. Quod attinet ad fratrum subscriptionem, facile spero impetratum iri. Bene facis quod me urges ut quod ore fassus sum manu obsignem. Forte quod vere in Domino fateris ego pernegabo? aut subterfugiens tam sanctis capitibus subscribere nunc remorabor? Si tamen aliquis iam remorari possit rem quam summopere expetivi. Utinam nemo minus refugeret. Etiam sanguine, si esset opus, consignarem omnia. Quid Arctopolitanis et pio illi [2]) sit visum nunc non disputo, nec mihi tantum arrogo ut censuram de ipsorum iudicio feram: tamen in ea sum sententia, ut tam pia et cognitu necessaria capita passim vulgarentur, idque pluribus linguis. Nihil moror eos qui tam diu pressam et tam paucis communicatam queruntur. Qui autor est Deus successum dabit, quumque benigne hic nos sit intuitus, danda nobis opera ut propter hunc omnes ad meliora invitemus, faxitque ut pacatiores reddantur, ut sub Gedeone

5) *N.* 1294.

1308. 1) *N.* 1298. *Sequentia spectant ad Consensum, de cuius manu scriptis exemplaribus quae hodieque exstant vide Prolegomena nostra T. VII. p.* 52. *Inter quae illud ipsum est cui Neocomenses hic subscripsisse dicuntur.*

2) *Utrum Hallero an Rumlangio?*

factum, et ut contigit tam Petro in Cornelii benedictione quam Iephtae. Capita consensionis mittere constitui ad Myconium omissis epistolis.[3] *Viretus* ut ad *Sulzerum* mitterem petere videbatur. Sed per *Myconium* satisfaciam huius votis.

Gratulor Lausannae *Bezam* contigisse.[4] Stupesco super *Othmano*.[5] Forte sibi sapere tum egregie videntur eiusmodi, dum supra modum desipiunt. Indocta portenta foventur et admittuntur, ubi nulla est pietas, nulla vel ethnicorum virtus, sed, ut ille inquit, monstrum unusquisque est a vitiis nulla virtute redemptum, et tanta pietas tot dotibus comitata non est idonea quae locum habeat. Christus meliorem det mentem! *Zebedaei* calumniis hoc factum aliqui putant, qui utrumque volebat impedire: *Bezam* non potuit. Si ita habeat, Dominus ita cum eo agat, ut caeteri discant aliter in ecclesia versari. *Fasenio*[6] ita perditus pergit mentem et oculos credulis adimere. Si Tigurini admoniti revocent tam desipientes, te autore recte fiet. Istic videntur pii nunc plus posse, quod foro iudiciali sit melius consultum. Opto plurimum ut quam aequissime et diligentissime munus tantum obeant. Addat Dominus omnia quae piis et isti ecclesiae sunt utilia in sui nominis gloriam.

Vale quam felicissime, et quod facis semper effice. Saluta mihi plurimum *Normandium* et collegas omnes, ne vicinos praetereamus, *Copum* et *Galasium* cum *Budeo*, imo coetum istum tam pium. Collega te et nostri omnes salutant. Neocomi 25. Novembris 1549.

Farellus tuus totus.

Hic[7] non parum angitur ob uxorem, qua carere non potest nec eam habere. Tu quod per Dominum nosti faciendum aperies. Putabat hoc sibi turpe quod quadragenarius et pauper uxorio affectu tangatur, quasi is affectus bonus et honestus non sit coniugibus, cui obluctari est Dominum tentare et praecepto ipsius non obedire. Christus uxoris cor tangat, ut viri iam tetigit.

Demiror Robertum *Stephanum* tam parum videre, ut quo in statu sint res suae non cernat, malitque sciens et videns in periculum praesens animi, corporis et omnium sese coniicere, quam sancte sibi prospicere.[8] *Viretum* propinat ridendum, per quem Arctopolitanos voluit rogari, quosque promptos habuit *Viretus*, sed frustra, nisi quod vanus habetur. Quamvis hoc me habet male, non tamen tam indigne fero quam quod iste, quum palam istic nomen dederit Christo, ut tenentur omnes ubique palam facere, rursus ita agat perinde ac si nihil minus esset quam hostis Antichristi romani, et sectator evangelii nunc praedicati: quod sane Christum est negare in generatione prava et adultera. Afferat quidquid volet, iudicium Domini non effugiet nisi resipiscat.

3) *N.* 1234 *et* 1251.

4) *Halleri Ephem. p.* 87: 6. Nov. D. Theodorus Beza hic a senatu acceptatus et in schola Lausannensi graecarum literarum professor factus.

5) *Constat hunc Bezae deinceps fuisse collegam; statuendum igitur est, confirmationem diacono negatam mox professori concessam fuisse, etsi accuratius haec memoriae non sint prodita.*

6) *Nomen ignotum. Codices non variant. Simlerus qui autographon non inspexit coniiciebat legendum:* Ferronius. *Sed in ep. Calvini neque hic neque alius occurrebat quocum hunc conferre possis.*

7) *Tabellarius.*

8) *Alludit fortasse ad consilium Stephani Lutetiam redeundi. Qua vero de re Viretus Bernenses adire debebat Stephani causa non apparet: patet tantummodo illum nihil effecisse sed potius risui se exposuisse. Sequentia vero altis tenebris cooperta.*

1309.

CALVINUS MYCONIO.

Historiam conditi Consensus exponit in eum finem ut se a culpa praeteriti et neglecti Myconii liberet.

(Autographon sine consueta inscriptione exstat in Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 111, olim Scrin. B. Epp. Tom. VI. Part. I, fol. 1462. Tantum in tergo legitur: *Farello*, in fronte ipsius epistolae: *Myconio*, utroque nomine Calvini manu scripto, unde efficies exemplar fuisse in usum Farelli ab ipso autore descriptum. Plura vidimus et contulimus apographa, Genevae Cod. 107a, fol. 28 et Cod. 111, fol. 240, Bernae in Arch. Epp. T. VII. p. 1093 et Turici in Simleri Vol. 71.)

S. Iam mihi amicus quidam[1] retulerat, quod de eucharistia vobis inconsultis formulam consensus nostri Tiguri scriptam reliqueramus, te nonnihil fuisse offensum. Sed quia te mecum hac de re expostulaturum dixeras, hactenus excusationem distuli. Nunc vero quum a fratre nostro *Farello* admonitus fuerim,[2] te praetendere iustas offensionis causas, non putavi ulterius cessandum esse quin paucis saltem apud te testarer ut res gesta fuerit. Sic enim mihi persuadeo, nihil opus esse accurata defensione: sed ubi simpliciter narrata fuerit historia, protinus tibi satisfactum iri.

Inter me et D. *Bullingerum* ultroque citroque privatim haec quaestio agitata fuerat. Quoniam *Farello* nostro spes illuxerat concordiae, ut Tigurum proficiscerer coram acturus, subinde hortari non

1309. 1) *Beza* (*N.* 1261).

2) *N.* 1305.

destitit. Ego, qui vel naturae vitio vel ignavia tardior sum, non ante potui adduci ut eius monitis obsequerer, quam alia se occasio,[3]) praeter opinionem obtulit. Iter subito arripui, de quo nihil biduo ante cogitaveram. Norunt intimi familiares quam repentinum consilium fuerit. Iter deinde Neocomo faciens non difficulter *Farello* persuasi ut periculum ipse mecum faceret, an possemus in sanctam concordiam coalescere. Primum nostrum congressum, quod minime speraveram, et quod nemo ex ipsis primordiis futurum sperasset, Deus benedixit, ut intra duas horas constitutum inter nos fuerit quod nunc legitis. Ergo, sicuti *Farellus* iure gloriari potest, se unum huius actionis fuisse autorem, aliis nihil tale curantibus, ita culpam, si qua est, solus sustineat.

Caeterum non puto vos in ipsa doctrina quidquam reprehendere. D. quidem *Bucerus*, cuius nos iudicio tribuimus quantum par est, libenter amplectitur. Vobis indicare non potuimus, quod nunquam in mentem venerat. Si in extremo actu peccatum fuisse obiicias, quod res suspendi debuerat donec ecclesia quoque vestra sententiam rogata esset, *Farello* et mihi prompta est excusatio. Ita enim convenerat, supprimendum esse consensum nostrum donec a vobis comprobatus foret. Et nos quidem partes ad vos referendi suscipere voluimus. Sed quum fratres Tigurini utile non esse censerent,[4]) non ausi sumus nimium sedulo nostram operam offerre. Quin etiam eorum consilio Bernam in reditu[5]) declinavimus. Alioqui nihil optatius fuisset utrique nostrum quam vos invisere. Ergo si estis praeteriti non est quod mihi vel *Farello* succenseas. Nam id oneris in se fratres Tigurini receperant. Quanquam id alia quavis de causa potius quam contemptu ab illis factum esse interpretor. Sermo enim de vobis et honorificus et plenus benevolentiae inter nos fuit. Quod si amice cum illis expostules, spero tibi pro animi sententia satisfacturos. Neque enim quod vobis debent officium recusabunt praestare.

Vale, eximie vir et frater in Domino mihi colende. Dominus Iesus tibi semper adsit ac te gubernet. Saluta diligenter symmystas et reliquos amicos meo nomine. Genevae 6. Calend. Decemb. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

3) *foedus gallicum cf. N.* 1187.
4) *N.* 1276.
5) *Ex N.* 1197 *not.* 1 *et* 1201 *not.* 3 *patet eos quum Turicum peterent Bernae transiisse insalutato Hallero, in reditu ergo ne intrarunt quidem illam urbem.*

1310.

CALVINUS SULZERO.

Culpam non communicati pridem cum Basiliensibus Consensus in Turicenses reiicit et omnem ex hac re natam offensionem ex animis deletam cupit. De literarum fasciculo Volmario misso anxius haeret.

(Autoris manu scripta non exstat. Legitur in Cod. Gen. 107a, fol. 29, ex quo coaevo exemplari fluxerunt Turretini Cod. 111, fol. 240 v., Bernense Epp. VII. p. 1096 et Simleri Vol. 71.)

Breves et prope nullas a me literas nunc habebis. Nam quas *Myconio* scripsi tibi volo esse communes. Si quid offensiunculae conceptum fuit quod de nostro cum Tigurinis consensu non fecimus vos statim certiores, non tantum ex animo tuo delebis, sed dabis operam ne amplius in aliorum animis resideat. Vides quid nobis obstiterit. Obtulimus ultro nostrum officium in vobis adeundis et rogandis, quia periculum erat ne ambitiose nos contendere quispiam putaret. Maluimus cedere, ut par erat. Quod modestiae fuit, non debet contemptui adscribi. Quid autem fratres Tigurinos impediverit, quominus vobiscum in tempore omnia communicaverint, nescio. Certe existimo iusta aliqua causa fuisse impeditos. Nullum enim alieni animi signum vidimus. Hoc dico, quod ex multis coniecturis colligere licuit, plus illis fuisse difficultatis quam credas in mitigando uno praeduro capite.[1]) Multum enim falleris, si in eorum potestate furiosos esse existimas.

De fasciculo quem Melchiori *Volmario* miseram[2]) quidnam actum sit, magnopere scire velim: an reddendum una eum literis curaveris. Ipse enim nihildum proximis nundinis receperat: literas praecipue, quae tibi datae fuerant ad illum, salvas esse cupio, ut saltem intelligat, me officio fuisse defunctum. Abs te igitur peto, ut me prima quaque occasione certiorem reddas. Vale, ornatissime vir et frater in Domino mihi colende. Salutabis amicos qui istic sunt. Dominus te et familiam servet tuoque ministerio benedicat. Amen.[3])

Ioannes Calvinus tuus.

1310. 1) *Margo habet:* Bibliandrum innuere videtur.
2) *De hoc nihil in praecedentibus.*
3) *Codex quem sequimur diem et annum non adscribit, Simlerus 26. Nov. 1549, quod omnino iustum, quum evidenter eodem die scripta fuerit quo praecedens ad Myconium.*

1311.

CALVINUS HALLERO.

Literas ad Curionem Burgdorfensem segnem debitorem mittendas ei commendat. Queritur de Hotomanno non confirmato et suam ipsius causam in illo repudiando actam perhibet.

(Reperimus apographon recentius Parisiis in Bibl. nationali, Coll. Dupuy Vol. 102, fol. 36 v. Menda tacite corrigimus. Anglice versa exstat in edit. Edinb. II. 235.)

Ornatissimo viro D. Ioanni Hallero Bernensis ecclesiae pastori fratri et symmystae colendissimo.

S. Donec tibi propediem novum onus imponam, ut literas meas Tigurum perferendas [1]) pares, rogo te, mi *Hallere*, ut mihi hoc officium praestare quod nunc postulo ne graveris. Conradus *Curio*, [2]) qui nunc Burtolphi [3]) est ludimagister, ut pro quodam librario sua fide sponderem a me impetravit. Quia nihil hactenus monendo profeci, nunc illi aurem acrius vellico, ne ego alienae securitatis poenas luam. Quod sine tua molestia fiat, literas illi et tuto et brevi reddendas mitto. Nisi de tuo in me amore persuasus essem, non auderem tibi quidquam iniungere.

Utinam eadem apud omnes fiducia valeret. Sed video Satanam, inter eos qui ministri Christi censeri volunt, nimium regnare. Quod nuper a vobis repudiatus fuit *Othomannus* ne in diaconi locum admitteretur, [4]) eius rei non aliam video causam nisi quod aliquamdiu mecum egit. [5]) Atqui non is sum cuius contubernium piis et doctis hominibus nocere debeat. Qui tam effraeni barbarie grassantur nunquam efficient ut me poeniteat laborum quos pro ecclesia suscipio, sibi vero apud omnes bonos par odium et probrum acquirent. Reliqua in biduum aut quatriduum differam. Vale, eximie vir et frater mihi in Domino carissime et colende. Dominus te ac familiam tuam gubernet. Genevae 6. Calend. Decembr. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1311. 1) *Tales his diebus scriptae non exstant.*

2) Conradus Curio mense Dec. (1549), propter concionem quandam qua durius in scultetum eius loci D. Beatum Ludovicum a Mülenen invectus fuerat; officio suo privatus (erat enim tum ludimagister in Burgdorf) sed mox ecclesiae in Grindelwald praefectus est. (*Haller, Ephem. p.* 88.)

3) *Utrum Calvinus nomen loci ita corruperit, an librarius aliquis oscitans, difficile est dictu. Anglus habet:* at Zurtolphi, *quod ex ipso codice incautius inspecto derivari potuit.*

4) *N.* 1307 *not.* 3 *et* 1308 *not.* 5.

5) *Lugduno redux aliquamdiu Calvini hospes fuerat.*

1312.

FONTEIUS [1]) BULLINGERO.

Iudicium de Calvini libro contra Interim. Sorbonistarum Moguntinensium opus recens editum.

(Excerptum ex autogr. Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 113, f. 2137.

Dem Ersamen hochgelerten Meister Heinrich Bullinger predicant zu Zürich minem günstigen Herren zu Handen.

— — — — — — — — — — — — — — —

Pauci me hercle hactenus inventi sunt qui illud Interim impium impugnare ausi fuerint. Inter nostros memini neminem contra illud scripsisse, excepto *Calvino*. Qui etiam, ut ego sentiam, non pro dignitate, ut res postulabat, illud explosit negotioque satisfecerit. Non ita pridem ad nos rumor delatus, volumen ingens et spinosum opera sophistarum in Sorbonae Maguntinensis officina elaboratum in lucem editum esse, [2]) quo una cum brachio saeculari rursum idololatriam superstitionemque papisticam (si rumpantur ilia Codri) firmare et reformare adnituntur. Sed spero Domino aliud visum fore, qui impiorum propositum, ut indies patet, cum magna suorum laude evertere novit. — — — — — — Vale. Datum 26. Novembr. ex Glare. Anno 1549.

Fridolinus Fonteius
tuus amicus ex animo tuique observantissimus.

1313.

UTENHOVIUS CALVINO.

Londinum commigravit ibique pecuniam a Calvini debitoribus repetere imo extorquere conatus pro tempore nihil profecit. Interim schediasma de usuris conscripsit quod ei transmittit simile aliquid ab eo videre cupiens. Status rerum in Anglia usque dubius.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 773.)

1312. 1) *Fridolinus Brunner a.* 1510 *Glaronae natus Glareani et Zwinglii discipulus, primus Glaronensium fuit pastor evangelicus.* (*Hottinger hist. eccl. VI.* 292. *Hottinger, helv. KG. III.* 132.) *Obiit a.* 1570.

2) *Fortasse respicit* Constitutiones concilii provincialis Moguntini sub archiepiscopo Moguntino 1549 celebrati (*Sleid.* III. 166).

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino verbi Dei administratori fidelissimo.

Genevae.

S. P. Quum nuper ex mea illa profectione [1]) rediissem Cantuariam, eo res meas loco reperi sitas domi, ut omnino illinc mihi fuerit decedendum, ac pauculis post diebus commigravi Londinum, ubi in aedibus cuiusdam nobilis, [2]) qui filium suum unicum meae fidei commisit, alo familiam. Si quid hic forte unquam mea indigeas opera, scias me tibi multo perpetuoque devinctissimum fore, neque quidquam esse quod ego tibi queam denegare: quin potius optem summis votis occasiones interdum mihi dari, quibus ego meum in te animum declarare possim, id quod tu, si quando res ita ferat, poteris experiri, et senties me paratissimum ad mandata tua hilari animo excipienda.

Mox vero ubi Londinum veni, sicuti rogabas, quantam potui adhibui diligentiam ut impetrarem pecuniam illam (cuius te existimo adhuc pulchre esse memorem) a Petro *de la Guerce*: sed frustra contendi. Inprimis enim (ut sim brevis) ubi homini literas D. Caroli *a Pommeraye* ipse exhibuissem, mox coepit in dubium vertere ipsum characterem literarum, aiens eum longe esse diversum et alienum a manu ipsius *Caroli*, cuius literas septennales apud se habuit ac etiamnum legendas mihi dedit. Ego vero, tametsi parum interesse iudicarem, dixi non usque adeo mirum videri debere si tanto temporis intervallo minutula mutatio in charactere conspiceretur, verum, utut res habeat, tuam autoritatem, quum literis ipsius *Caroli* fidem feceris, adeo debere valere apud eum ut sine controversia aut difficultate aliqua voto literarum respondere deberet. Quibus rationibus quum parum moveretur ipse, decessi ab eo rogans ut ad hebdomadam unam aut alteram secum deliberaret, ac tandem significaret mihi suum consilium. Porro pauculis postmodum septimanis, dum is mihi fieret obvius, rogavi quidnam apud se constituisset? Respondit ille, se compendiariam invenisse viam qua eam commode transmitteret pecuniam, nimirum per mercatorem quendam Lugdunensem. Ego vero, metuens ne de mea fide dubitaret, quoque officio hic meo satisfacerem, rogavi denuo ut libere eam mihi numeraret pecuniam: me interpositurum dignam fideiussionem, donec redderetur ei syngrapha liberatoria ipsius *Caroli*, una cum attestatione tua ac etiam aliorum aliquot virorum qui pietate et eruditione istic praecellunt. Verum ego frustra haec omnia: quae existimavi operae pretium fore ut cognosceres, quo scias per me non stetisse quominus pecuniola illa iamdudum fuerit reddita.

Porro est hic alius *Petrus* vir plane pius, cui tu decem coronatos Geneva redeunti dederas mutuo. Is autem voluit excusari apud te per me, quod nondum fecerit satis, eo quod multa ei interea accesserint incommoda, quae solutionem impediverunt: quod ut iustae excusationis habeas loco te rogo ex animo, nihil dubitans quin proximis Francofordianis nundinis per *Burcherum* institorem Richardi *Hillaei* [3]) eam summulam sis accepturus: id quod bona fide mihi promisit ipse et ut omnino fiat summam adhibebo diligentiam.

Caeterum quia quidam ambigunt an liceat christiano homini committere pecuniam suam mercatoribus pro annuo aliquo reditu inde recipiendo, eoque iuxta constitutionem permissionemque ipsius regis, hoc est, decem pro centum, ut vulgo loquuntur, conscripsi minutulum aliquid in eam sententiam, [4]) quod tibi visendum, iudicandum castigandumque mitto. Scio quidem apud multos sextum et decimum denarium, apud plerosque vigesimum tantum esse permissum in emptione proventuum, quos summa fide et aequitate usos esse est certissimum. Eadem vero ratione existimandum erit, meo quidem iudicio, et regem (de Angliae rege loquor) usum esse summa aequitate in ista ordinatione. Ut enim ipse aliorum principum non subiicitur legibus quantumcunque aequis, propter regnorum locorumque diversitatem, ita ei pro arbitrio suo peculiares leges pro regni sui utilitate condere integrum fuerit, regni inquam sui cuius rationem spectatam exploratamque merito habere debet. Tu vero, quaeso, tuam aperito hic nobis sententiam, cum eo qui has defert. Ego enim habeo hic summam aliquam pecuniariam, quam apud virum aliquem bonum libenter collocarem, ne omnino inutiliter mihi depereat. Malim tamen panem emendicare quam aliquid contra Deum meum attentare.

Quod ad literas tuas quas *Cantuariensi* miseras [5]) attinet, non est quod dubites venisse gratissimas. Habet autem ille iam opus consolatore stimulatoreque in mediis istis nimis portentosis turbis. Regi quoque diris certe modis agitato admodum necessariae sunt fratrum preces. Tot enim modis rationibusque concutitur iuvenilis sed vere heroicus ac christianus ille animus, ut nihil supra: totque exercetur indies magis ac magis afflictionibus, ut

---

1313. 1) *m. Iulio eum Argentorati vidimus.* (*N.* 1219.)
2) *m. Maio* 1550 *eum Hoperi hospitio usum fuisse discimus ex ep. Micronii ad Bullingerum.*

3) *De Rich. Hilles v. N.* 1113*: Burcherus saepius occurrit in epp. a Societate Parkeriana editis.*
4) *Calvini consilium de usuris* (*Opp. T. X. part. I.* 245) *alia scriptum esse occasione constat.*
5) *deperditas. In margine adscriptum legitur*: Literae quoque quas filiae Protectoris scripserant [*sic!* N. 1207] venerunt multo gratissimae.

vel silici ea res lacrymas excutere posse videatur. Dominus Deus interim illius atque adeo omnium nostrum misereatur. Evangelium tamen nullum detrimentum passurum esse rege superstite, bona spes est, idque mihi in Domino possum promittere, adeo invicto pioque pectore est praeditus. Metuendum est tamen ne Satan eius vitae ad eversionem tandem evangelii insidietur: adeo invidiosum est istud renascens evangelium. Ego quanto possum studio regem pucrum multo cordatissimum omnibus vobis commendo, utque eum piis vestris precibus Domino commendetis vos rogo ex animo.

Caeterum de statu regni non tutum est multa literis committere, quum sub omni lapide dormiat scorpio. Quare ea fidei grammatophori commisero, ex quo poteris quaedam etiam cognoscere quae abs me narranda tibi accepit. De *Vintonensis*[6]) quoque literis ad concilium ipsum scriptis, deque *Londinensi* episcopo intelliges ab eo qui has defert, cuius narrationi omnia committo. Saluta quaeso meo nomine D. *Galasium*, D. *Raymundum*, D. *a S. Andrea*, D. *a Paray*, ac *Maldonadium* nostrum, ne interim Nicolaus *Perreus* mihi negligatur. D. Claudius *Colinaeus*, quem una cum uxore ad conditionem aliquam alo, iussit te plurimum salvere. Vale, vir multo ornatissime ac praeceptor observande, in eo qui est pax nostra. Cui ego te ministeriumque tuum commendo ex animo. Londini 26. Novemb. 1549.

Tuus tanquam suus
Ioannes Utenhovius.

D. *Bucerus*[7]) iam est Cantabrigiae. Cui arbitror iam difficile fore copiam profitendi publice impetrare.

1314.

MINISTRI LAUSANNENSES BERNENSIBUS.

Remonstrant contra recens promulgatum senatus consultum de colloquiis.

(Autographon asservatur in Bibl. civica Bernensi MSS. ad hist. helv. III. 34, fol. 219, cum notis marginalibus Musculi. Apographon authenticum Turici in Arch. Plut. VI. Vol. 105, fol. 445, inter Acta de abrogandis colloquiis, cum hac inscriptione: *Exemplar literarum quas ad fratres nostros Bernenses postremas dedimus.* Simlerus habet Vol. 71.)

Praestantissimis viris pastoribus et professoribus ecclesiae Bernensis fratribus et symmystis plurimum observandis.

Gratia vobis et pax a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo.

Petrus *Viretus* quem ad vos nuper legatum misimus, fratres et symmystae colendissimi, senatus consultum [1]) nobis attulit in vestram sententiam factum, cui quum, ut par est, vellemus obtemperare, studiose a nobis et frequenti consessu perlectum fuit, ut accurate scilicet in re tam seria intelligeremus quid a nobis postuletur. Etsi vero nos tanta literarum frequentia apud vos uti sine magna molestia non posse intelligimus (quod sane nobis quoque non parum esse molestum existimare vos oportet), sententiam tamen de eo nostram vobis putavimus exponi oportere, ut, pro ea caritate qua Christi ecclesiae sumus coniuncti, quorundam vos admoneamus, quae totius nostrae ecclesiae maxime credimus interesse. Vos autem speramus nihil a nobis audituros, quod ab officio nostro et ea quam gerimus persona sit alienum. Illud quidem certe coram Domino testari possumus, nobis nihil esse antiquius quam ut sincere et christiane vobiscum iis de rebus agamus, quae ad pacem et tranquillitatem in nostris ecclesiis confirmandam maxime videntur pertinere. Nec vero, si vestra nobis omnia statim non probantur, scripta nostra sic debetis interpretari (quod etiam vos minime facturos putamus), ut morbo potius animi quam concordiae retinendae causa haec a nobis scribi iudicetis.

Enimvero [2]) non ignoratis ecclesias ita comparatas esse ut, quamvis in doctrina consentiant (unus enim est Christus, una fides, et unum baptisma), quantum tamen ad ritus externos pertinet multum varient. Sunt enim varii mores, diversae regiones, ut de temporum circumstantiis taceam, ad quae omnia externam illam politiam accommodare nos oportet. Id si tibi, optime *Hallere*, qui nostris colloquiis semel interfuisti, vel caeteris tuis collegis in mentem venisset, arbitramur vos, quantum certe ad Lausannense nostrum colloquium attinet, longe aliud consilium senatui fuisse daturos. Ut enim id concedamus, quod in caeteris classibus statuistis ecclesiae commodum esse: at in hac tamen academia nostra peculiare profecto quiddam constituendum

---

6) *Gardiner et Bonner episcopi antesignani erant partis catholicae. Vintonia est Winchester.*

7) *Bucerus ap. Cranmerum Lambethi remanserat, usque dum Fagius Cantabrigiae aegrotans eum ad se vocarit. Nonis Nov. eo se contulit, praelectiones ibi d.* 10. *Ian.* 1550 *auspicaturus.* (*Strype memor. I.* 285. *Baum, Butzer. p.* 562.)

1314. 1) *N.* 1301.

2) Queruntur et expostulant de colloquii forma sublata (*Musculus*).

fuit. Illic enim soli fere ministri conveniunt, qui familiariter et libere[3]) inter se de singulorum doctrina et moribus colloqui solent. In hac autem civitate quum scholastici multi benignitate piissimorum Principum velut futurae ecclesiae seminarium foveantur, multi praeterea, quorum et eruditio nobis et pietas est nota, hunc nostrum conventum honestent praesentia sua, aequum certe fuit utrisque (si quid Dominus illis dedisset: nec enim cogi quisquam consuevit) dicendi potestatem facere: illis quidem, ut hoc etiam velut rudimento loco superiori assuescant, his vero, ut ex eorum quoque eruditione fructus aliquis ad ecclesiam pertineat,[4]) postremo, ut ex hac amica et christiana συζητήσει non tantum eruditiores sed etiam meliores reddamur.

Hic scimus quid sitis responsuri, quod nimirum in vestra suasione diserte scripsistis, huiusmodi nostros conventus adhuc ita fuisse agitatos, ut contentionis potius speciem haberent quam christianae colloquutionis. Novimus haec quidem quorsum dicantur, nec ab hoc crimine colloquia nostra prorsus liberamus. Verum satis superque cognoscere potuistis, eos qui acciderunt tumultus non colloquiis ipsis, sed turbulento et inquieto hominis[5]) ingenio imputari debere, qui non colloquia solum, sed quidquid a nobis dictum scriptumve fuit calumniari nunquam desiit. Vetera igitur ecclesiae nostrae vulnera non refricabimus, quum eorum autore translato sanata esse videantur, nec dubitamus quin, si tollantur offendicula iuxta Pauli hac eadem in causa sententiam, omnia decenter et ordine fiant, et quae saluberrime sunt instituta magno cum ecclesiae fructu retineantur. Adde quod iniqua est praetermissis bonis malorum enumeratio. Utilitatem igitur cum incommodis saltem comparare oportuit, ut ex ea comparatione appareret utrum ex usu ecclesiae esset ipsa retineri an abrogari.

At enim dicetis, vos non abrogasse. Non penitus quidem abrogastis, fatemur: sed id ipsum, cuius potissimum gratia hic instituta fuerant, sustulistis, quum nulli, praeter unum ex verbi ministris et duos professores, dicendi potestatem fieri voluistis. Quid si enim qui lectionem proponit vel imperite vel negligenter loquatur, vel, ut accidere saepe solet, aliquid eum subterfugiat quod aliis in mentem venit? Nemo scilicet mutire audebit, et quicunque praeter ministros convenerint nihilo quam antea eruditiores, aliquo etiam fortassis errore infecti, multo certe incertiores domum revertentur. Quam enim de doctrina et moribus censuram agere solemus, eam non ignoratis non nisi dimissa multitudine exerceri posse, nisi fortasse vultis unumquemque palam magno cum rubore reprehendi: quod ut est iniquum et intolerabile, ita vobis ne in mentem quidem venisse putamus.

Et haec quidem quantum ad eam colloquiorum formulam quam suasistis. Quantopere vero cupiant omnes antiquam restitui, vel hoc unum abunde probat quod, quum vestra suasione videri possint onere non parvo liberati (quanquam certe id estis frustra suspicati: neminem enim cogere consuevimus), nemo tamen ex nostris sit inventus qui non promiserit lubens, sese, quoties necessitas non impedisset, colloquio interfuturum. Quae omnia ut vobiscum perpendatis vehementer a vobis petimus.

Superest[6]) quiddam aliud multo certe gravius, ut nunc quidem nobis videtur, atque adeo eiusmodi ut sine magno scelere praetermittere non possimus. Quemadmodum enim summam magnificentissimorum nostrorum Principum prudentiam et moderationem non possumus non laudare, qui nisi consultis vobis de consuetudine ecclesiae nihil detrahere voluerunt, ita mirari satis non possumus, vos, quibus peculiariter et proprie tot ecclesiarum cura non est commissa, nobis non admonitis consilium dare ausos eius tollendae rei, quae non consuetudine magis quam ratione usurpata, non privatis nostris suffragiis instituta, sed publica synodorum autoritate introducta, longo denique bonorum virorum consensu confirmata fuit. Graviter hic igitur peccatum fuisse arbitramur. Nec enim tantum oportere dicimus, ut recte et commodo ecclesiae fiant omnia, sed etiam ut rite et ordine fiant. A vobis autem (ut de suasionis vestrae utilitate tandem taceamus) illud rite non est factum, quod ne petito quidem ecclesiae consilio synodalis constitutionis abrogandae suasores fuistis. At consilium dedimus rogati. Quid tum? Ut vos concedamus de ea ne priores ad senatum non retulisse, sed a senatu fuisse rogatos, respondere nempe oportuit quod res erat, et optimis piissimisque Principibus in mentem non veniebat: quae res totius ecclesiae decreto constituta fuerit, eam non nisi longa et matura eiusdem deliberatione movendam videri, praeterea, etiamsi appareret mutari oportere, tamen de tot ecclesiarum ritu, quae vobis proprie commissae non essent, et quas plerique vestrum ne conspexissent quidem, sine pessimo exemplo decerni a vobis nihil posse.[7]) Annon enim ab huiusmodi initiis romanus episcopus exorsus totius tandem reipublicae christianae tyrannidem usurpavit?[8]) Quanquam autem vos eiusmodi cri-

3) et libere *om. Tur.*
4) *Ex. Turic. a secunda manu*: perveniat.
5) *Zebedaei. Cf.* 1267 *et* 1271.
6) Expostulant de eo quod contra conciliorum ipsorum decreta de ecclesiis nobis non commissis inconsultis ipsis senatui consilia demus (*Musculus*).
7) Decerni (*Idem*).
8) Principia antichristianismi (*Idem*).

minis insimulare nolumus, re ipsa tamen experti Satanam non minus obliquis cuniculis romanam ecclesiam adortum miserabiliter tandem evertisse, meticulosi potius quam securi videri malumus. Ecquid[9]) porro iudicaturos putatis tot homines pios et christianae politiae peritos, si quatuor aut quinque hominum quantumvis bonorum suasione, reliquis fratribus ne consultis quidem synodalia decreta figi et refigi posse intelligant? Quod si pessimum hoc iter a vobis patefactum vel ipsi (quod minime speramus) deinceps sequamini, vel alii vobis successuri ingrediantur, videte etiam atque etiam quam miserabilis intra paucos annos ecclesiarum facies sit futura.

Sed hoc quoque valde miramur a vobis in vestra illa suasione adiectum: fore scilicet ut, nisi pareamus, ius etiam eligendorum ministrorum nobis eripiatur. Nam etsi hoc nunquam futurum videtur (quod sciamus, et vere in Domino gloriemur, christianos principes nobis contigisse quibus fieri non potest quin cupidissime pareamus), si quis tamen rem ipsam propius consideret, iudicabit vel non satis esse vobis perspectum quomodo administranda sit Christi ecclesia, vel non satis prudenter vos interminari, quod non sine magno flagitio nec ipsi exsequi, nec cuiquam serio suadere possitis. Quemadmodum autem vos, pro perspecta pietate vestra, omni sceleratae ambitionis crimine vacare facile nobis persuademus, ita vos etiam atque etiam obtestamur per Dominum nostrum Iesum Christum, ne pessimum hoc exemplum, quod ne cogitare quidem sine summo dolore possumus, vel scientes vel incauti in ecclesiam irrepere permittatis.

Illud quoque vos rogamus vehementer ut, quum magnificentissimis nostris Principibus nihil sit antiquius quam ut omnibus modis Christi regnum amplificent, certa illis capita suggerere memineritis, de quibus in postrema synodo inter nos convenit, et Petrus *Viretus* vobiscum nuper egit. Nec enim dubitamus quin res tam aequa a tam aequis Principibus facile possit impetrari, et, ubi impetrata fuerit, omnibus nostris ecclesiis singulari tum adiumento tum ornamento sit futura.

Et haec quidem sunt, fratres in Domino carissimi, quorum vos fraterne admonitos esse voluimus, partim ut nostris rationibus adducti academiae saltem nostrae, cuius, ut ante diximus, peculiaris haberi ratio debet, pristinam colloquiorum formam, quae nobis est utilissima et maxime necessaria, restitui curetis, partim ut de iis vos commonefaceremus quae periculosissimo isto tempore Satanas occultis quibusdam insidiis in nos molitus esse videtur. Sicut autem vestram in his quae attigimus sententiam probare adhuc non potuimus, ita vobis persuadere debetis, si vel nos in aliquo iudicii errore versari ostenderitis, vel melius aliquid videritis quam nos in causa nostra fecerimus, nos id statim maxima promptitudine et alacritate amplexuros. Testamur enim Dominum Iesum pacificatorem nostrum, nos solo concordiae studio adductos haec ad vos scripsisse, concordiae dicimus in Christo, quam oramus ut perpetuam inter nos conservet. Amen.

Viviaci ex generali totius classis conventu v. Cal. Decembris M. D. XLIX.[10])

Petrus Viretus classis Lausannensis decanus.

Ioannes Reymondus Merlinus eiusdem classis iuratus in colloquio Lausannensi.

Augustinus Marloratus eiusdem classis iuratus in colloquio Lausannensi.

Ioannes a Thornaco eiusdem classis iuratus in colloquio Aquileiensi.

F. Sampaulinus eiusdem classis iuratus in colloquio Viviacensi

Totius classis nomine.[11])

1315.

MINISTRI LAUSANNENSES TURICENSIBUS.

Institutionem colloquiorum suorum enarrant et vindicant, Bernensium obiectiones et criminationes diluunt, senatus consultum a ministris provocatum dolent, fratrum auxilium et intercessionem desiderant.

(Exemplar authenticum loco modo laudato sequitur praecedentem, fol. 447. — Exstat quoque ap. Simlerum.)

Clarissimis et praestantissimis viris pastoribus et professoribus ecclesiae Tigurinae fratribus et symmystis in Christo colendissimis.

Gratia vobis et pax a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo.

Optamus quidem, fratres in Domino colendissimi, nos omnes qui in Christo renati sumus ita in ipso coalescere, ut unum idemque perpetuo sentiamus. Verum quando haec est nostrae conditionis ratio ut quamdiu hic versamur illud optemus potius quam assequamur, paucique sint qui recta vi-

9) Sugillant numeri nostri paucitatem (*Idem*).

10) At redditae demum sunt 18. Martii a. 1550 videlicet post septimanas 16 (*Musculus*).

11) *Subscriptiones in ex. Bernensi autographae. Viretus adscripsit illud*: totius classis nomine.

deant, pauci qui aliis credere malint quam sibi, optime nobis facere videntur qui ad graviores controversias iudicandas optimos quosque viros in consilium adhibent. Ea res fecit ut, quum hoc tempore nobis a fratribus et carissimis nostris symmystis Bernensis ecclesiae ministris dissentire contigerit, nos operae pretium facturos censuerimus, si vos potissimum, quorum et pietas et eruditio singularis a sanctis omnibus commendatur, ad hanc non contentionem quidem (absit enim a nobis inimica omnis discordia!) sed iudiciorum dissensionem dirimendam ceu honorarios arbitros adhiberemus. Res autem omnis sic se habet.

Iam inde a restituto nobis Domini nostri Iesu Christi evangelio haec in nostris omnibus ecclesiis politica consuetudo fuit, synodorum autoritate introducta et confirmata, ut, quum ecclesia in certas quasdam classes distincta esset, et singulae rursus classes in alias dioeceses, singulis hebdomadis singularum dioecesium ministri certa et praescripta die mane publicoque loco convenirent, atque in iis conventibus, post solennes preces, scripturae liber aliquis a singulis vicissim exponeretur, deinde comparatis, ubi fieri id posset, cum hebraica veritate Graecorum et caeterorum interpretationibus, quid cuique visum esset aut de aliis quaerere aut ad eum scripturae locum interpretandum adferre, etiamsi ipse ministerio non fungeretur, id quaereret aut proferret. Postremo re unanimi fratrum consilio et decani autoritate decisa, inter ministros verbi tum de doctrina et moribus illius qui eo die dixisset, tum de pauperum causa, et reliquis ad ecclesiam pertinentibus negotiis quaereretur, tandem actis gratiis concilium solveretur. Quemadmodum autem in caeteris classibus soli fere ministri conveniebant, ita in hac nostra Lausannensi academia, in quam velut portum quendam, praeter eos qui magnificentissimorum Principum benignitate foventur, multi quoque docti piique homines ut Galliae vitarent tempestatem profugerunt, nunquam deesse solebant qui in hoc coetu grave et utile aliquid vel discerent vel dicerent.

Haec a nobis consuetudo solebat observari, et ita quidem religiose ut sancte in Domino testari vobis possimus, nulla paene ex re alia maiorem ad ecclesias nostras utilitatem rediisse. Nobis igitur nihil aliud meditantibus quam ut pro grege nobis commisso vigilaremus, ecce nobis edictum magnificentissimorum nostrorum Principum adfertur, quo saepius quam quater singulis annis convenire prohibemur, nisi si quid inciderit de quo extra ordinem referre oporteat. Nec vero quidquam est cur de optimis Principibus conqueri possimus: constat enim ex ipsis edicti verbis fratres nostros Bernenses id omne suasisse. Hic igitur, si qua est culpa, omnem ipsi sustineant oportet potius quam optimi piissimique Principes, qui, quum de nobis falsum fortassis aliquid accepissent, nihil tamen nisi fratribus consultis decernere voluerunt.

Duabus vero causis ad id suadendum videntur impulsi: altera, ut fratres qui ruri habitant hac in urbem conveniendi molestia liberentur, altera, quod haec colloquia a pristina origine multum discesserint et multis dissensionibus occasionem praebuerint. Nos ad utramque paucis respondimus, sero id quidem, sed eorum culpa qui nos indicta causa condemnandos esse censuerunt. Primum in ea re quae nulli unquam molesta fuit, imo vero omnibus periucunda, quas tandem molestias imaginari possumus? Nemo e nostris, nisi forte clam id factum est, de itineris incommodo conquestus fuit aut conqueri debuit, quum nullus unquam invitus sit coactus, totaque haec res officii esset atque voluntatis: plerisque id certe gratissimum fuisse vel ex eo constat quod magna classium pars de hac suasione apud senatum est conquesta. In ordine formaque ipsa colloquiorum quidquam a nobis immutatum esse pernegamus. Quod attinet ad dissidia, quamvis hoc ecclesiae nostrae vulnus, quod sanatum videtur, libenter non patiamur refricari, paucis tamen rem omnem vobis putamus explicari oportere.

Zebedaeus quidam fuit *Coelii Secundi* successor in scholasticis magnific. nostrorum Principum erudiendis. Is vel invidia, vel ambitione, vel alio animi morbo arreptus Petri *Vireti* conciones et libros etiam nonnullos reprehendere coepit atque Lutheranismi accusare: tandem, ne quid flagitii praetermitteret, omnia fere quae in colloquiis dicerentur sophistice et calumniose interpretari coepit. Ea res, ut molesta fuit omnibus (nisi quis illi occulte favit), ita varias hic turbas excitavit, quum hypocrita iste, quamvis publice illi responsum esset, adeo ut sibi satisfactum palam fateretur, nullum tamen calumniandi finem faceret. Quid multa? Causa Bernae dicta est, quid illic sit actum, quidve de Petri *Vireti* innocentia boni omnes iudicarint, ex ipsis fratribus Bernensibus vos malumus intelligere quam his literis explicare, ne nostris ipsi favere videamur.

Videte nunc, rogamus, ipsisne colloquiis an vero potius turbulento scelesti hominis ingenio haec mala imputari oporteat? Quod si culpam transferre placet, age, concionum etiam usus abrogentur, crementur libri christianissime et eloquentissime de verbi ministerio et sacramentis scripti, quando haec omnia iste est calumniatus. At iniqua est comparatio, quum sit concionum usus necessario retinendus. Fatemur id quidem, sed hoc etiam adiicimus re ipsa experti: hanc colloquendi consuetudinem, etsi non penitus in omnibus ecclesiis necessariam, nostris tamen adeo commodam utilemque esse, ut absque insigni detrimento abrogari vel mutari non possit. Deinde vero, qua tandem ratione, quum, si

qua in ea re culpa est, ea nostra sit unius classis, poena ad innocentes pervenire debet? An aequum est, ob unius hominis culpam iudicatam communia commoda inhiberi?

Sed de his satis multa. Itaque ad aliud transimus quod nos certe non parum offendit. Nam ut piissimorum nostrorum Principum christianum factum non possumus non probare in consulendis fratribus verbi Dei ministris, ita etiam, si aequum fuisse dederimus quidquid fratres suaserunt, illud tamen pessimo exemplo factum esse dicimus, quod, quum de ea consuetudine ageretur quae toti ecclesiae communis erat, et totius ecclesiae autoritate constituta, soli ipsi nemine consulto de ea mutanda consilium dare sint ausi. Hoc ab illis rite fieri non posse dicimus, atque ut omni ambitionis crimine ipsos carere fateamur, pessimum hoc tamen exemplum ut in ecclesiam introducatur pati non possumus. Vigilare ipsos pro nostrarum etiam classium pace et concordia gaudemus, atque adeo facere id ipsos scimus oportere, quod magnificentissimis nostris Principibus sint proximi. Sed hoc praetextu dolemus ausos fuisse ecclesiarum politiae, quas plerique ipsorum ne conspexerunt quidem, immutationem suadere, ut hoc arrepto exemplo posthac quicunque Bernenses erunt ministri synodalia decreta suasionibus suis figere tandem et refigere possint. Quod si futurum est, quae tandem ecclesiae facies erit? At non frustra certe Dominus noster regum et principum potestatem a ministrorum officio distinxit, ut miserabilis romanae ecclesiae tyrannis convincit. Absit tamen ut huius criminis fratres insimulemus, a quo ipsos esse alienos satis certe nobis persuademus. Sed hoc vicissim nobis petimus ut concedatur, nos sine magno scelere ista dissimulare non potuisse.

Et haec quidem sunt, fratres carissimi, quorum vos facere voluimus certiores, nulla id adeo animi in fratres nostros malevolentia (ita nobis propitium esse Christum precamur), sed pacis et tranquillitatis ecclesiarum studio, quae ut nunquam esse tanta potest quanta esse debet, sic nulla prorsus erit, nisi in doctrina consentiant omnes, et verbi ministri tum morum tum doctrinae suae rationem reddant. Haec enim praecipua fuit horum conventuum indicendorum causa, ut interim taceam quantum haec colloquutionis species ad eos exercendos valeat qui ad ministerium erudiuntur, quantam denique toti ecclesiae utilitatem adferat haec sententiarum comparatio, dum suum quisque symbolum confert, et quae cuiusque sit diligentia, industria, eloquentia, pietas, facile ab omnibus intelligi potest.

Nostra haec est igitur his de rebus sententia, quam etsi fratribus Bernensibus copiose exposuimus, nunquam tamen ab illis potuimus impetrare ut opinionem mutarent. Scriptum est tamen alterum edictum in alteram ipsorum suasionem, paulo quidem minus acerbam, quandoquidem reddita sunt nobis singularum hebdomadarum colloquia, sed ea tamen forma scriptam quam satis probare non possumus, in eo vero priore quoque acerbiorem, quod id nobis interminandum censuerunt quod serio suadere, nedum exsequi, nemo salva ecclesiae politia, ut nobis quidem videtur, aut debeat aut possit.

Ea porro omnia ut planius intelligatis, edicti utriusque exemplar ad vos mittimus, bona fide in latinam linguam versi una cum mandatis, quae Petrus *Viretus* nostro omnium nomine coram ipsis exposuit, et iis etiam epistolis quas de hac re putavimus ad illos scribi oportere. Etsi autem non dubitamus quin maiora sint ecclesiae vestrae negotia quam ut ad aliena inspicienda vobis otium esse possit, confidimus tamen fore ut quae ad Christi ecclesias pertinent a vobis aliena nunquam sitis existimaturi. Vos igitur obsecramus, fratres optimi, ut causa nostra cognita, siquidem aequa vobis et honesta esse videbitur, autoritate vestra nos apud nostros fratres Bernenses adiuvetis, ut pristina nobis colloquiorum forma restituatur, aut alia certe quae cum Pauli de ea re ad Corinthios scribentis sententia magis videatur convenire: sin minus, ea omnia nos docere non gravemini in quibus nos errare iudicetis. Quod enim scripsimus ita scripsimus ut, si rationibus fuerimus convicti, libentissime de sententia simus decessuri. Dominus noster Iesus vos incolumes servet, et sancto suo spiritu ita ut coepit corroborare pergat. Viviaci ex generali totius nostrae classis conventu v. Cal. Decembris M. D. XLIX.

Petrus Viretus classis Lausannensis decanus.

Ioannes Reymondus Merlinus eiusdem classis iuratus in colloquio Lausannensi.

Augustinus Marloratus eiusdem classis iuratus in colloquio Lausannensi.

Ioannes a Thornaco eiusdem classis iuratus in colloquio Aquileiensi.

F. Sampaulinus eiusdem classis iuratus in colloquio Viviacensi.

Totius classis nomine. [1])

1315. 1) *De subscriptione et expeditione epistolae valet idem ac de praecedente* (*not.* 10 *et* 11).

1316.

VIRETUS MINISTRIS TURICENSIBUS.

Observationes quaedam speciales de mandato Bernensium recens promulgato.

(Ex actis de abrogandis colloquiis Lausannensibus, l. l. fol. 444. Num. 7. Est revera post-scriptum ad N. 1315 quocum simul exemplar mandati Bernensis d. 9. Nov. edicti Turicensibus mittebatur.)

Exceptionis ministrorum Lausannensium contra Mandatum.

Haec posterior suasio, quum multo sit aequior priore, nobis quoque magis probatur: sed in quarto tamen capite haec requirimus ut in academia nostra, propter eas causas quas nostris ad vos literis copiosius exposuimus, antequam frater discedat, non tantum decano et utrique professori sed cuivis etiam alii sententiam suam, rite id tamen et ordine, dicere liceat.

Sextum vero caput totumque ipsum suasionis genus quare nobis acerbissimum atque adeo intolerabile videatur, ex epistola nostra intellexisse vos putamus.

Haec est nostrae petitionis et querelae summa, quam nos quidem vobis, pro summa vestra pietate et antiqua etiam cum tota Bernensi ecclesia coniunctione, summopere commendamus. Dominus vos servet.

1317.

UTENHOVIUS CALVINO.

Nunciat Fagii mortem. Regem iuvenem epistola obfirmandum docet in tantis quibus obsidetur malis. Exemplar Consensus sibi describi cupit.

(Ex autographo Cod. Gen. 112, fol. 185.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino amico ac fratri inprimis colendo

Genevae.

S. P. Ubi literas meas absolvissem narratum mihi fuit Paulum *Fagium* Cantabrigiae defunctum esse hac vita:[1]) cuius mors plurimos pios fratres haud vulgari dolore affecerit, ac inprimis D. *Bucerum*, quum ipse se tanquam vitae comitem iam dudum adiunxerat. Uxorem quoque defuncti maximo comprimi moerore nihil est dubitandum. Et certe miseret me eius summopere mulierculae, sicut merito debet, quum iam et marito et prospera valetudine in terra peregrina destituatur.[2]) Dominus Deus interim, pater viduarum, eam soletur iuxta immensam suam misericordiam.

Si omnino grave non esset, ac otium alioqui suppeteret, ego vellem te rogatum ut in tantis istis malis quibus rex puer circumcingitur scriberes serias quasdam literas ad eius maiestatem, ad iuvenilem animum quum consolandum tum obfirmandum, ne quoquam modo frangatur, quin potius contra audentior eat nec patiatur sibi imponi verbumque susceptum adimi. Neque dubita quin literae tuae ei futurae sint gratissimae, quum nomen tuum et regi et piis omnibus qui in aula versantur summo in pretio habeatur. Si mihi transmittas literas, facile effecero ut regi ipsi in manus fideliter tradantur.

Si istic postremum idque compendiarium Tigurinorum de coena scriptum, quod D. *Bullingerus* publicaturum se promisit, forte inveniri queat, rogo ut illud cures mihi describi. Quidquid numerandum erit ab ipso *Olmerio*[3]) accipies, cui reverso ad nos faciam satis.

Porro historiam ipsius *Protectoris*, ac rem omnem quae eum concernit, sicut gesta est, ab eo qui has defert intelliges, quae haud dubie graviter animum tuum afficiet, sicut omnes pios merito affligere debet. Vale, vir multo clarissime, in Domino, mei memor in precibus tuis apud Dominum. Londini 28. Novemb. 1549.

Tuus ut suus
Io. Utenhovius.

1318.

FARELLUS MYCONIO.

Historiam conditae Consensus formulae exponit, ad eum demulcendum composita narratione.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Farelli fascic. III. N. 30, absque inscriptione.)

1317. 1) *Obiit Idib. Nov. anno aetatis* 45 *quartana febri absumptus.* (*Sleid.* III. 192. *Strype, Cranm.* I. 285. *Roehrich,* II. *p.* 208. *Baum, Butzer p.* 559.)

2) *Pridie Cal. Dec. Cranmerus viduae* 27 *libras angl. misit, de stipendio quod marito debebatur, simul epistola ad Bucerum consolatoria scripta.* (*Strype, l. l.*)

3) *Ioannes ab Ulm Thurgoviensis eo tempore studiis in Britannia operam navabat.*

Nihil unquam magis me afflixit quam pastores tam misere rixari et dissentire in eo in quo coniunctissimos esse et maxime convenire oportebat. Nec gratius mihi quidquam nec exoptatius contingere poterat consensu, quo istic pax facta fuerat quae supra modum pontificem cum suis turbarat. Etenim Satanas tantum effecit ut maius incendium sit excitatum. Sperabam hac cribratione fieri ut invocato Deo, qui iratus nostris peccatis animos et vires hostibus dedit quibus nos prorsus exuit, solida concordia fieret. Nonnullos hortatus sum ut, dum Satanas et sui sese efferunt triumphantes, adnitantur omnes sancte consentire. Sed spes nulla apparebat, et sane negotium hoc longe maius erat quam ut a tantillo vermiculo tractari posset. Ideo quod et optabam, et nunc quoque exopto, non potui in omnibus videre, conatus sum in paucis, et qui non ita inter se erant male affecti, nec multum variabant sententiis, imo, ut verum fatear, iam unum erant. Spem faciebant omnia. Nam de *Bullingeri* ingenio sedatiore nihil non mihi pollicebar, et *Calvini* studium et mens, aliud non laborans quam ut bene habeant omnia, tam mihi erat perspectum ut plene id nossem, ac videbantur esse Galliae, ut de aliis taceam, ut intelligerent omnes recte inter Tigurinos ac *Calvinum* convenire: siquidem ut hic pestes quaedam, quae pastorum nomen habent, dissidiis delectantur, et, ut sunt vafri homines, norunt quo inclinent hi et quo illi his contrarii, et quae pars numero vacat, et ita dum se dicunt huius aut illius esse sententiae, et ideo pari, improbe quod venantur assequuntur, ita in Gallia, qui hinc migrant ut *Carolus*, vel qui illic agunt, si quis *Calvini* sancta scripta et rationes afferat, ut recte sentiatur et vivatur, obganniunt non convenire *Calvino* cum aliis, et ita fit ut multos remorentur. Vides ut oportuerit in gratiam aliquorum ad eos quos illi petebant *Calvinum* mittere super conversatione et vita piorum inter idololatras. Ideo erat utrisque ansa praescindenda, et his qui hic agunt, et illis qui in Gallia. Negotium nullo fuisset labore transactum, sed non defuere impuri homines scortationibus, avaritia, odiis, ambitione pleni, literis utcunque tincti, per quos pii male audierunt, ut serius eo perventum sit quo oportebat, et non tantum literis procul, sed coram verbis mutuo agere oportuerit. Res successit feliciter favore divino. Interea *Bullingerus* non oleum camino, sed potius aquam multam infundendam ratus, ne maius incendium excitaretur, nunc hos nunc illos rogat super capitibus consensionis, ut omnia maiori fierent aedificatione. Res itaque differtur studio sane maioris aedificationis, solidioris pacis potius quam alia ratione. Demum urgente *Calvino* actum est de plenius proferendis quae acta sunt. Sed interea, dum ego ardentissime exopto omnia absolvi, mox ubi licuit ad *Sulcerum* scripsi, et ex collegis unus qui istuc venerat secum deferebat exemplar formulae consensionis, nullo apud me exstante. Quumque nunquam ad istum scribam quin tui meminerim, et sciam *Sulcerum* tui studiosum, ut suis ad me literis est testatus, et apud te sit frequens, ratus omnia tibi indicata, non putavi te meis obtundendum literis. Sed valde mihi doluit quum tuas acciperem non procul Geneva, [1]) ubi eas mihi reddebat pius ille quo hortatore scripsisti, te moleste id ferre quod nihil ad te scripserim, quasi non ut frater ad quem hoc spectet habearis: quum mihi non hodie primum non modo frater habitus sis, verum etiam ante annos quinque et viginti cultus fueris ut pater. [2]) Nec te alium habebo quamdiu Christi fueris, cuius et eris semper. Nullo sane tui contemptu peccatum est, nec te quidquam celatum putavi. Molestum fuit Tigurum, ingenti aestu solis [3]) et assidua conflictatione qua *Calvinus* semienectum corpus habebat cum multis doloribus. Levis expensarum iactura, quum inde leviores redderentur zonae, non alioqui admodum graves. Sed hoc multo molestius quod tu offendaris. Faxit Christus ut plus multo quam displicuerit dilatio productione recreeris in Domino, qui non tantum apud te agat ut ex tam exiguo initio multum gaudii tibi accedat, verum etiam apud alios fructus uberrimus et aedificatio plurima, aut id faciat ut aliis sit incitatio ad potiora. Mitto ad te confessionis capita, teque rogo ut boni consulas faciasque omnium participem *Sulcerum*. Pontifex et sui re nos admonent quam studiose versari debeamus in opere Domini. Nam si illi in sui et aliorum ruinam adeo incumbunt operi diabolico, quid nos agere debemus in munere evangelico? Faxit Christus ut, quanto potior est adversario, tanto illustrius sua peragantur quam ea quae sunt hostis. Verum cavent impietatis hostes tantum tribuere pietati quantum impietati tribuunt. Utinam meliora videamus et tanta ipsorum improbitas compescatur. Vale, vir Dei, et tecum salvi sint omnes probi. Collega te salutat. Neocomi 3. Calen. Decem. 1549. [4])

Farellus tuus.

1318. 1) *N.* 1305.

2) *Si accurate computum fecit Myconium a.* 1524 *Turici primum vidit, quo vocatus hic fuerat anno praecedente a Zwinglio ex Einsiedeln ad scholam regendam. Farellus vero a.* 1524 *cum nobili quodam Lugdunensi, cui nomen Du Blet, Basilea profectus Constantiam Turicum et Bernam adiit.*

3) *Annus ille* 1549 *praeter morem calore insignis, et annonae caritate. Memineris istos iam sub finem Maii Turicum reliquisse. Medio Iunio tota Helvetia tempestatibus vastata.* (*Pierrefleur p.* 246.)

4) *Suspicamur Farellum hanc suam Calvini ad Myconium epistolae comitem addidisse* (N. 1309).

1319.

CALVINUS FARELLO ET VIRETO.

Dedicatio Commentarii in epistolam ad Titum.

(Ex editione principe Genev. ap. Girardum 1550. 4.)

Eximiis duobus servis Christi Guillelmo Farello et Petro Vireto symmystis et fratribus carissimis Ioannes Calvinus S.

Quod meus hic commentarius cum nominis vestri inscriptione in publicum exit, munus quamvis exiguum, ideo vobis non ingratum fore confido, quia ut id facerem ipsum epistolae argumentum admonuit. Has in Creta partes suscepit Titus, ut aedificio quod illic Paulus inchoatum reliquerat extremam manum imponeret. Mihi eadem fere vobiscum ratio est. Quum enim magnis laboribus atque etiam periculis hanc ecclesiam exstuere exorsi essetis, ego post aliquod temporis spatium adiutor vobis primum accessi, deinde successor sum relictus, ut opus bene ac feliciter a vobis coeptum in melius pro mea virili promovere studerem.[1] Hoc hodie quoque ego et collegae mei agere contendimus, si minore quam optandum esset profectu, ex animo tamen ac fideliter quantum nostra fert mediocritas. Ut tamen ad vos redeam: quando eandem, quam Tito Paulus imposuit personam, vobis comparatus sustineo: haec similitudo me invitare visa est ad vos maxime deligendos quibus laborem hunc meum dicarem. Interea sanctae quae inter nos est coniunctionis erit saltem aliquod et huic saeculo et forsan ad posteros testimonium. Nunquam par amicorum, tam sincere inter se coniunctum, in communi vita fuisse puto quam nos in ministerio nostro fuimus. Cum utroque vestrum hic functus sum pastoris munere. Adeo nulla aemulationis species, ut mihi unus vobiscum esse visus sim. Locis postea disiuncti fuimus: nam te, *Farelle*, Neocomensis ecclesia, quam ex tyrannide papatus Christo vendicasti, ad se revocavit. *Viretum* Lausannensis ecclesia eodem iure sibi obstrictum tenet. Caeterum ita singuli tuemur nostras stationes, ut nostra unitate in Christi ovile aggregentur filii Dei, imo in eius corpus coalescant: disrumpantur vero hostes non extranei modo, qui bellum ex professo nobiscum gerunt, sed propiores isti ac domestici, qui nos intus exercent. Nam et hoc inter coniunctionis nostrae bona numero, quod impuri canes, quorum morsus ad eam scindendam ac lacerandam penetrare nequeunt, latratu eam suo frustra exagitant. Sane eorum proterviam susque deque ferre nos decet: quando vere coram Deo gloriari licet, et luculentis apud homines documentis probavimus, non aliam nos societatem vel amicitiam, colere, quam quae auspiciis Christi consecrata eius ecclesiae hactenus fuit utilis: neque alio spectat nisi ut omnes nobiscum unum sint in ipso. Valete, optimi et integerrimi fratres. Dominus Iesus piis vestris laboribus benedicere pergat. Genevae 3. Calend. Decemb. 1549.

1319. 1) *Viretus paulo ante Calvini adventum Geneva relicta primum Neocomum deinde Lausannam concesserat, ubi post disputationem m. Octobre* 1536 *habitam reformationem perfecit. Farellum vero a.* 1538 *Geneva cum Calvino eiectum postea Neocomi pedem fixisse, ita ut Noster solus postmodum Genevensi ecclesiae deinceps praeesset, nemo est qui nesciat. Caeterum hic habes luculentissimum idemque nobilissimum triumvirorum istorum amicitiae documentum.*

1320.

HALLERUS BULLINGERO.

Relatio rerum circa colloquia Lausannensia gestarum inde a Vireti nupera ad Bernenses legatione.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Epp. Tom. 32, fol. 107. — Simler. Vol. 71.)

S. Diu iam exspectavi mihi nuncium aliquem ad te. Commode quidem hic se offert hodie, non tamen admodum opportune. Conciones enim, quae mihi imminent frequentes et continuae, faciunt ut praeter voluntatem brevis esse cogar. Potissima vero quae nunc scribam haec sunt. Primo, quod colloquia attinet, fuit hic *Viretus*[1] et gravissime conquestus est de eorum abrogatione. Attulit etiam integrum libellum,[2] plenum verbis non autem argumentis, quibus Lausannenses praecipue restitutionem petunt. Accepimus interea quoque quae tu de hac re suggerebas. Modus ille, de quo tu scribis,[3] fuit quidem primo quum instituerentur illa: sed longe aliam nunc habent faciem. Licuit enim cuivis, peregrino etiam ignoto, nec ad ordinem ecclesiasticum vel classicum pertinenti, afferre pro arbitrio quaecunque unicuiusvis* placerent cerebro. Licuit opponere etiam diversa. Hinc nulla prorsus nobis speranda fuit pax. Et licet ab eo tempore, quo disputatae sunt eae positiones,[4] quae occasio-

---

1320. 1) *d.* 8. *Nov.*
2) *N.* 1285.
3) *Desideratur hic aliqua Bullingeri epistola.*
4) *Vide N.* 1010 *et seqq. et Hundeshagen p.* 205 *seqq.*

nem dederunt removendi ab officio *Sultzerum* et *Beatum*, religiose ab opponendo et disputando abstinuerint, omnino tamen illam denuo quaesierunt licentiam, nec potuerunt dissimulare. Et dum non liceret, tamen alias audisses in dicendis sententiis virulentissima et mordacissima verba, quibus se mutuo impetebant. Ego semel interfui,[5]) neque tamen potuerunt me praesente suos retinere aculeos, quin se mutuo manifeste morderent. Ex illo ergo tempore semper cogitavi de modo aliquo huic rei imponendo. Modus vero is est a senatu amplissimo constitutus, ut quatuor anni partibus singulae classes conveniant. Habeant suas censuras et considerationes ecclesiasticas. Corrigenda corrigant, difficiliora et modum excedentia huc mittant. Scripturas etiam tractent inter se, si quis aliquid habeat scrupuli. Medio tempore, si quid acciderit convocatione fratrum dignum, sit hoc semper in potestate decanorum et iuratorum convocare fratres singulis, si ita placeat, diebus. Quod si quoque aliqui sint vel vicini vel alias sacrae cognitionis studiosi, illis convenire licere, vel Lausannae vel alibi, secundum ipsorum uniuscuiusque commoditatem: ut tamen hoc sit privatum, non publicum, non fiat nisi a fratribus et iis qui functionibus ecclesiasticis sub dominio dominorum nostrorum gaudent. Haec meo iudicio aequa et moderata constitutio tam commovit cervicosos illos homines ut non aliter, tanquam si de ecclesiis omnino actum esset, conquesti sint. Nec apud se aut inter nos tantum continuerunt illa, sed et passim divulgarunt ad alias ecclesias, nobis tyrannidis in ecclesias invidiosum et antichristianum nomen conciliantes. Vix enim credis quales ad *Musculum Calvinus*,[6]) ad me *Farellus*[7]) dederit literas. Nos coram Deo nobis bene conscii et universa ecclesia, quod nihil hic ex tyrannide, sed omnia studio pacis et ex dilectione fecerimus, amice respondimus. Quid impetraverimus ignoro. Venit, ut dixi, *Viretus*, et hac de re copiose apud senatum egit. Senatus omnem ad nos devolvit causam. Nos, quibus nihil magis cordi est quam ut coepta duret pax, ne denuo dissolveremur eiusmodi ob causam, in tantum cessimus, ut liceat illis denuo singulis septimanis Lausannae convenire, ordine, unus post alium, per vices hebdomadarias tractare locum scripturae: ita tamen ut tantum quae ad textus explanationem et observationes attinent proferantur, nemini liceat quidquam opponere aut disputare. Qui nihil habent quod addant non cogantur. Sit liberum adesse vel non adesse. Nulli liceat peregrino quidquam in medium afferre: si qui adsint, audiant, non dicant. Habeantur deinde collectae, preces etc. ut prius. Qua concessione sperabamus nos plus satis eis dedisse. (Nam hoc consilium nostrum ad senatum relatum confirmabatur.) Sed neque sic satisfacere potuimus, maxime hac in parte quod peregrinis, et illis qui non in ministerio essent, tacendi necessitatem imponeremus. Unde mihi non exiguus fuit cum *Vireto* nostro *παροξυσμός*.[8]) Post longam vero contentionem, datis mutuo dextris, reconciliati sumus. Factum est hoc inter nos privatim: alioqui, si caeteri scirent, scio nullum *Vireto* futurum amplius apud nos locum. Ego supprimo omnia propter pacem. Ne *Musculo* quidem aperui. Tibi soli. Tu tecum quoque servabis. Habes colloquiorum rationem, quae memini *Cellarium*[9]) nostrum Augustae nuncupare solitum esse coloquintida, propter doctrinae infectionem.

De obitu *Iudith* filiae *Musculi* proxime. Salva sunt omnia tam in *Musculi* quam in meis aedibus. Dominus te tuosque omnes conservet, quos salutabis ex me meisque. Fratres omnes tibi salutem dicunt reliquisque omnibus. Vale. Festinantissime. Bernae ultima Novembr. 1549.

T. I. H.

5) *Quo tempore cum Steigero propter negotium Corbelii et Zebedaei Lausannam missus fuerat m. Februario. Ephem. p.* 85 *N.* 1148, 1149, 1158.
6) *N.* 1294.
7) *N.* 1273.

1321.

VIRETUS CALVINO.

Genevam propediem reviset simul ac otii aliquid ipsi concessum fuerit. In causa colloquiorum ad ministros Turicenses et Bernenses scribetur. Farelli liber. Arenaeus et Hotomannus non confirmati.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 179.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Quia tamdiu a vobis abfui,[1]) statui longiore apud vos commoratione id pensare. Idcirco mihi tempus deligere malui quo spero me plus otii habi-

8) *N.* 1307.
9) *Michael Cellarius V. D. M. Augustae Vindelicorum, Zwinglianus.*

1321. 1) *Mense Ianuario Genevae fuit.*

turum. Instat dies coenae.[2]) Multa hic requirunt meam praesentiam totis his tribus hebdomadibus. Interea dum nobis negotium ab aliis exhibetur qui adiutores esse debuerunt, et iis nos oportet esse intentos quae ad totam pertinent ecclesiam, multa a nobis omitti necesse est quae domi erant curanda. Multa hic negliguntur, quibus serio nobis admovenda manus est. Quae nisi curanda suscipimus, nisi urgemus opportune importune, nulla spes est, quae etiam nobis assidue urgentibus superest perquam exigua. Nullum autem tempus hoc est magis accommodum. Quod iis efficiendis quae aggressuri sumus vix satis erit, quanquam mature ad opus accingemur. Ubi vero dies coenae et occasio praeterierit rerum agendarum, si volet Dominus, protinus me ad vos recipiam liberiore et securiore animo, meque vobis tradam quamdiu voletis. Sunt et mihi negotia istic quae commodius conficiam per otium. Tum de rebus omnibus copiosius colloquemur.

Habitus est classis nostrae conventus. Non sunt fratres in ea sententia ut senatus rursum tam cito interpelletur super colloquiorum negotio, ne importuni nimium videamur, irritemusque magis quam conciliemus.[3]) Ad ministros scribetur, quos quamdiu habebimus adversarios non est magna spes quidquam a senatu impetrandi. Scribemus tamen ad senatum aliquid de *Arenaei* reiectione,[4]) sed pluribus ad ministros.[5]) Sumus et ad Tigurinos scripturi[6]) eorumque iudicium et opem imploraturi in hac causa colloquiorum. Idem et a vobis et a Neocomensibus petituri. Sed ego te prius conventum cupio. Tu interea si hanc egeris causam, ut te audio statuisse, bene erit. Res certe digna est quae a bonis omnibus non negligatur. Qualis futurus est ecclesiae status si haec praeterimus silentio quae aguntur, et si patimur tantum iuris in nos sumere, qui fratres se non dominos praestare debuerunt?

Sed de his alias. Remisit librum suum *Farellus.*[7]) *Gaucherius* mox istuc est allaturus. Scripsissem de eo ad *Girardum,* sed nihil opus esse putavi. Tu curabis quod expedire iudicaris. Rem totam nostro committit arbitrio *Farellus.* Salutant te nostri omnes, praesertim uxor et filiola, quae morbo liberata est Domini beneficio. Saluta amicos. Gaudeo tuis laboribus sic nobis omnia Novi Testamenti scripta illustrari,[8]) et Domino gratias ago, precorque ut sanctis tuis laboribus semper adsit propitius. Vale. Lausannae 30. Novemb. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

Audivi *Corbelium*[9]) de *Arenaei* electione ad *Iodocum* scripsisse et pixidem misisse carnium cydoniarum. Tu coniice reliqua. Quum has obsignare pararem tuae mihi redduntur, et ad me et ad *Hallerum.*[10]) Ego pro meis *Halleri* literas resigno. Quare eas ad te remitto ut denuo obsignes, ne quid sinistre suspicetur. Metuo ne offendatur *Hallerus* iis quae scribis de *Ottomanni* repudiatione. Non solum id in causa fuisse puto, sed et quod fortiter *Zebedaeo* restiterit, quaedam dixerit aliquando de coena quae *Zebedaeus* accusavit, et quod nostri adversarii volunt promoveri Corbelios et alios id genus, nos autem impedimus et non probamus semper quae illic probantur. Velim igitur abs te non solam illam causam afferri, quanquam non puto vanam esse. In tuis aliis literis id est metuendum quod scribis, ne a nobis accensus videare, et ne in nos magis commoveantur. Veritatis tamen agenda est causa serio. Spero te non obliturum tuam mansuetudinem et modestiam.

1322.

FARELLUS CALVINO.

Neocomi formula Consensus subsignatur, obloquente tamen Mulotio. Etiam in Gallia in hac re concordia regnat. Quam et alii olim pii viri commendarunt. Pauli papae mors prodigiis horrendis insignita.

(Ex autographo cod. Genev. 115, fol. 92, coll. cum exx. Cod. Genev. 116, fol. 16, Cod. Bern. Epp. VII. p. 1103 et Simleri Vol. 71.)

Christi servo Ioanni Calvino pastori Genevensis ecclesiae ut pietate ita eruditione insigniori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Volebam fratres subsignare Consensionis capita in conventu altero. Sed quum pauci adessent

2) *Die Natalium celebrandae.*

3) *In quo prudenter egerunt; nam in decreto illo nihil amplius mutatum fuit.*

4) *qui aut Zebedaeo in schola, aut Hotomanno in diaconatu suffici debebat.*

5) *scil. eas ipsas literas quae iam ad* 27. *Nov. relatae nondum tamen scriptae erant N.* 1314.

6) *N.* 1315.

7) *scil. ut prelo subiiceretur. Prodiit a.* 1550 *ap. Girardum.*

8) *Alludit fortasse ad Comm. in Titum iam prelo paratum, de cuius dedicatione tamen nihildum rescivisse videtur.*

9) *Famosum illum Zebedaei armigerum* (*N.* 1058, *not.* 8. 1128 *etc.*).

10) *Ad Hallerum recentissima nobis fuit N.* 1311, *quam omnino hic designat, verum eiusdem temporis ad Viretum nulla exstat.*

visum fuit in hanc diem differre. Sed quum non omnes adessent, ac *Mulotius* aegre ferret sacramenta comprehensa promissione vi sua nihil conferre, nec tempus nec locus ferret nisi pauca adferre quae satis tamen erant (nam quis non videt perfidos, quos Christus vocat filios diaboli circumcisione et promissione adiuncta quod Deus eorum esset deus, quum glorientur se Abrahami esse filios cui haec facta est promissio, et a quo circumcisionem acceperunt, et tamen nullam sentiunt vim, nisi maiorem condemnationem ex circumcisione et quam iactant promissione) id non satis fuit, quum errare tantus vir [1]) non potuerit, qui iam cum Domino regnat et qui tantum aedificavit. Ideo visum fuit ut classis nomine decanus cum iuratis, additis ministris urbis subsignarent formulam: in quo consensere omnes. Quod si tibi probatur et satis esse ducis, bene habet. Sin minus, quid facto sit opus indica et pro virili adnitemur. Video Satanam omnia conari ut nos disiungat. Sed improbos hostis conatus franget Christus, qui nos ad pacem et concordiam invitat et ducit. Mitto ad te obsignata omnia. [2])

Ante hos dies conveniebam *Mirabilem*, [3]) qui mihi dicebat nonnullos eum in Gallia rogasse ut convenirent pastores in negotio eucharistiae? quumque hic respondisset: optime, tunc illi gratias egerunt Domino, et eorum aliquis non postremae notae hoc addidit: Iam lubentius hinc migrabo postquam tam laetum accepi nuncium. Ego quid dicere debeo, quum pestem diram senserim hanc discordiam. Si opus esset, te rogarem ut sancte coleres hanc concordiam, quod scio te facere et facturum. Et ut non semel apud me cogito de voce illa Claudii *Solomonis*, [4]) cui pauperum cura concredita fuerat, quum nos hortaretur ut praedicaremus verbum nec cessaremus, et rursus ad Dominum conversus aiebat: Ha Domine, privabisne hunc locum verbo tuo? non ita fiat: Quum eum delirare putarem, et sentirem me nihil magis cupere quam praedicare Christum, tamen in cribratione illa qua istinc tandem pellebamur, sensi, quum prorsus extra docendi munus vivere optarem, quam necessaria fuerit commonitio illa. Et tu oblitus non es orationis *Porrei* syndici, [5]) quam tantopere, nec dubito merito, commendasti, de studio pacis et concordiae. Hic vides quam sit necessarium, et favente Christo sentiemus quam fuerit exoptanda, procuranda, et quam servari et coli debeat. Quod si quid nonnihil hic nobis interturbet, id non admodum curemus, sed mederi studeamus non deploratis, gratias interea agentes Domino qui supra spem nostram omnia succedere facit.

Ferunt hic pontificem inferorum *Paulum* ter impium eo die tartara petiisse [6]) quo visus est ingens draco in coelo totus ignitus: ex Italia [7]) in Burgundiam versus ferebatur horrenda luce, sonitu, ac veluti terrae concussione: et is omnes qui viderunt et audierunt perterruit. Existimo mensem iam praeteriisse. Nox erat diei Mercurii. [8]) Draconem ita visum esse in aere certum est. Et postridie dixerunt aliqui pontificis gratia ostensum illud esse ac mortem [*notare*], licet de ea nihil auditum esset. Subpraefectus *Baillodus* [*dixit*] [9]) Burgundiis: En diabolus pontificis animam detulit ad inferos. Cuperemus rescire, non tantum tanti portenti exitum, verum etiam Francisci *Spirae*. Istic quum essemus, non satis meminimus.

Multa praetermittuntur quae notari oporteret. Die Bartholomaei [10]) ignis e coelo pagum consumpsit prorsus in Burgundia et eum scortatione infamem. Sed nunc plura non addam, ne te a potioribus avocem. Vale bene, et tecum tui omnes collegae, non praeterito *Normandio* et piis reliquis. Fratres te salutant. Neocomi quinto Decembris 1549.

Farellus tuus totus.

1323.

CALVINUS SOCINO.

Respondet ad diversas quaestiones sibi propositas, speciatim de natura corporum resurgentium quam indagandam esse negat, tum de matrimonio cum muliere pontificia ineundo et de baptismo legitimo et illegitimo.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 93, Laus. p. 196, Hanov. p. 219, Chouet p. 125, Amst. p. 57.)

Ideo serius quam optabas respondeo, [1]) quia invitus, ut verum fatear, quo me vocant literae tuae protrahor. De resurrectione carnis video tibi

---

1322. 1) *Lutherus.*

2) *Iam supra simili occasione data te ad Prolegomena nostra ablegavimus. Mulotii nomen non legitur in exemplari Neocomensi.*

3) *Gallicum commissarium* (*N.* 1133, *not.* 10).

4) *Cl. Salomon dit Paste, nominatur inter primos reformationis asseclas, cum Baudichon de la Maisonneuve, iam a.* 1532 *et seq. in actis senatus laudatur.* (*Gaberel*, 112, 405 *et passim, Herminjard III. passim. Nomen Paste occurrit N.* 123.

5) *Ami Porral vocabatur, non Porrée* (*N.* 402).

6) *Obiit* 10. *Nov.* (*Sleid. III.* 182).

7) *Margini inscripsit:* ex monte Bernardi.

8) *Quid hic velit non assequimur. Decima Novembris erat dominica.*

9) *Verba uncis inclusa non leguntur in autographo. Addidit Cod.* 116 *caett.*

10) 24. *Augusti.*

1323. 1) *ad literas d.* 25. *Iulii datas N.* 1231.

minime esse satisfactum. Atqui si plus a me postulas, ne scire quidem ultra quam docui, appeto. Si excusem non esse mihi plus datum a Domino, aequum non esset me praeterea urgeri. Tenenda enim nobis est regula: Credidi, ideo loquor. Verum dico in hac fide, quam apud te professus sum, sic me acquiescere, ut longius tendere fas mihi esse non arbitrer. Audio quid tu contra. Quum hoc praecipuum sit fidei nostrae caput, quum in eo posita sit felicitatis nostrae summa, non videri supervacuam eius inquisitionem. Et sunt istae quidem speciosae illecebrae. Sed quod spiritus Dei per os Ioannis admonet nondum apparuisse, et notitiam in diem ultimum differri, modum mihi praescribi sentio. Quae tibi scripsi adeo firma apud me sunt et Dei verbo comprobata, ut nulla me dubitatio sollicitet. Sic porro sufficiunt, ut eorum fiducia mortem secure contemnam. Si plura desideras, aliunde petenda sunt. Quoniam nunquam a me impetrabis, ut obsequendi tibi studio fines a Domino positos transsiliam.

In aliis quoque si parcior ero quam optes, ignosce. De uxore ducenda si quis a me consilium petat, non aliud suadebo, nisi eam ducat, quae parata sit Christum cum marito sequi. Idque non ore tantum profiteatur, sed re ipsa demonstret. Nam quae alioqui recte sentiens, ab impietatis tamen professione discedere non vult, eam quisquis ducet uxorem, pessimum sibi laqueum induet. Nimis saepe expertus sum in multis, quantum a Christo recedant, qui se implicant talibus coniugiis. Verum ut sigillatim tibi respondeam. Quod rogas an a coniugio papistico, non secus atque a turcico sit abstinendum: Ego, qui superstitiones papatus in quibus educati sunt penitus retinent, non ausim tamen in eodem gradu cum Turcis locare. Nam aliquanto propius ad nos accedunt. Verum omissa comparatione, homini christiano fas esse nego, se uxori adiungere, quae sit a Christo aliena. In eo autem numero scimus esse omnes papistas. Qui licitum sibi esse putat eam accipere, quae adhuc multis erroribus tenetur implicita, modo iustitiam in Christo suam quaerat, non animadvertit quantis postea in rebus futurum sibi cum illa sit dissidium. Nemo igitur, me autore, hoc periculum adibit: quin potius haec mea sententia est, nec pie, nec in Domino matrimonium contrahere, qui aliam sibi sociam asciscit, quam quae divortium prius cum papa fecerit. Scio non semper dari optionem ex voto: verum difficultas culpam non purgat. Solennis papatus abnegatio si accedat, laudanda quidem erit: sed ego eam quasi necessariam exigere non ausim: sicuti nec certum modum finire, quousque in pietatis doctrina progressam esse oporteat, quae ducenda est uxor, nisi quod velim relicto Christi hoste, et manifesta impietate valere iussa, Christo nomen dedisse.

Quod rogas an ratum vel irritum eiusmodi coniugium habere ecclesia debeat, quorsum pertineat non satis assequor. Nam sicuti mutuus utriusque partis consensus requiritur, ut rite Dei nomine et auspiciis consecrentur nuptiae: ita si quis ab officio declinet, non desinit tamen legitimum esse coniugii vinculum, quo alter alteri obligetur. Levitatem merito quidem improbabit, fidem tamen datam non solvit. Ego si ex duobus malis eligendum sit levius, facere aliter non posse arbitror qui sub papatu degit, quam ut liberos suos ad baptismum quamvis adulteratum offerat. Si corruptelas, quae cum Dei mandato pugnant, detestetur, pie et ex christiani hominis officio faciet. Praesens sane mortis periculum: sed eo plus laudis merebitur constantia, quod nullo metu frangetur quisquis erit, quominus confessionem pietate sua dignam edat. Liberos si quis baptismo privet, plus duplo pariet offensionis. Itaque hoc non consulerem. Iam quum mollities animi omnes fere qui vivunt sub Antichristi tyrannide, impediat ne libere testentur se ab inquinamentis papistarum esse alienos, hinc monendi sunt, ut ego ipsos moneo, quam miseri sint, et quantum in labyrinthum demersi, qui Dei offensam nisi altera offensa fugere nequeunt. Hoc vere est inter sacrum (ut loquuntur) et saxum premi, non posse Christo liberos suos offerre, quin ad inquinamenta Antichristi prostituant: et tamen non posse usum baptismi praetermittere, quin contempti christianismi notam in se suscipiant. Hunc stimulum iis qui illic sibi blandiuntur admoveo: ut suam infelicitatem in suis quoque liberis agnoscant. Quum papistarum baptisma a lusorio distinguo, fingis tibi responsum, quod tanquam a me datum impugnes. Non reperies in meis literis, scio, pendere illius vim ab intentione consecrantis. Tantum, nisi fallor, ideo dixi efficax, quatenus in hunc finem administratur, ut in Christi corpus nos inserat, vel ut nostrae sit renovationis symbolum. Iam nihil mea refert, sitne homo Lucianicus qui baptizat, sitne diabolus. Tantum enim respicienda est institutio, et continuus usus: qui a Christi mandato, tanquam ex fonte fluxit. Certe non heri primum coepit baptizandi ritus. Eum nec papistae, nec idololatrae alii excogitarunt. Perperam itaque eum aestimas, nisi ad originem suam revoces. Utcunque autem multis pravis accessionibus vitiatus fuerit, semper tamen stetit hoc fixum, baptizari Christi mandato, in nomen patris, filii, et spiritus sancti; ut sit regenerationis testimonium. Hic est finis quem considerandum doceo. Nec alia fuit ratio cur olim circumcisionem Deus in media sacrorum omnium profanatione ratam nihilominus habuerit, nisi quod in illum primum finem dirigebatur, ut sigillum esset divini foederis: Ero Deus tuus, et seminis tui post te. Itaque quum populus sub Iosia foedus de in-

tegro feriret, ac solennem suae defectionis poenitentiam ageret, non tamen iterata fuit circumcisio: quae non infidelitate modo, sed impiis multis superstitionibus polluta erat. Tanti enim est sancta Dei institutio, ut inter multiplices hominum corruptelas, ad vim suam retinendam praevaleat. Antistrophon, quod in me torquere vis, nullum est. Neque enim lusoria baptismi imitatio, ut credis, in populum Dei inserebat: sed instituti divinitus traditi observatio. Et tamen degeneres erant filii, qui foedus cum patribus initum violaverant. Quod ecclesiae reliquias manere in papatu dico, non restringo ad electos, qui illic dispersi sunt: sed ruinas dissipatae ecclesiae illic exstare intelligo. Ac ne mihi longis rationibus disputandum sit, nos Pauli autoritate contentos esse decet, qui Antichristum in templo Dei sessurum pronunciat (2. Thess. 2, 4). Quanquam et hoc rationibus satis validis me probasse puto, ecclesiam licet semiruptam, imo si lubet diruptam ac deformem, aliquam tamen manere in papatu. Atqui non patior, ut in privatis pii hominis aedibus baptismus pure iuxta Christi regulam administretur. Facilis responsio est. Nam huiusmodi baptismum, qui apud nos non permittitur, ac iure quidem vetitus est, facilius tolerarem, quam papalem illum tot sordibus infectum. Verum hic non agitur, quid ego probem. Quod autem baptismum pro nihilo me ducturum putas, quem e fratribus meis quispiam forte intra privatos parietes administraverit, hoc nunquam mihi venisse in mentem, Deum et homines testor. Longe enim aliud est praescribere quid rectum sit ac sincerum, et quid inter exoticas accessiones residuum sit ex Dei institutis. Si Turca in ecclesiam solenni fidei professione receptus fuerit, quin baptizandi quoque sint eius liberi, non dubito. Viget enim promissio illa: Ero Deus tuus et tuorum. Timiditatem, qua fit ut cautius vivant quidam, quam ut in suspicionem veniant tyrannis, simpliciter damnare non est meum. Unus enim legislator et iudex, cuius ore non video damnari. Qui vero astutam suam simulationem in adeundis missis utile promovendae gloriae Dei subsidium esse putant, utinam cogitarent non ita inopem esse Deum, ut nostris mendaciis indigeat. Certum quidem est, hac occasione interdum quosdam Christo lucrifieri. Id quoties evenit, exemplo Pauli gaudeo. Quovis enim modo propagetur regnum Dei, lucro apponere nos decet. Sed nunc disputatur, an tale probetur Deo obsequium: quod ipse negat. [2]) 7. Idus Decembr. 1549.

2) *Si quid videmus clausulam abscidit editor. Calvinus nunquam suas epistolas sine salutatione votisve abire sinit.*

1324.

CALVINUS BULLINGERO.

Formula Consensus a Genevensibus ministris recepta. Pullingeri epistola libello de vitandis superstitionibus addita. Lausannensium colloquia denuo vindicata et commendata. Hotomannus a senatu repudiatus. Bucerus ab Hopero falso traductus.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. T. 24, fol. 14. Apographa exstant quinque, duo Genev. in Cod. 111, fol. 242 Turretini et fol. 208 multo recentius, duo item Bernae in Epp. Tom. VI. p. 66 et VII. p. 69, denique Simleri Vol. 71.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae fido pastori symmystae et fratri colendissimo et carissimo.

S. De librarii censura et tibi et optimis nostris fratribus, qui eam ad te miserunt, magnam habeo gratiam. [1]) Utinam citius fuissem admonitus. Praestat tamen sero quam nunquam. Facturus sum quod consulitis. Sed ego scriptionem illam, quia brevis erat, in tempus nundinarum distuli. Mihi tamen molesta erit magis quam laboriosa, quia cum domesticis litigandum erit. Mallem vero cum professis hostibus certare. Quanquam haec quoque sunt nostra exercitia. Haec causa erit cur brevius absolvam.

Formulam consensionis libenter omnes fratres mei amplexi sunt. Subscriptam, si voles, omnium manibus quam primum habebis.

Quia spes non est ut brevi recudatur liber de vitandis superstitionibus, quum adhuc plurima exemplaria typographus se habere dicat, auctarium quod misisti curavi ut attexeretur. Ita liber erit vendibilior. Et praestat hoc ornatu fuisse locupletatum priusquam longius spargeretur. [2])

Lausannensium fratrum causam tibi commendatam esse cupio. Nuper senatusconsulto vetiti sunt ex more convenire ad tractandam scripturam. Erat haec ratio ut suo quisque ordine locum scripturae exponeret, deinde afferret quisque quod datum esset a Domino. Haec communicatio hactenus valde fructuosa fuit, ac multos retinuit in officio. Nam is, cuius vices erant locum exponere, privatim admonebatur, si quid inscite, si quid minus dextre aut non suo loco dixisset. Quoniam importunus ille rixator *Zebedaeus* aliquoties suis contentionibus turbavit, in eius gratiam praeclarum institutum abrogari perquam iniquum est. Senatus quidem *Vireti* rogatu hunc rigorem nonnihil mitigavit.

1324. 1) *Intercidisse videtur aliqua Bullingeri epistola, quare quae hic proxime sequuntur obscuriora sunt quam quibus ex caeteris lucem affundere queamus.*
2) *Opp. Tom. VI. p.* 641.

Manet tamen edictum quo iubentur tertio duntaxat quoque mense convenire. Fratres interea Bernenses imperiose, ut audio, magis quam fraterne erga eos se gerunt, ut nihil in calculum praeter ipsum ministerii nomen veniat. Haec tamen non est ecclesiastica ratio. Verum si Bernenses contemnunt collegium illud, nihil aliud dico nisi quod se et eos, quibus sunt adeo iniurii, male noverunt. Contemni autem et contumeliose haberi plus quam clarum est. Ut nihil sit gravius, subinde audiunt heriles minas. Nec vident, quum in fratres dominium appetunt, quanto durius sibi iugum servitutis accersant. Non in omnibus regnat haec pravitas. Deterior tamen pars superat. Querimonias istas libere in sinum tuum deponere mihi permitto. Longius manare neque necesse est neque expedit. Tu modo, pro tua prudentia et aequitate, studebis his malis aliquid saltem interponere remedii. Praesertim hoc agendum erit ut illi quos nosti *Zebedaeum* suum obliviscantur et similes delitias.

Nuper quum in diaconi munus electus esset quidam frater doctus et acutus, is qui meum de astrologia iudiciaria libellum vertit, [3]) qui patrem, regium in curia Parisiensi consiliarium, cum spe opimae haereditatis ultro deseruit ut Christo militaret, factum est eorum studiis ut senatus eum repudiaverit. Haec tibi probari nequeunt, scio. Quod si curare penitus hanc malevolentiae pestem non potes, aliquo usque tamen ut cohibeatur danda erit opera.

Bucerus postremis literis [4]) quas ad me scripsit conquerebatur se ab *Hoppero* traduci, quasi ubiquitatem corporis Christi asserat. A quo delirio quam procul absit, ego optimus sum testis. Si quando ad hominem scribes, admonebis ut *Bucerum* unum fuisse hoc saeculo ex primariis Christi servis cogitet, praeclare de ecclesia meritum, multos labores sustinuisse, et nunc Christi esse exsulem, ne senem extrema iam aetate inhumaniter fatiget.

Vale, ornatissime vir et frater mihi in Domino observande. Collegis tuis ex me plurimam salutem, et privatim tuae familiae. Omnes fratres mei vos plurimum salutant. Do. etiam *Henrichum* salutari meo nomine cupio. Genevae 7. idus Decemb. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

3) *Qui libellum vertit se Franciscum Vilierium dicit. Cave tamen de Hotomanno dubites qui hic evidenter designatur. Is enim erat* Sieur de Villiers-St.-Paul. *Simlerus in margine haec habet*: Fr. Hotomannum intelligit qui quum fortunis omnibus exciderit dixit: Habeamus aquam, habeamus polentam, Iovi ipsi de felicitate controversiam faciemus. *Quae verba sumpta sunt ex Doschii Vita Fr. Hotomanni I.Cti ad Iac. Bongarsium cum notis Leickeri quae praefixa est Epistolis Hotomannorum a Meelio editis Amst.* 1700. 4. *Pater Petrus consiliarius fuit in parlamento Parisiensi, fervide pontificiis sacris addictus, Franciscus eius filius natu maximus quem decem alii liberi sequuti sunt.*

4) *N.* 1240.

1325.

CALVINUS MUSCULO.

Iterum colloquiorum tractat causam satis concitato animo.

(Ex autographo Bibl. Zofingensis Epp. ref. Tom. I. N. 14. Apographa exstant in Cod. Genev. 196, fol. 75 et ap. Simlerum Vol. 71. Anglice T. II. p. 237.)

S. Si quas habuit causas senatus vester cur ministris vetaret in posterum ex more convenire ad tractandam scripturam, eas ad iustam trutinam expendere mihi videor. Sed hoc utile fuisse remedium nego. Lausannae nullas unquam fuisse contentiones audieram, donec furiosus ille [1]) ecclesiam turbare quacunque ratione in animum induxit. Probabile illud esse institutum nemo non videt. Et experientia hactenus docuit mediocri saltem fructu non caruisse. Illic optime deprehenditur eorum negligentia qui aliud curant quam sacras literas. Pudore saltem excitantur. Proficiunt omnes. Certe iniquum est, unius male feriati hominis protervia tolli fructuosum omnibus exercitium. Iniuria etiam fit fratribus si ob privatum unius delictum omnes plectuntur. Vidit semel *Hallerus* [2]) rixosae disputationis speciem. Sed quo flabello excitatus erat ignis? unde lignum? Satis notum est, quamdiu illic *Zebedaeo* impune [3]) furere licuit, assiduis certaminibus fratres fuisse vexatos. Cur non cohibita fuit eius insania? Quod mature fieri poterat. Unde illi crevit proterviendi audacia? Si nescis, nos plus satis tenemus unde inflati illi fuerint spiritus. Quid si nunc iidem illi qui eius intemperie diu abusi sunt, ne molesti fratribus esse desinant, ut conventus prohibeantur sunt autores? Quod tam acriter in omnes linguae nostrae ministros inveheris, certe in eo et mansuetudinis et modestiae tuae videris mihi oblitus. Sicuti graviter peccant qui eadem, ut aiunt, creta dealbant sontes et innoxios, ita eodem omnes carbone notare cuius erit aequitatis? Scio quam multa in multis desiderem. Atque uti-

1325. 1) *Zebedaeus. Vide infra.*

2) *N.* 1320, *not.* 5.

3) *Minime. Etsi enim patronos Bernae habebat tamen loco suo motus est.*

nam ea quae debuit adhibita fuisset severitas. Scio multos esse et improbos et petulantes et virulentos. Sed crede mihi, talibus nunc data est excutiendi fraeni licentia. Interea ignosce si totum nomen gallicum ita atrociter damnari indigne fero. Quanquam hic non habeo gentis meae rationem. Neque enim is sum qui meorum vitiis indulgeam. Sed mihi notiores eorum virtutes, quam tibi, esse par est.

Quantum ad illam scripturae tractationem, quae hactenus in usu fuit, saltem concedite nobis vetus illud proverbium: stultos experimento sapere. Satis iam multo tempore experti sumus, fratres hoc interpretationis genere utiliter exerceri. Nunc, quo minor erit doctrinae communicatio, eo maius erit a perniciosis dogmatibus periculum. Ignavi secure torpebunt: multi nescio quomodo vel profanescent vel degeneres reddentur. Hoc me etiam plurimum movet quod boni omnes hoc novo edicto gemunt, improbi exsultant. Et quum videatis classem [4]) Lausannensem, ut nunc alias praetercam, tantopere de hac causa laborare, vestrum sane est piam illorum sollicitudinem adiuvare, quoad in vobis erit. In aliis quoque vos esse quam coniunctissimos, non illorum magis quam vestra interest, si vultis ecclesiae Dei prodesse. Nam, ut nihil dissimulem, nuper me *Othomanni* reiectio aliquantulum pupugit, quod suspicabar meum illi contubernium non profuisse.

Ego amicitiae nostrae fiducia liberius apud te expostulo et *Hallerum* nostrum. Sic enim mihi persuadeo, nonnulla quae me urunt vobis quoque displicere. Utcunque res habeat, vos tamen aequos et humanos harum querimoniarum interpretes fore confido. Vale, optime et ornatissime vir mihique in Domino colende frater. Dominus te et familiam tuam servet, tibi adsit perpetuo ac te gubernet. Genevae 7. Idus Decembris 1549. [5])

Ioannes Calvinus tuus.

Collegae mei vos plurimum salutant.

Quum has putarem me cum aliis nuncio dedisse, errorem meum, postquam ille abierat, sero deprehendi. Nuptias ducis *Mantuani* cum *Ferdinandi* filia [6]) Papiae [7]) celebratas esse non puto esse tibi novum. Nullus adhuc certus *Pauli* successor. [8]) Bellum in Italia fore putant. Faxit Dominus ut secum pacem quaeramus.

4) *Anglus vertit:* the college.

5) *Versio anglica* 28. *Nov. adscribit.*

6) Franciscus III. (al. II.) Gonzaga anno aetatis decimo sexto duxit uxorem Catharinam filiam Ferdinandi regis Romanorum postea Imperatoris d. 22. Oct. 1549. Quae, quum ille iam 21. Febr. 1550 casu submersus periisset, a. 1553. Sigismundo Augusto Poloniae regi nupsit, qui ipse antea sororem ipsius Elisabetham a. 1545 mortuam in matrimonio habuerat.

7) *sic autogr. et Anglus.*

8) *Io. Maria del Monte, qui concilii praeses fuerat, demum 7. s. 8. Februarii* 1550 *electus fuit et nomen sibi Iulii III. imposuit.* (*Sleid. III.* 195.)

1326.

BIRCHMANNUS [1]) BULLINGERO.

Varia tradit nova maxime anglicana.

(Ex autographo Archiv. Turic. edita in Epp. Tigurinis Cantabrigiae 1848 impressis p. 227. Anglice in Epp. a Societate Parkeriana editis I. p. 344.)

Clarissimo viro D. Henrico Bullingero Domino et amico summo.

Tiguri.

Ornatissime D. *Bullingere*, tuas literas quae mihi gratissimae fuere accepi. Respondissem per meum correctorem ad D. *Froschoverum* missum si maturius tuas accepissem. Si opus esset ulla admonitione apud D. *Froschoverum*, optarem tuam in imprimenda biblia anglicana. [2]) Mei boni amici Angli valde me urgent, optantque absolutionem. *Caesar* enim apud anglicos legatos graviter institerat de componenda religionis forma ad doctrinam metaxicam. [3]) Sed illi re deliberata eam quam D. *Bucerus* instituit per universum regnum edictis publicis confirmarunt. D. *Bucerus* gravissime decubuerat, [4]) sed restitutus iam magna autoritate et gratia apud Londinenses fruitur. De *Floriano* Polono [5]) nihil audivi.

Oceanicae urbes per Hamburgenses, Lubecenses, Luneburgenses, de componendis Bremensibus et Magdeburgensibus sollicite agunt: nisi religionem paciscantur nihil efficient. [6]) Si T. D. quid habet

1326. 1) *Bibliopola Coloniensis etiam Argentoratensibus amicitiae vinculo iunctus.*

2) *Iam a.* 1535 *prodierunt biblia anglicana Milonis Coverdale, s. a. et loco, Turici ut vulgo creditur. Anno* 1550 *novam editionem dedit Froschoverus a Thoma Matthew* (*alias, I. Roger*) *curatam.*

3) *i. e. interimisticam* (*μεταξύ*).

4) *Baum p.* 561.

5) *N.* 1192. *Iam suspectus esse quibusdam coeperat.*

6) *Civitates Saxoniae inferioris concorditer contra Interim declarationem ediderunt. Idem fecerunt Bremenses alioquin alium tramitem sequuti in rebus religionis.* (*Sleid. p.* 178. *Salig. I.* 606.)

de novo electo pontifice,[7]) ne graveris indicare. Hic omnes in illum suspensi videntur.

Caesar mutato consilio natalitium diem peracturus est Bruxellae. Parat profectionem in Italiam. Exspectamus tuas literas ad archiepiscopum nostrum, et libellum tuum et *Calvini*.[8]) *Petrus Martyr* edidit disputationem de sacramento eucharistiae, habitam in universitate Oxoniensi in Anglia, 43 foliorum.[9]) Misissem, si nuncium Basiliam habuissem. Has literas dedi ad D. *Froschoverum*, ut quamprimum bibliorum absolutionem moliatur. Saluta omnes amicos.

Tuus ex animo
Io. Byrchmannus.

1327.

VIRETUS CALVINO.

Varia insunt de epistolis ultro citroque per ipsius manus missis et mittendis, tum praecipue ad negotium colloquiorum redit, et Hotomanni causam.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 180.)

Eximio Christi servo D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. Literas tuas ad *Bullingerum*[1]) misi Bernam ad *Hallerum* cum libello de vitandis superstitionibus.[2]) Eas non legi quia erant obsignatae. Misi et quas ad *Hallerum* scribebas,[3]) una cum reliquis quas nuper acceperam, de quibus nullam fuisse a me factam mentionem scribis postremis tuis literis te mirari. Eas retinueram mittendas cum literis ad *Hallerum* quas ad te remiseram. Nam neque istuc remittendae videbantur, neque prius ad *Hallerum* mittendae quam tuas simul acciperet, quibus mandabas ut alteras perferendas curaret. Iam missae sunt omnes, et quae ad *Pellicanum* scribebantur:[4]) solae supersunt *Musculi* literae,[5]) quas ad te remitto obsignandas. Scripsisti te sigillum tuum misisse, sed nuncius respondit se nihil accepisse aliud praeter literas. Nihil mihi videntur literae continere quod eos valde debeat offendere post tam turpem lapsum.

Publicis classis literis iterum testati sumus quam nobis displicuerit *Hotomani* reiectio, et quam nobis prior nostra placeret electio, quanquam alium elegissemus. Ex *Halleri* ad me literis satis intelligo literas nostras fuisse molestas.[6]) Scripseram et ego privatim ad *Hallerum*, cuius literas et *Zerkintae* ad me mitto ad te ut videas quid *Hallerus* excuset, et quid ea de re sentiat *Zerkintes*. Miseram enim ad *Zerkintem Hotomanni* libellum de Actionibus, et ad *Gironum* de Affinitatibus, ut ex iis aliquod ingenii autoris specimen perspicerent.[7]) Remitte literas tuas ad *Musculum*: ego primo quoque tempore perferendas curabo. Digni certe sunt qui serio admoneantur. Non possum satis mirari *Musculi* et *Halléri* consilia et invectivas in nostram nationem, quum uterque fuerit in nostra synodo non solum rerum nostrarum imperitus, sed et penitus surdus. Quales enim potuerunt esse iudices nostrae loquacitatis et earum causarum quae illic actae sunt, quum gallico sermone omnia sunt transacta cuius sunt ignari? Miror sane istam in iudicando et damnando quae non norunt audaciam. Aliud mihi longe de *Musculi* persuaseram prudentia et maturitate. Boni sunt viri, sed nimis sibi in suis cogitationibus, censuris et consiliis placent.

Nuper istinc ad me literae allatae sunt, quas ad *Ammonium* illum pertinere suspicor, qui nisi fallor, ministrum agit Berriaci, qui aliquando *Morandi* discipulus fuit. Ego hic nullum novi *Ammonium*. Idcirco ad te remitto ut cures reddendas, si hominem noris ad quem scribuntur. Interea, dum haec scribo, venit in mentem *Arenei*, ad quem pertinere arbitror. Legebam prius *Ammonium*. Reddam *Areneo*. Si ad eum non pertinent remittam ad te.

Hodie redditus est mihi hic fasciculus literarum ad te et ad *Fallesium*. Eum quaeso salutes meis verbis, et totam familiam cum amicis reliquis et collegis. Ego me domi nunc contineo afflictus tussi vehementi et valde molesta. Domi alioqui omnes certe valent. Remitte primo quoque tempore literas *Halleri* et *Zerkintae*. Salutat te uxor, quae partus nescit diem, et filiola quae tota sibi restituta

---

7) *Cf.* 1325, *not.* 8.
8) *Quemnam? an de vitandis superstitionibus?*
9) *Lond.* 1549. 4. *Cf. Martyris locos communes p.* 841 *segg. Strype Cranm. I.* 286. *Schmidt, Vermigli p.* 80.

1327. 1) *N.* 1324.
2) *ibid. not.* 2.
3) *N.* 1311.
4) *deperditae.*
5) *i. e. ad Musculum scriptae (praeced.).*
6) *Vide quae Hallerus ad Bullingerum N.* 1320.
7) Ad titulum Institutionum de Actionibus Lugd. 1548 (*quem Doschius in Vita Hotomanni Iurisconsultis etiam magnis gratum fuisse dicit ob latini sermonis elegantiam et romanae antiquitatis exquisitam scientiam. — Alter libellus:* De gradibus cognationis et adfinitatis Par. 1547 *prodiit, quae scriptorum eius primitiae fuerunt.*

est. *Ribittus* incipit revalescere. Vale optime. Lausannae 11. Decemb. 1549.

Tuus Petrus Viretus.

1328.

FARELLUS BULLINGERO.

Consensum feliciter tandem sancitum et indies a pluribus acceptum ei et sibi effuse gratulatur, ita quidem ut pro more dissentientes et falsos fratres evangelii corruptores notet.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim. Epp. Tom. XXIV. fol. 332. — Simler. Vol. 71.)

Viro admodum claro tum pietate tum eruditione Henricho Bullingero pastori ecclesiae Tigurinae in primis observando.

Tiguri.

S. Quum *Calvinus* ad me misisset consensionis formulam cum sua et tua epistola, praestantissime *Bullingere*, et una legendas quas ad se miseras literas, coepi Deo gratias agere ex animo et precari ut his tam luctuosis temporibus, quibus lux paene adempta videtur, lucem consolationis, pacis et aedificationis adfulgere faciat. Res admodum exigua haec consensio: quum tu et *Calvinus* atque vobiscum sentientes non pugnaveritis inter vos, neque animis neque sententiis, ideo facile fuit pridem convenientes consentire. Ita forte quis iudicabit, et nonnihil eiusmodi etiam per subsannationem iactari audio. Sed res multo maior est quam isti putent. Ego novi non minus fuisse incumbendum quam optabatur ut fieret, adeo ut exitus vix inveniri posset. Verum Dominus, qui omnia efficit plenius quam sperare auderemus, perfecit tandem ut plena esset consensio, et prodiret in lucem, et vera et germana caritas ita per Dei gratiam sit aucta et firmata, et quam maxima inter omnes qui consensioni subscripserunt, ut nihil iam supersit quod eam obscuret, quin plena sit et aperta. Dilatio, ut fuit molestior ob vehemens desiderium quo discupiebam omnia absolvi, ita tua, mi *Bullingere*, cura, qua studuisti vitare ne concordia discordiae materiam suppeditaret, valde placuit. Recte siquidem abs te factum fuit, quod et apud te et apud bonos diligentius exquisieris quid magis aedificare et minus offendere posset, ut mature omnia fierent. Invenisti tandem omnia in aedificationem cum tempore cessura, etsi tempus praesens non ferat editionem plenam, sed tantum ut piis consulatur et si qui sint improbi, qui iactent dissidium, compescantur: quod sane multum est. Audio nonnullos in Gallia maximo affectos gaudio gratias Christo agere de audita tantum concordia: quid facient, ubi aperte viderint quid sentiant utrique? Nam tametsi tu caveris in tuis scriptis, ne quis putet te sentire ac statuere Christum abesse a sua ecclesia, et huius spiritum, quo ministerium sacrum peragitur, non operari in piis dum quae a Christo sunt instituta peraguntur, tamen non pauci sunt qui passim te proscindant et vociferentur etiam apud bonos, quod ecclesiam sine Christo et Christi communione constituas, et totum ministerium vanum et inefficax, ut signa tantum sint rerum absentium. Et *Calvinus* ita apud quosdam audit, quod nihil norit baptismi spiritus,[1]) sed tantum aquae baptismum: quod praeter signa nihil ducat, pro rebus ea habens et eis ita inhaerens ut altius non feratur. Verum vestra utriusque scripta reclamant. Verum id est: at non omnes possunt ea legere, vel ob tyrannidem carnificum Antichristi vel aliud aliquid, et interea pessimi impostores hinc inde colligunt vel potius confingunt in vestris scriptis quod faciat ad ipsorum impietatem. Formula consensionis, quam perditi impedire non poterunt quin ad omnes perveniat, os pestilentibus obturabit.

Non est opus ut multa scribam de his quae videre malo quam scribere, et tu plura potes videre, quin iam sensisti per clementiam Domini. Unum me valde recreat, quod arctissimam video inter te et *Calvinum* ista concordia amicitiam, et eam vere christianam, quam maxime utilem et necessariam ecclesiae et piis omnibus. Habet uterque dona Dei, et ea admodum eximia, quae non parum conferunt ecclesiae, ut non maligne uterque ea impendit. Et ista sancta coniunctio quid non conferet tot praeclaris donis, ut magis et magis omnibus sint usui. *Viretus* sane non contemnendus, si tibi pridem fuit amicus, quid non accessionis fecit ista concordia? De aliis quid referam? qui quotquot sunt pii et vident quam bene tibi cum *Calvino* et *Calvino* tecum conveniat, non possunt non amanter te suspicere. Ego de me nihil dicam. Cuperem potius re quam verbis testari qualiter sim affectus. Video non minus sancta coniuncta quae istic sunt pectora cum *Calvino* et reliquis quam nostra sint vobiscum unum. Superest ut tantum Dei munus excolamus et foveamus, et nullius calumniatoris improbitate ulla in parte labefactetur, sed utrinque scortatores, ebrios, avaros, ne dicam plane impios sine Deo, quascunque induant formas, valere sinamus, et, ut possumus, procul a grege seiungi studeamus, deploratos dico, et quamdiu tam perniciose inter oves Christi

---

1328. 1) *sic.*

agunt, et nos mutuo adiuvantes omnium aedificationi incumbamus. Sed quid ego apud te haec profundo, quasi iam pridem eiusmodi non sis aversatus, et qui istinc sunt olim amandati scortatores tibi non sint noti, quam parum sint ecclesiae utiles, ut merito cavere debeant omnes ne foedetur sacrum ministerium eiusmodi maculis. Sed nobis sunt portenta, ut horrenda magis ita callidiora, et quae etiam diu versatis in opere Domini, quibuscumque etiam convixerunt, quique toties improbos experti omnia paene timent et explorant, his inquam imponunt: ita ementiuntur pietatem cum eruditione. Veri sophistae. Dominus Iesus ecclesias ab eiusmodi pestibus liberet, piosque omnes inter se faciat quam sanctissime in omnibus convenire. In qua re quum tu valeas miti tuo ingenio, faxit Christus ut te totum impendas, et non modo alios, quod solitus es, sed te ipsum etiam vincas, et quod te autore coeptum est, ut sancte cum *Hallero* conveniat *Vireto* et bonis, quodque non prorsus male successu semper magis et magis crescat et plene perficiatur.

Gratulor tibi, imo isti valde mihi carae urbi, constantiam in vitando tam improbis conditionibus foedere:[2] utinam alii pietatis aliam habuissent rationem. Vale quam optime, et tecum collegae omnes, ne practeream *Theodorum* cum sene *Pellicano* et *Gualthero*. Collega plurima te salute impertit. Neocomi 12. Decembris 1549. Pium consulem *Habium* cum filio et *Henrichum* opto salvos.

Farellus ex animo tuus.

1329.

CALVINUS VIRETO.

Nonnulla minoris momenti domestica paucis attingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 31 quocum conferenda erant exemplaria Turretini Cod. 111, fol. 242, Bernense Epp. VI. p. 65 et Simleri Vol. 71.)

Eximio Christi servo Petro Vireto Lausannensis ecclesiae pastori fratri integerrimo.

S. De sigillo[1] ita res habet. Acceperam illud in manum daturusque eram nuncio, dum sermones nostros suo adventu *Gaucherius Farellus* abrupit. Quum autem hic esset paulo longior, nuncius mihi valedixit. Submisi statim famulum errore animadverso. Nusquam reperit. Ex eo non habui fidum hominem cui familiariter traderem. Apud *Musculum* aliud praetendo. Tussim quae molesta tibi erat iam alio abactam esse confido. Utinam omnium fauces occuparet qui tantum maledicere noverunt. Prosperum uxori partum a Domino precabimur. Filiolam plane restitutam gaudeo. Nunc intelligo demum quae fuerit adventus ad nos tui remora. Eam facile patior, modo ne diutius te puerpera retineat quam speramus. Vale, frater et amice integerrime cum tota familia. Dominus vos omnes servet. Salutabis diligenter collegam tuum, *Bezam*, *Ribittum*, *Merlinum*, *Quintinum*, *Arenaeum* et reliquos 15. Decemb. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

De morbo *Ribitti* nihil audieram.[2] Bene est quod primus mali nuncius sollicitudinem exemit. Si iam ante dies quatuor convalescere coeperat, iam prorsus recte valere arbitror et gaudeo.

1330.

CALVINUS FARELLO.

Commendat aliquem fratrem mittitque hac occasione initium commentarii in Epistolam ad Titum.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 32. Exstant exemplaria Turretini Cod. 111, fol. 241, Bernense Epp. VI. p. 64 et Simleri Vol. 71.)

Eximio Christi servo G. Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et amico singulari.

S. De hoc fratre non habeo quod testari apud vos queam, nisi quod bonum virum et pium esse quidam boni viri praedicant quibus ego fidem habeo. Quum autem nullae apud nos commendationes valere debeant nisi ex iudicio, non ausim ad id quod dixi verbum addere. Si coniecturis locus esset, mihi sane et modestus videtur et integer. Verum experientia vos melius docebit qualis sit. Dicit se fratris nostri *Christophori* iussu istuc venire. Quum ita sit non dubito quin gustum sui aliquem

2) *Gallico. Attamen non de eo foedere loqui videtur cuius saepius in epistolis huius anni mentio facta est. Vix enim nobis persuaserimus de hoc Farellum aliter sensisse atque Calvinum.*

1329. 1) *N.* 1327.

2) *ibid. in fine.*

praebuerit. Certior autem cognitio erit ex longiore usu. Mandavi ut tibi initium Epistolae ad Titum offerat. Tam exiguum est munus, ut verbis illud ornare puerile futurum sit. Et tamen quia me amas, tibi non ingratum fore scio. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te servet ac benedicat tuo ministerio. Saluta fratrem nostrum *Christophorum* et reliquos. Concordiam, ut mones, quam a Domino agnoscimus, fideliter colere mihi curae erit, ne dubita. 20. Decemb. 1549.

Ioannes Calvinus tuus.

1331.

VIRETUS FARELLO.

Epistolas quasdam Calvini ei mittit Basileam perferendas.

(Excerptum ex autographo Bibl. pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. III. N. 23.)

S. Non venit heri mihi in mentem, quum cognatus hinc discederet, exemplaria *Calvini* literarum ad *Myconium* et *Sultzerum*, [1]) quae a *Calvino* acceperam, ad te mittenda. Ea nunc mitto, missurus maturius si fidus occurrisset tabellarius. — — — — — Lausannae 28. Decemb. 1549.

1332.

INCERTUS FARELLO.

Fuse renunciat quid Iverduni egerit ut resciret quid Zebedaeus et alii contra Calvinum et amicos eius, et contra consensum Turicensem moliantur.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium.)

Reverendo in Christo patri D. Gulielmo Farello Neocomensi ecclesiastae fidelissimo domino amicoque carissimo.

S. D. Ergo ut Iverdunum perveni, reverende pater, nihil habui carius quam ut mandato tuo parerem omnique industria improborum hominum consilia detegerem. Itaque in aedes ludimagistri super coenam me contuli, ut si quae cautio esset in homine, ea coenae ad quam adducturus eram hilaritate solveretur, et ne longiori sermoni obstarent temporis angustiae. Nam faciliorem ad illum accessum studiorum communicatio, quae mihi cum illo est, pollicebatur, eumque sua quadam libertate solutiorem fore sperabam in retegendis aliorum machinationibus. Quid enim caveat qui se a nemine putat observari, et quae tanta est istorum hominum in alienis periculis cogitatio? At is nescio quo casu Lassaram [1]) in vicinum oppidum illo die profectus altero tantum exspectabatur. Itaque e magna spe in tenuem exilemque exspectationem revocatus sum, quod ex uno *Zebedaeo* [2]) cognoscenda videbam omnia: qui, si quod in capiendis consiliis acumen, si quam in rebus agendis calliditatem adhiberet, sic mihi persuadebam esse in simulando atque dissimulando aeque cautum et in exquirendo sagacem. Quapropter sic me componebam ut illum mei conatus fallerent, illiusque instituti rationem extorquerem. Verum is pridie discesserat. Quid autem agitaret, aut quo abiisset, ne sollicite quidem inquirens rescire potui.

A coena civitatis ecclesiasten primarium visi cui *Gulielmo* [3]) nomen esse arbitror. Hominem ego humaniter compellavi. E longa diuturnaque peregrinatione Germania redire me domum in Galliam, multum quidem vectationis assiduae laborem esse, magnas item itineris iniurias, sed tamen tanta cum voluptate cernere me nunc progressus evangelii ut omnem prioris mali sensum cogitationemque in ecclesiae sinum effundam, et pulchre meis laboribus consultum putare, quibus inter christianos homines quies concederetur. Itaque ministris a me magnam deberi gratiam, atque hos successus libentissime illis congratulari, et eorum sermone futurum meum in Gallia verbi divini desiderium consolari: se vero eo libentius a me petitum quod quem scirem *Morandi* (cum quo mihi ante annos aliquot familiarior consuetudo fuisset) conterraneum [4]) intimumque esse non potuerim insalutatum dimittere. Itaque ei me, si quid uspiam Neoduni, Genevae in Galliave esset, quod efficere posset, [5]) operam meam offerre. Tum ille blandius gratias agere et fixis in me oculis ro-

---

1331. 1) *N.* 1309 *et* 1310. *En quantae morae et ambages in perferendis literis!*

1332. 1) *La Sarra inter Cossonex et Orbam.*
2) *qui ergo iam Iverduni degebat.*
3) *Aliunde de tali nobis non constat. Si Crotteto fides habenda (Hist. d'Yverdun p.* 287) *anno* 1549 *adhuc Io. Le Comte minister et classis decanus erat. Quis Malingrii collegae successor fuerit, apud eundem non distincte traditum reperimus. Videtur tamen fuisse Petrus Byse (p.* 291). *Gulielmus du Buc serius demum advenit.*
4) *Morandus fuit Picardus ex oppido Vervins.*
5) *sic.*

gare, ubi ego *Morandum*? Cui quum satisfecissem, subiunxit eum sibi amicissimum esse: caeterum nihil tum esse quod rescriberet, rogare ut amanter suis verbis salutarem. Ad *Calvinum* quum rogassem num quid vellet, eum sibi respondit amicum non esse. Facta quidem ad id quod volebam via videbatur, sed tamen alio aditu insinuavi me illius animum. * Nam accepisse me, abesse ab urbe D. *Zebedaeum*, quem Burdegalae [6]) de nomine cognitum, postea vero sua doctrina celebrem visum Lausannae ante annos aliquot convenire voluissem: tristari sublatam esse mihi facultatem, sed tamen arbitrari me non inanem esse profectionem, et suo more laborare de ecclesia. Hic se vir bonus continere non potuit. Sic sane est, inquit: non enim aequis oculis videre potest transigentes quosdam de verbo Domini: itaque Bernam adiit ut illorum conatibus obsistat. Hic ego mirabundo similis hominem, quid id esset, tantum rogavi. Nos, inquit, *Calvini Farelli Vireti* et aliorum aliquot factione iam dudum premimur: sua illi gratia doctrina et eloquentia in nostram iniuriam iam dudum abutuntur, et ad se confirmandos de sacramento coenae dominicae cum Tigurinis convenire simularunt. Caeterum priorem sententiam adhuc retinere testatur ea doctrina qua in ecclesiis utuntur. Quod ad hanc, inquam, dissimulationem attinet, res mihi pernova videtur: hactenus enim de doctorum piorumque hominum sententia unam Tigurinarum Gallicarumque ecclesiarum opinionem credidisse. Nam et me Vittebergam ad D. Philippum *Melanchthonem* circiter Calendas Octobres primum detulisse rumorem [7]) acceptum de consensu nostrarum ecclesiarum: respondisse virum illum plane divinum se Deo gratias agere cuius benignitate convenissent nostri et christiane suam inter se communicasseut sententiam. Nostras enim ecclesias eandem doctrinam aliis verbis tradere, et hoc uno differre quod modestius *Calvinus* et nostri de sacramento coenae loquuti essent. Quod si eadem esset omnium opinio, nequiter calumniari qui hypocrisin atque simulationem tantis viris in re tam seria tribuerent. Nam si diversum antea senserint ecclesiae, nunc, quum eadem sit omnium vox, perdite agere qui unitas Dei optimi maximi summo beneficio nostras ecclesias suis donis disiungerent. Quid enim argui perfidiae Tigurinos et deteriori adhaesisse sententiae! simularene nostros Tigurinorum sententiam! Scilicet impudentem esse calumniam, et tamen, ut verum sit, creditae falso concordiae opinionem confirmandam potius esse piis hominibus quam discutiendam. Hic ille: nullam concordiam se optare quae sit extra verbum Domini, sed scire se cuius esset ista sententia. Hoc illo loco impudentissime nescio quam periodum Germani cuiusdam recitavit, qua naturalis Christi corporis vera praesentia pani vindicatur. Tum ego hominem rogavi ut mecum simplicius ageret et cuius ista essent doceret. Is se ipsum prodidit. Nam Germanum nescio quem ex infima scriptorum classe nominavit. Sunt enim, inquam, inter illos, qui crudius loquuti sint, at id ad nostros non pertinet, quos nunquam istius opinionis convinces. Quid ad me? respondit: verbis pugnent cum *Luthero*, si re concordant et vero corpore sanguineque Christi nos refici docent.

Ego hic te, vir eruditissime, diu non tenebo, ne sic inepte respondentem stulte interroganti iis compares quorum alter hircum mulgebat, cribrum supponebat alter. Unum dixero: nihil me futilius frigidiusve cognosse, sive nos oppugnarit, sive suam asseruerit sententiam, quae communicationem corporis et sanguinis Domini appellat memoriam, qua sustentantur in aeternitatem animae nostrae. Nam in eo voluit *φιλοσοφώτερος* videri: memoriam enim subiunxit partem esse animae. Cui subridens, utinam, inquam, tuis civibus haec probetur opinio, quos ego in numeroso convivio approbantibus caeteris mortalitatem animorum asserentes magno meo cum dolore audivi. Nam si per se sustinetur anima et ex se reficitur, immortalem esse coargues, quia per se movebitur. Quod erit procul dubio si, ut ais, sustentatur memoria quae ipsius pars sit. Hic homo ineptus inter memoriam, quae virtus est animae, distinguere non potuit, et id cuius meminimus, quae vulgo etiam memoria dicitur. Sed tamen, inquam, hanc sententiam impietatis non excusabis, quod ea tot deos constituis quot homines, et quod ad sacramentum attinet, crudior est quam ut quisquam eorum qui crassissime loquuti sunt unquam asseruerit. Christi enim caro vere cibus est, et sanguis Christi vere potus, quo reficiuntur animi nostri et in aeternitatem vegetantur, operante in nobis spiritu sancto. Tum noster parumper ad se rediit, et, cuius oblitus erat, spiritum sanctum asseruit memoriae passionis Christi, sed ita turbate et confuse, ut absentiam spiritus sancti satis indicaret, essetque suis, qui tum intervenerant (nam res in medio vico agebatur) ludibrio, illiusque me puderet et pigeret.

Extrema colloquutionis nostrae fuit ea clausula: Christum in coelos ascensurum suis pacem reliquisse, eum itaque autorem esse concordiae: hanc qui turbarent re ipsa testari unde essent. Sic hominem dimisi.

6) *ubi Z. a.* 1534 *sq. professor fuerat* (*Gaullieur, hist. du Coll. d. Guyenne*).

7) *Haec ad annum definiendum haud parum faciunt, etsi mirari possis Melanchthonem antea nihil huius negotii rescivisse. Huc fortasse etiam referendum quod legitur in Corp. Ref. VII.* 464 *ad* 16. *Sept., nempe venisse quempiam ex Gallia nobilem ac doctum qui narraverit viduam Budaei cum filiabus Lutetia relicta migrasse ad Calvini ecclesiam caeli. Verum re bene perpensa qui haec scripsit non peregrinus aliquis fuisse videtur, sed Farelli nescio quis fidus Achates.*

Haec ego,[8]) reverende pater, fusius fortassis quam oportuerit scripta sunt, sed tamen ad ipsam paene veritatem. Nec enim ignorare te volui quid Satan ille[9]) moliretur, quae de re nostrisque heroibus illius coniurationis esset opinio, quae item de sacramento coenae illius esset sententia. Tu quid facto opus sit providebis. Quam primum potero scribam ad *Bulingerum*, ut cautiorem *Halerum* reddat ab istius veneno. Quod si ne sic quidem proficimus, a *Zebedaeo* initium faciam, quem gravi accusatione vexatum tradam omnibus iudicandum, nisi quid aliud tibi videbitur. Ego has literas cum D. *Vireto* communicabo, ut omnes ad hunc coercendum, quasi ad commune incendium restinguendum, preces ad Dominum per Iesum Christum, operam industriamque conferamus. Tu optime valebis in Domino, reverende pater, et nos precibus tuis iuvabis confirmabisque literis. Salutabis *Gaucherium* fratrem nostrum, magistrum *Christophorum*, magistrum item *Michaelem* alterum parentem. Lausannae.[10])

1333.

QUICKIUS[1]) CALVINO.

Narrat Protectoris casum, qui e summo rerum fastigio deiectus iam in vinculis detinetur. Addit privata quaedam et domestica.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 214.)

Reverendissimo viro pariter ac doctissimo D. Ioanni Calvino Genevensi ministro fidelissimo

Genevae in Sabaudia.

Hucusque literas meas distuli, vir multum reverende, exspectans si quid rei novae te dignum se mihi offerret. Nam et de itinere Mediolano et literis tuis Patavio iam longe antea responsum dederam. Sat scio non esse id novum tibi, variis commotam fuisse Angliam nostram seditionibus transacta iam aestate; quae benignitate divina iam dudum optime pacatae sunt, non tamen absque sanguinis effusione, maxime quidem rebellium, qui ad decem millia, plerique gladio, aliquot capistro, vitam finierunt, quum interim tamen fidelium subditorum tam pauci ceciderint, ut dictu id non mirabile solum, verum etiam incredibile plane videatur. Neque id vero rem tibi novam existimo, Angliae nuper[2]) Protectorem prehensum et carceri fuisse commissum. Occasio autem vera, quam ego vix expiscari potui, etiam te forsitan latet. Audi igitur strictim quae ea de re indubitata fide acceperim. Fuit Protector hic in regni tractandis negotiis non satis peritus nec industrius, et interim tamen sibi ipsi nimium sapere videbatur: a reipublicae cura et regni commodo universali insatiabilis quaedam habendi aviditas et quoquo pacto cumulandarum opum, quo iure quaque iniuria, studium eius animum averterat et alienarat. Hoc animadvertentes qui Regi erant a consiliis, et plurima quae ab ipso fierent moleste ferentes, metuentes graviora mala mature volebant prospicere, et de quieta illius status immutatione et de supplicio talibus factis debito summa quidem prudentia consultabant. Ille, Protector inquam, partim male sibi conscius suspicax, partim quid conarentur subodoratus, vi et astutia imminens sibi periculum meritum depellere consultum duxit. Clam una cum Rege tenello in propugnaculum se recipit, Regi interim persuadens quod senatus utriusque ipsorum, et Regis et suam, moliretur perniciem: unde Protector regia abutens et autoritate et credulitate literas confestim in omnes partes conscribit, regia manu apposita, mandans ut quotquot Regi bene vellent armis ac viatico instructi eo confluerent ad regiam maiestatem tutandam. Convenerat iam ingens militum armatorum multitudo, victualia undique comportabantur. Quid multis? Cruentum regni apparari excidium facile videri potuisset, nisi senatus praedictus usus solerti prudentia opportune occurrisset. Qui quum per literas effecissent ut Rex avunculo relicto alio secederet, et una fidelem in Regem animum per literas omnibus patefecissent, Protectorem facile cum aliis aliquot apprehenderunt et in turrem Londini concluserunt.

Neque tamen evangelium interim his tot tantisque tumultibus retardatur, imo liberum continuo habet curriculum. Haec mihi ut indubitata significavit duorum apud me fratrum pater, cui nomen D. Thomas *Brokus.*[3]) Hic ex libris tuis in vernaculam transtulit, optime ubique de te praedicat. Si ullo pacto per negotia licuisset aestate proxima in-

8) *sic.*
9) *Zebedaeus?*
10) *Vergente a.* 1549 *scriptam esse hanc epistolam docet argumentum v. not.* 6.

1333. 1) *Vir alioquin ignotus qui Genevae fuerat, et nunc cum duobus discipulis, ut videtur, Italiam invisebat.*

2) *a. d. III. Idib. Octob.* 1549.
3) *Fuit aliquis Thomas Brooke s. Broke of Claverly (Shropshire) pater iurisconsulti insignis, qui tamen iam a.* 1542 *iura docebat in Middle Temple, ita ut de eius fratribus fortasse hic cogitari non debeat. In recensendis anglicis librorum calvinianorum versionibus Henry nullum Brokium nominat. Vide tamen Strype, Cranm. I.* 154 *ss. II.* 39.

visendi solius tui gratia Genevam accessisset. Paulo post discessum meum Geneva misit propriis impendiis nuncium Lugdunum, qui pecuniam mihi tradidisset, misit una xenia aliquot, unum quod tibi suo nomine traditum volebat, pannum nimirum nostratem, quantum satis est caligarum pari conficiendo. Pecuniam, quae et reducebatur, nunc accepi: xenia nondum apportantur, non dubito autem quin et ipsa tandem venient. Si libebit *Brokum* illum nostrum et verbulo per otium aliquando salutare, et illi rem gratissimam et mihi optatissimam feceris. Quod ad D. *Tierium*[4]) attinet, non dubito quin ipsi antehac satisfiat, tum quod diversum ex ipso non audiam, tum quod mercator hic Venetus computum Lugduno, ut dicit, transmissum eadem significantem mihi nuper tradidit, in hunc plane sensum: D. Guilielmus *Quick*, uti constat ex chirographo, recepit Genevae 167 et quartam partem scutatorum solis,[5]) qui vestri scutati valent solidos italicos 138, ubi scutatus italicus valet solummodo solidos italicos 136, iuxta quem computum et debuissem recepisse coronatos solis fere quot recepi italicos, quanquam non italicos recepi, sed, ut probe novit D. *Tierius*, magno meo detrimento aliam monetam.

Nolo te in praesentiarum pluribus detinere: solummodo peto ut D. *Abelo*, D. *Saulo*[6]) et reliquis una ministris ac fratribus omnibus, quorum sanctissimis precibus et me et gregem meum commendatum cupio, salutem dic..... eliae.[7]) Salutes item D. *Matthaeum* Sacconensem, D. *Textorem*, cui herbarum descriptiones, si obtigerint, debeo. Mitto una narrationem rei hic nuper in Italia gestae, significans una me tuum esse quantus quantus sum.[8])

Guillelmus Quickus.

Quod non miserim una historiam Francisci *Spirae*, impedimento fuit *Budaeus* noster, qui eam apud te iam dudum esse significavit.

4) *Mercator fuisse videtur.*
5) *Écus soleil, moneta Genevensis.*
6) *Nic. des Gallars Sr. de Saules. — Abel Pouppin.*
7) *Charta abscissa.*
8) *Pertinet ad finem a.* 1549 *ut colligi potest ex mentione Protectoris et Spirae.*

1334.

CALVIN A M. DE SAINT-LAURENS.[1])

Apologie de la doctrine évangélique.

(Copie Bibl. de Genève Vol. 107a, fol. 326, Vol. 108, fol. 191. Archives de Berne Epp. VI. 129. Simler. Vol. 69. Imprimee dans les Lettres fr. de Bonnet I. 290 et en anglais II. 239.)

Monsieur, combien que ie vous soye homme incogneu, toutesfoys ie croy que vous ne trouverez pas estrange que ie prenne la hardiesse de vous escrire, estant requis de ce faire par deulx personnes qui me doyvent donner assez dacces, assavoir Monsieur de *S. Martin* et vostre fille, qui sera aussy la raison qui me deporte de vous en faire plus longues excuses. Et aussi que iay entendu que mes lettres ne seroyent mal venues en vers vous, mais que vous auries la patience de les lire et penser au contenu, ce qui me donne bonne esperance quil y a bonne semence de Dieu en vous, laquelle na besoing sinon destre cultivee pour la faire germer et produire son fruict. Or pource que cest le but ou ie pretens, afin dy parvenir, ie vous prie devant toutes choses, premierement de considerer que cest loffice de tous chrestiens de ne point consentir aux abus qui rengnent au monde: mais plustost senquerir de la pure verite de Dieu pour y adherer, puis me vouloir escouter touchant la doctrine que nous tenons, non pas que ie vous en face declaration ample et entiere, mais seullement ie vous toucheray en peu de motz la somme de tous, tellement que par cela il vous sera facille de iuger quel est notre principal but. Quant au premier il y en a beaucoub qui demeurent en leur ignorence et superstition, par faute de vouloir seullement ouvrir les yeux, quant la clarte leur est presentee. Pource que ie vous tiens de ce nombre la, sans user de plus longues exortations, il me suffira de vous avoir adverty. Cest bien raison que tous chrestiens preignent garde comme ils doyvent vivre selon Dieu, pour nestre pas abusez a leur escient, voire dune chose de telle importance qui est le salut de lame. Cest chose notoyre que la chrestiente a este fort corrompue et abatardie, tant par la negligence des prelatz que gouverneurs, et par leurs bestises ou avarice et ambition. Ie nentens pas que ceste corruption soit seullement aux moeurs, mais qui pis est la doctrine et verite a este tournee en mensonge. Le service de Dieu a este pollue par superstitions infinies. Lordre de

1334. 1) *En titre:* Epitre de Ian Calvin au pere de Madamoyselle de S. Lorrans. *Personnages inconnus.*

gouverner lEglise a este renverse, lusaige[2]) des sacremens barbouille, tellement que tout y est confus. Si chacun ne sen appersoit pas, cest dautant quon ne reduyt pas le tout a la droicte reigle; mais si on fait comparaison de la religion et doctrine quon tient en la papaute avec la pure ordonnence de Dieu, on y trouvera plus de contrarietes quentre le iour et la nuyt. Ainsi, pour en bien iuger, il ne se fault pas tant arrester, ny a lauthorite des princes, ny a la coustume antienne, ny a son sens propre, quon regarde devant tout a ce que Dieu a commende ou deffendu, car il na point parle en cachette, mais a voulu que sa vollunte fust congneue des grans et des petis. Quant vous aures seullement ce point resolu, de vous rendre docille a Dieu pour acquiesser a ce que sa parolle contient, desirant de savoir quel est le droict chemin de salut, ce sera desia une bonne entree pour parvenir a la pleine congnoissance de ce qui nous est expedient de savoir.

La seconde requeste que iay dit que iavoys a vous faire, est de considerer paisiblement la somme de nostre doctrine, quant ie la vous aure touschee en brief, car il y en a beaucoub qui la reiectent et condemnent sans lavoir ouye, pource quilz sont preoqupes de mauvaise oppignion contre nous, qui destourne leur iugement. Ie laisse les blasmes et crimes que lon nous impose, pour nous rendre odieulx a tout le monde, mais tant y a que lon ne nous peult reprocher que nous pretendions a autre fin que de ramener le peuple qui a este esgare long temps, et le reduyre a son enseigne qui est la pure parolle de Dieu. Cependant nous demendons que tous differens soyent designez par la, et que chascun se renge a ce que nous savons estre veu[3]) de Dieu. Noz adversaires font un bouclier du nom dEglise, lesquelz ilz pretendent faulcement. Et cest le mesme combat quont eu de leur temps les prophetes et apostres, avec ceux qui usurpoient la preeminence en lEglise, faisant tout le contraire de leur office. Mais quoy, nous savons que lEglise est fondee sur la doctrine des prophetes et apostres, et quelle doit estre unie a Iesus Christ son chef, qui nest point variable. Ainsy ce nest quune Esglise bastarde ou la doctrine de Dieu ne regne pas. Suyvant cela nous desirons que Dieu soit servy selon ses commendemens, et reiettons toute facon de faire inventees a lappetit des hommes, car il nest pas licite aux hommes dimposer loix ny statutz sur les consciences et Dieu aussi sest reserve ce privilege de nous ordonner ce que bon luy semble. Voila pourquoy cest quon nous accuse davoir aboly et mis bas les ordonnences de nostre mere saincte Esglise, assavoir pource que nous disons avec Esaie et Iesus Christ, que cest en vain quon pense honorer[4]) Dieu par traditions humaines. Item, que nous disons avec S. Iaques, quil nya quun seul legislateur qui puisse sauver et demner. Or quant vous auries bien cherche, vous trouveries que tout ce qui est appelle de par dela service de Dieu, nest que pure invention forgee a playsir. Samblablement pource que lEcriture Saincte traictant de nostre salut, et ou gist toute nostre fiance diceluy, nous renvoye a la seule grace de nostre Seigneur Iesus Christ, nous declarant que nous sommes[5]) pouvres pecheurs, du tout perduz et inutilles a bien faire, nous tachons damener tout le monde a ceste grace, et quelle soit congneue et magnifiee comme il appartient, ce qui ne se peult faire sans abatre la faulce oppignion quon a de pouvoir meriter paradis. Par cela on prent occasion de nous accuser comme si nous ne tenions conte de faire bonnes oeuvres, enquoy on nous fait tort, car nous sommes plus deligens beaucoub a recommander quon vive sainctement que ne sont[6]) tous nos adversaires. Mais affin que les hommes ne sabusent point a une folle outrecuidence, enseignons que nous ne pouvons rien de toute nostre vertu, sinon entant que Dieu nous conduict par son S. Esprit, et encor que nous aurons tout faict, que ce seroit un appuy trop debille de fonder la nostre iustice, mais quil nous convient avoir tousiours nostre recours a la misericorde de Dieu, et au merite et passion de Iesus Christ, et que cest la que nous devons estre arrestez, ne reputant rien tout le reste. De la vient que nous disons aussi quon se doit adresser a Dieu en toutes prieres, car il nous appelle a soy, et dautant que nous sommes trop malheureux et indignes den approcher, il nous donne son filz Iesus Christ pour nostre advocat. Cest pourquoy on nous reproche que nous sommes ennemis des sainctz et sainctes, et que nous deffendons de leur porter honneur. Mais cest sens propos, car nous rendons aux sainctz lhonneur que Dieu leur atribue, seullement nous ne pouvons souffrir que lon en face des ydolles, les constituant au lieu de Dieu, ou de son filz nostre Sauveur, ce quilz ne demendent pas aussy, mais aucontraire le prennent a grand iniure, et quelque chose que soubz ombre de devotion on leur pense faire plaisir, et en demendent vengeance devant Dieu.

Les sacremens qui nous doyvent servir pour nous confermer en la verite de Dieu, et a le craindre, ont este renversez a merveillir. Quant nous mettons peinne de les reduyre a leur vray usaige et premiere origine, on nous veult faire accroire

2) l'imaige Bt.
3) *liscz:* venu.
4) trouver *Bt.*
5) que nous sommes *om. Bt.*
6) font *Bt.*

que nous les destruissons. Mais quant on voudra regarder a ce qui a este ordonne par le Maistre, il sera tout evident que nostre observation que nous tenons ne derogue en rien a ce quil en a dit. Vray est que nous navons pas la messe comme de par dela, mais nous avons la cene telle que Iesus Christ la nous a laissee, et noz adversaires ne peuvent dire le contraire, seullement ilz nous obiectent leur coustume pour toute raison, mais nous avons bien un aultre bouclier qui est le commendement qui doit estre inviolable iusques a la fin du monde. Faictes cecy, dit le texte, iusques a ce que ie vienne. Parquoy quiconques attente de rien changer iusques a lavenement de nostre Seigneur Iesus, se monstrent rebelles a luy.

Ie seroys trop long si ie poursuyvoys les autres choses que ie laisse a vous toucher pource quil me suffira bien quil plaise a Dieu de vous donner goust a ce que ie vous en ay touche. Esperant que par lecture plus emple vous pouviez estre encore plus informe [7]) des mesmes propos. Ainsi, Monsieur, apres mestre humblement recommande a vostre bonne grace, ie prie nostre bon dieu de vous guider par son Esprit, vous rendre du tout conforme a sa volunte, et vous envoyer ce quil congnoist vous estre bon et salutaire. De Genefve. [8])

Vostre serviteur,

Charles dEppeville.

---

7) *correction du copiste, qui avait d'abord écrit:* confermé: *leçon conservée par Bt.*

8) *Une main inconnue a ajouté:* 1549. *La lettre elle-même ne contient rien qui puisse déterminer la date.*

MDL.

1335.

VIRETUS BULLINGERO.

Mittit ei exemplar versionis gallicae libri eius de origine erroris.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Epp. Tom. VII. Part. I. nunc Plut. VI. Vol. 113, fol. 2153. — Simleri Vol. 72.)

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fratri et symmystae plurimum observando.

Tiguri.

S. Mitto ad te librum de origine erroris gallicum factum,[1]) prius missurus si fidus contigisset nuncius. Mihi dolet non fuisse characteribus melioribus excusum: sed id factum est ut minor esset libri moles et circumferri facilius posset. Sic enim se typographus studet accommodare Gallis hominibus, quibus piaculum est inexpiabile deprehendi cum huiusmodi libris. De rebus nostris, de statu ecclesiae et scholae, ac de vestra etiam consensione, scribam alias quum plus otii nactus fuero, quae spero vos non improbaturos. Nostri te omnes salutant officiosissime. Saluta meo nomine collegas et symmystas tuos. Vale. Lausannae Calend. Ianuarii 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1335. 1) *Bullingeri de origine erroris ll. II. prodierant Tiguri* 1539. *Quoad versionem gallicam, quam non vidimus, dicere non possumus an ipse Viretus eius autor fuerit. In actis senatus Genevensis ad 6. Aug.* 1549, *mentio fit libri cuiusdam quem hunc ipsum fuisse suspicamur:* Ung livre compose par Henry Bollingere predicant de Zurich lequelt a este visite par M. Calvin *etc.*

1336.

VERGERIUS CALVINO.

De historia Spierae et edita et denuo edenda. Ipse ad Rhaetos abire paratus est ibi ministerio functurus. Libellos quosdam italico sermone conscripsit.

(Exemplar authenticum Cod. Genev. 109, fol. 29 manu amanuensis scriptum, sed cum subscriptione autographa.)

Clarissimo viro Io. Calvino fratri optimo.

S. D. Literae tuae[1]) et duo libelli *Spierae,*[2]) quos ad me misisti, gratissimi fuerunt, pro quibus tibi gratias ago. Praefatio ipsa mihi vehementer placet: severitatem asperitatemque verborum, quae multum ad excitandum valent, laudo. Nam huiusmodi aculeis mortalium veternus iste laeteus * configendus fuit. Nos hic eandem historiam denuo edemus, cui addemus et alios qui eandem conscripserunt, ut quatuor eiusdem rei testibus munita in vulgus exeat. In his tua erit praefatio, quae suo loco suam obtinebit gravitatem, curaboque ut ad te, ubi editum fuerit, opus transmittatur: quod quidem facile per *Coelium* hic nostrum obtinebimus.

Sed de historia satis. Ego, mi frater, non puto me posse hoc tempore Genevam venire,[3]) quod quidem inprimis cupiebam. Oppidum in Rhaetis Italiae vicinum est[4]) quo ad pastoris ministeriique

1336. 1) *deperditae.*

2) *Cf. quae annotavimus ad N.* 1209, *not.* 3 *et* 1222. *Quos hic misisse dicitur duos libellos, ii ipsi fuerunt sine dubio quos a Vireto et Socino acceperat. De Calvini praefatione diximus Opp. T. IX. prolegg. p.* 70. *Caeterum patet ex h. l. Vergerii et Curionis editionem quatuor relationum ap. Oporinum non* 1549 *sed demum* 1550 *prodiisse, ut iam monuimus l. l. Apud Sixtum* (*Verger. p.* 125) *certi de hac re nihil reperies.*

3) *Quod eius consilium nuper fuerat* (*N.* 1304).

4) *Vicosoprano in Bregaglia* (*Bergell*). *Hyemem Basileae transigere decreverat, ubi Curionis hospes erat, libellos polemicos contra papam et cardinales scripturus, quum a Rhaetis vocaretur. Sixt, l. l. p.* 188, *qui tamen ex Meyero, Locarno I.* 53 *corrigendus est.*)

munus obeundum omnium votis vocor. Quod quidem mihi recusandum esse non puto, quod cum Christi gloria et ecclesiae eius fructu coniunctum esse non dubitem. Spero enim fore ut Itali eo confugiant, ut Genevam ad te veniunt Galli tui. Intra dies ad summum quindecim proficisci in animo est.

Edidi hic quaedam atque edo etiam nunc italico sermone conscripta,[5]) ut ea per Italiam commodius spargantur, quo fit ut sim brevior. Mitto una his exemplaria aliquot: misi etiam superioribus diebus quaedam per nuncium non satis certum, quae an acceperis scire cupio. Tu vero, mi optime frater, vale in Domino et pro me ora. Saluta fratres tuosque in Domini ministerio collegas. Salutat te quoque *Coelius* frater noster in Domino. Iterum vale. Basileae tertio Nonas Ian. M. D. L.

Petrus Paulus Vergerius.

1337.

BIRCHMANNUS BULLINGERO.

Tradit quaedam de Floriano Polono, exspectat exemplar consensus Tigurini, commendat sacerdotem Lovaniensem de caeremoniis pontificiis dubium, et alia quaedam obiter tractat.

(Ex autographo Arch. Turic. Plut. VI. Vol. 111, olim Epp. Tom. VI. Part. I. fol. 1488. Inscriptio abscissa. — Simler. Vol. 72.)

S. p. T. D. Literas 10. Decemb. scriptas accepi 12. Ianuarii. De *Floriani*[1]) integra fide non dubitavi, nec dubitabo. Illud saltem me movet, quod se clam Franckfordia insalutatis omnibus amicis subduxit, neque in hunc diem ubi agit indicavit. Non intelligo ex tuis literis ubi degit. Emit a me nonnullos libros, an pro te vel pro alio, ignoro. Credo illum suo famulo pecuniam servandam non commisisse.

Avide exspecto vestram et D. *Calvini* consensionem, et a sinceris hic exspectatur. Ante mensem ad sacram anchoram huc fugit Lovanio pius sacrificus et studiosus, qui meo suasu ad te scribere instituit, num hic vel alibi nostris caeremoniis interesse salva conscientia potest. Non satisfacit illi D. *Musculus.*[2]) D. *Calvini* liber de vitandis superstitionibus apud me iam non prostat. Senior comes a *Weda*[3]) relictis omnibus praebendis hoc titulo honoratur innato: Illustri et generoso *Friderico* seniori comiti in *Weda* domino in Ronchel et Isenburg etc. Eodem titulo et *Hermannus a Weda* senior, Coloniensis archiepiscopus. D. *Caesarius* brevi ad nos rediturus est. Speramus indies meliora ex Anglia. Optarem operam illius boni nobilis qui apud vos agit:[4]) posset nobis et omnibus piis sua lectione multum prodesse, donec iuvenem quendam mitterem qui correctorem sua lectione iuvaret. Scripsi D. *Montio*[5]) ut ad te mitteret disputata D. *Petri Martyris* de sacramento eucharistiae. Scio illum habere unum exemplar. — — — — — — Vale, mi D. *Bullingere*, et *Byrchmannum* amare perge. Anno 1550. 18. Ianuarii ex Colonia.

Tuus obsequentissimus
Io. Byrchmannus.

1338.

VIRETUS FARELLO.

Excusat silentium negotiis obrutus et sperans cum propediem cum Calvino Lausannam venturum.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. IV. N. 1.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observando

Neocomi.

S. Tam multis obruor negotiis ut vix respirare liceat. Ne igitur mireris si raro et paucis ad te

---

5) *Innotuerunt nobis haec illo tempore scripta:* Il catalogo de' libri li quali nuovamente nel mese di Magio nell' a. 1549 sono stati condannati et scommunicati per hereticì da M. G. della Casa legato di Venetia etc. 1549. — Dodici trattatelli fatti poco avanti il suo partire d'Italia. Basil. 1549. 1550. **1337**. 1) *Susligae Poloni, non ut Simlerus scribit Sudigae. De quo vide omnino quae annotavimus ad N.* 1192. *Videtur Bullingerus de eo iam tum suspiciones concepisse et apud Birchmannum de eius rebus et fatis inquisivisse. Verum non ante a.* 1551 *illi plane larva detracta fuit* (*Haller, Eph. p.* 90).

2) *in libro suo:* Eutychius Myon, Proscaerus (*N.* 1294).

3) *Fridericus de Wied, Hermanni episcopi Coloniensis frater, a.* 1523 *episcopus Monasteriensis factus, postea praepositus ecclesiae Bonnensis, a.* 1547 *ea praefectura privatus, quo tempore frater sedem resignavit* (*Sleidan. II.* 576).

4) *Fortasse Io. Butlerus, nobili genere natus, qui tum laute vixit extra patriam et tandem Turici pedem fixit.* (*Strype, Mem. I.* 1. *p.* 545. *Hoperus eum salutat in ep. ad Bullingerum d.* 27. *Dec.* 1549 *data ap. Parker. I.* 73.)

5) *Christophorus Mont, Eduardi VI. legatus ap. Helvetios et principes Germaniae evangelicos, eo tempore literas regis ad Bernenses attulit.* (*Parker-Soc. II.* 717.)

scribo. Huc accedit quod te brevi huc spero venturum ut promissis tuis satisfacias. Aderit et *Calvinus*. Nam simul atque Dominus nobis benedixerit [1]) utrumque faciam certiorem. Tum de omnibus copiosius colloquemur. Genevae comperi quietiora omnia quam antehac. Spes est in posterum melior. — — — — — — Lausannae 26. Ianuar. 1550.

1339.

SPINA CALVINO.

Calvini scripturae sacrae interpretis laus et desiderium. Parisiis iudex coelestis in verbi hostes animadvertere coepit. A papismi crimine se purgat.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 25.)

Monsieur Monsieur Charles dEspeville.

Quid ad te scribam non habeo. Multa hic [1]) quotidie accidunt quae diu ignorare non potes in tam frequenti hominum ad vos concursu. Audisti credo, quosdam e senatu esse pulsos. [2]) Qua id causa, latet: alias alii offerunt. Sed verisimile est Dominum sumpsisse suorum sanguinem vindicandum, nec iram diutius continere posse quin adversarios perditum eat. Coniicimus omnes id brevi futurum, et ut iudicia sua contra hanc gentem exerceat, et caedes iniustas, contemptum verbi, blasphemias, infinita denique huiusmodi horrenda scelera ulciscatur. Omnia tamen eius iudicio ac voluntati integra relinquimus. Nihil enim aut parum interest, puto, quo id modo faciat, dum regnum ipse suum constituat. Centies nos nostraque omnia pereamus. Quid refert? Dum gloria eius salva maneat.

Quam te amare et vita cariorem habere omnes pii constanter nunciant, et certe id ipsum multis modis comperimus. Quid enim aliud testificantur pervigiles curae et labores quos quotidie exhauris, ut plebem doceas, moneas, horteris, omnes corrigas, omnia diligenter facias quae te tuique similes deceant. Quid item aliud, quum nostri memor, qui suavissima voce et iucundissimo conspectu frui non possimus, ut sic etiam prosis, libros edis et vulgas, quibus utamur ad fidei nostrae aedificationem. Te in illis assidue, tanquam divinum aliquod pectus et praeclarum spiritus sancti organum, amplector et admiror, praesertim in commentariis tuis qui in epistolas superioribus annis apparuerunt. Sed, pater, (te enim merito patrem appellare possum, qui me et alios innumeros in Christo libris genuisti, et eisdem universam ecclesiam alis) hoc nobis adhuc dato ut quod reliquum est absolvas. Tu operis caput et praecipua membra formasti de quo immortales tibi debemus gratias. Summa tantum manus desideratur, ne, si opus imperfectum reliqueris, non exstent posthac qui ad finem illud perducere aut possent aut audeant. Epistolae ad Thessalonicenses te tuamque operam postulant, ut veniant in lucem et a nobis conspici possint. [3]) Non tibi parcimus. Labores laboribus cumulamus. Tua enim conditio ac pietas indies progrediendo illustrantur, augentur et confirmantur. Quo fit ut haec apertius cognoscentes eo ardentius amplectamur et gratiarum, quibus te ornavit Dominus, fructum expetamus. Itaque ignoscas nobis si molesti simus. Orabimus Deum ut tibi adsit pro nobis laboranti. Vale. Salutant omnes fideles qui hic sunt.

Tuus Acanthius.

Quum ego has iam obsignassem retulit mihi frater noster cui istas ad te dedi, vulgari apud vos, quod horrendam istam coenae Domini profanationem probem et defendam, atque etiam aliis persuadeam ut id mecum faciant, praesertim vero D. *Laudensi*. [4]) Deum testem, angelos eius et meam ipsius conscientiam invoco, si unquam id mihi in mentem venerit. De D. *Laudensi* hoc tibi confirmo, nihil illi esse exsecrabilius, quantum ex eius sermone et moribus deprehendi potest. Non nisi rarissime illam adit, neque ut probet, sed ut alii, quod per saevitiam et carnis infirmitatem nondum viam facere possit quam optaret. [5])

1338. 1) *Uxor eius partui tunc proxima erat. Vide Calvini ep. N.* 1329. *Caeterum ex sequentibus epistolis colligi nequit hunc et Farellum ante Pascha Lausannae fuisse.*

1339. 1) *Parisiis.*

2) *Cave te falli sinas hoc ad casum Annae Du Bourg et quinque consiliariorum parlamenti m. Dec.* 1559 *in vincula coniectorum relato. Hic e contrario tales depinguntur quos hostibus evangelii adnumerare poterat. Liber cui titulus est:* Histoire des choses memorables depuis 1547 etc. (ed. 1589 p. 13) *ad init. a.* 1550 *haec habet:* En mesme temps trois Presidens de Paris, peu agreables à la maison de Guise, furent desapointez de leurs estats. *Erant illi St. André, Minard et Liset. Duo priores mox restituti fuerunt.*

3) *Praefatio ad Comm. in primam ad Thessalonicenses scripta fuit d.* 17. *Febr.* 1550. *Ita hoc quoque desiderium autoris demonstrat hanc epistolam hoc fere tempore scriptam fuisse.*

4) *Nomen dubium et ignotum.*

5) *Vides istos usque missis celebrandis interfuisse, quas tamen detestari affirmant. Igitur nihil obstat quominus hunc Acanthium eundem esse dicamus ac Spinam illum (de l'Espine) quem historici perhibent demum multo serius ad sacra evangelica transiisse.*

1340.

VIRETUS FARELLO.

Rogat ut adsit Lausannae cum Calvino particeps futurus novi gaudii ex filiola feliciter nata familiae parati.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium Epp. Vireti fasc. IV. N. 2.)

Eximio Christi servo Guilielmo Farello ecclesiae Neocomensis pastori fratri et symmystae quam carissimo

Neocomi.

S. Vereor nimis esse importunus et tua nimis abuti amicitia nunc te huc accersens,[1]) nisi hoc scirem tibi tam gratum fore quam futurus est tuus adventus non solum mihi sed toti mox familiae et collegio nostro iucundus. Huc accedit quod, quum id ultro postulaveris ut facerem, reprehensionis iustae non possem notam effugere, nisi te facerem novi nostri gaudii ex nova prole suscepti participem: quod futurum erat maius si pro puella marem Dominus dedisset. Sed quia ei aliter visum est, est et hoc munus novae in nos Dei benevolentiae et benedictionis testimonium, tanquam ex manu eius cum gaudio excipiendum, maxime vero quod matri et foetui tam benignus affuerit ut nihil desiderari amplius possit. Mitto et ad *Calvinum* nuncium, qui si non est morbo impeditus, non dubito quin sit mox advolaturus. Audivi eum proximis diebus nonnihil catarrho laborasse. Spero convaluisse, aut saltem in eum restitutum gradum qui eius non prohibeat ad nos adventum. De rebus nostris, ubi veneris, copiosius colloquemur. Scripsi ad *Barbarinum* de schola Budriacensi quod mandaras per *Claudium* fratrem. Salutat te uxor et filiolae et mei omnes. Saluta collegam et amicos meo nomine. Vale. Lausannae Calend. Febru. 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1341.

SOCINUS CALVINO.

Dolet ei quod quaestionibus suis Calvino taedium creaverit.

(Ex autographo Cod. Gothani 405, fol. 121. Edidit Bretschneider p. 199.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis episcopo egregio

Genevae.

Deus novit, qui singulorum corda ac renes scrutatur, quod nulla arrogantia, nulla curiositas aut rixandi libido, quin potius fortis quaedam discendi flagrantia istuc me adduxit et rapuit, ut ex te percontarer quod a te doceri posse sperabam, et ecce quod nunc tandem me falsum intelligens[1]) te non ultra obtundo. Sed errati, si quid est, veniam suppliciter peto, quam si negas, certam saltem constituere poenam ne detrecta, eamque gravem decerne quantum libet: tantum meis literis aditus ad te non praecludatur omnino, quandoquidem proxime ita me terruisti, ut vix ausus fuerim hisce pauculis tuam appellare clementiam. Vexabat quod etiamnum pungit studium arctius amplectendi Iesum meum primogenitum Dei, et in ipso patrem aeternum Deum: sed excruciat iam vehementius multo, illa recta me petiisse, dum censeo in suspicionem incurrisse nescio cuius, eius certe a quo ut longe abesse nunquam non cavi, ita habitum nunc fuisse apud te semper displicebit. Solare igitur, solare eiectum me, si plane reiectum non vis, ut spero: Dominum orans continenter suos electos omnes conservet a bestia illa cornigera, spiritu oris sui paulatim contundenda atque in nihilum interimenda, idque cito cito.

Gratias tibi ago maximas quod scripseris *Vergerio*,[2]) qui nuper, quum hac penetraret ad Rethos,[3]) mandavit quod et nunc exsequor: eius, inquam, nomine salutem tibi dico plurimam, meo autem felicitatem omnem in Dei gloriam exopto maiorem. Tiguri p° Februarii 1550.

Tui observantissimus
Laelius Sozzinus.

1342.

CALVINUS FARELLO.

Queritur de adversa sua valetudine. Nova tradit ex Germania et Anglia. Fata epistolae suae ad

1340. 1) *scil. ut baptismati filiolae modo natae interesset.*

1341. 1) *Haec lucem suam habebunt ex primis versibus ultimae Calvini epistolae N.* 1323. *Fortassis etiam Beza nonnulla ibi suppressit, nam ex sola eius editione ea nobis superest et clausula nimis abrupta videtur.*

2) *Calvini epistola qua ad N.* 1336 *respondit deperdita est.*

3) *Rhaetos. Vide ibid.*

Protectorem narrat. Gerardi typographi segnitiem notat, tam in sua Institutione aliaque scriptiuncula quam in Farelli libro edendo molestam. Ancillam Farello commendat.

(Ex Cod. Gothano 404, fol. 8. Scripta est ab amanuensi qui se ipse in fine nominatim introducit, Calvinus subscripsit manu propria. Edidit Bretschneiderus sed minus accurate, p. 29. Anglice legitur in ed. Edinb. II. 248.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri mihi carissimo.

Quum pridem multas a me literas habueris,[1] nihil tamen nunc habere me novi puto quod scribam. Quamdiu *Thomas*[2] hic noster fuit vel cum tussi conflictatus sum, vel catarrhi mihi infesti fuerunt: nunc migrania me exercet, tametsi iam hora est ex quo mitescit. Bene habet quod non desino me utcunque[3] trahere et defungi necessariis officiis. Sed id facio lente, pro more meo. Interim multum temporis absumitur a morbis quod in labores utiles impendi debuerat.

Ex[4] Germania nihil audimus, nisi quod Imperatorem Deus quarundam navium clade mulctavit.[5] Utinam morbus eum a maleficiis prohibeat.[6] In Anglia scis tutorem Regis liberatum.[7] Nec ignoras puto quid meis literis acciderit.[8] Praefectus Calesii eas nuncio ereptas in aulam ipse tulit, postea nuncio reddidit, qui, antequam regio tutori eas redderet, obtulit *Cantuariensi*, ut ab ipso peteret consilium. Ille biduo retentas iterum illi reddidit. Nuncius timens ne id captiose fieret, vel ne accerseret capiti suo periculum, quod alii tam sollicite cavebant, regio consilio eas obtulit: quanquam ut id faceret monitum a bonis et prudentibus viris fuisse arbitror. Iam responsum exspecto. Quidquid afferetur, mox dabo operam ut rescias.

Quod liber tuus[9] nondum prelo subiectus est, pigritiane Ioannis *Gerardi*[10] factum fuerit, an quod res habet domi confusas, an quod parum consulte multa agit,[11] asserere non audeo. Certe saepius cum eo de hac re egi, et serio obtestatus est. *Normandius* quoque aliquotics ut properaret mandavit. Ita Institutio quae ante mensem absoluta esse debuerat, nondum ad finem perducta est.[12] Hoc tibi breviter testatum volui, ut scires nihil a me fuisse praeteritum. Quum obiurgo, parum movetur, nisi quod se facturum primo quoque subinde promittit. Vale, frater et amice integerrime. Dominus te spiritu suo regere pergat, teque privatim ac familiam tuam servet. Salutabis meo nomine diligenter symmystas, praesertim collegam tuum et *Fatonum*.[13] Genevae quarto Nonas Februarias.[14]

1432. 1) Although you have not had a long letter from me. *Quod quidem falsum est, sed et latinus textus nobis suspectus est, et facile nobis persuaderi pateremur Calvinum dictasse*: nullas, *non*; multas.

2) *Fortasse De la Planche minister in agro Neocomensi.*

3) utrumque *B.*

4) De *B.*

5) *Alludit fortassis ad excursiones piratae Draguti qui urbe Afrikija s. Mehdia in ditione Tunisiaca potitus oram maritimam prope Valentiam et Genuam infestabat. Contra quem vere* 1550 *Imperator expeditionem paravit, adiuvantibus Pontifice, Duce Florentiae et equitibus S. Ioannis.* (*Ranke, d. Gesch. V.* 115 *sq.*)

6) *Ranke p.* 83 *ad vivum depingit tristem viri podagrici valetudinem.*

7) *Constat Somerseti ducem m. Februario liberatum fuisse, quum fere bimestri captivitate detentus fuisset. Sunt inter historicos qui hanc liberationem iam ad* 6. *Febr. referant. Noster probabiliter falsum sequutus est rumorem. Calesium est Calais, quod Anglus ignorasse videtur.*

8) *Eas ipsas innui credimus quas suadente Bucero* (*N.* 1240) *scripserat. Vide N.* 1281, *not.* 2.

9) *Prodiit hoc ipso anno et quum rarissimus sit pauca ex prooemio delibare libet ut tu gustum aliquem inde percipias. Titulus est:* Le Glaive de | la Parolle ve- | ritable, tiré con- | tre le Bouclier de defense: duquel vn Cor | delier Libertin s'est voulu seruir, pour approu- | uer ses fausses et damnables opinions, Par M. Guillaume Farel. (*Enseigne du glaive flamboyant*) Hebr. 4. | La parolle de Dieu est viue et d'efficace. | A Geneue, | Par Iean Girard, | 1550. *Page* 1 . . . Comme chascun a veu et peu pleinement cognoistre en ce miserable et maudit Quintin et tous ceux qui sont de sa bende: qui, comme clairement a monstré ce grand et excellent serviteur de Dieu Calvin, ne font que se moquer de Dieu, de sa Parolle, de toute la saincte Escriture, de tous les serviteurs de Dieu, de tous les vivans: et par un iargon plein de toute confusion ne taschent qu'à confondre et abysmer tout. Et tout ainsi comme ie l'ay experimenté il y a aucuns Papistes qui parlent plus mal de Iesus nostre Sauveur que les diables n'ont osé quand ce bon Sauveur les chassoit . . . . . Ie n'ay deliberé pour le present m'arrester a les poursuivre, veu que par la grace de Dieu nostre bon frere Calvin a pleinement satisfait à tous ceux qui ont quelque iugement, confondant et destruisant ceste tant puante secte des maudictz Libertins. Mais puis qu'un Cordelier, qui avec les vertus de son ordre a conioinct tout ce qui est de Quintin et a mis en avant Vn, comme il le nomme, bouclier de defense, i'espere à l'ayde de Dieu, combien que ie ne suis des meilleurs champions, ne des plus exercitez au glaive d'Eprit . . . . . ie toucheray ainsi ce povre abusé et tous les seductz et seductes qui sembleroyent avoir quelque apparence et eviter ignominie, iugement et la vengeance de Dieu, qu'ilz seront tellement desnuez et desarmez que tous facilement verront comme le Glaive de Dieu les extermine . . . . . Et quand Quintin, Pocque et ce Moyne seroyent gens de la vie plus pure que les Anges, si seroyent ilz à bon droict appelez puans, paillards et ruffiens, de tant qu'ilz ouvrent la porte a toute puantise . . . . . Parquoy voyons en ce Bouclier quelle doctrine il y a. *etc.*

10) *sic hoc loco. Saepius Girardus audit ut hic quoque apud Br., et in impressis.*

11) prius consulte multa legit *Br.* He has made deliberate choice of many things before it. *Anglus.*

12) *Mensem et diem quo Gerardina Institutionis editio publici iuris facta est a.* 1550, *typographus in calce libri, in Prolegg. nostris Tom. I. p.* 34 *fusius descripti, non indicavit.*

13) Fatenum *Br.*

14) *Farellus adscripsit* 1550.

Appendicula de infantium qui ex fidelibus geniti sunt sanctificatione et baptismo muliebri adhuc [15]) sub prelo est, quanquam non nisi bidui operam postulabat. [16]) Quod vereris ne aliquid veneni evomant bestiae quas ego lacessivi, ego huius rei plus quam sum securus. Vale iterum.

Ioannes Calvinus tuus.

Aiunt te indigere ancilla. Quanquam de ea re nihil abs te intellexi, neque a fratribus tuis, quia tamen ex aliis sic audio indicare tibi volui, esse hic mulierem iam provectae aetatis quae pia et proba habetur, deinde sedula, quae libenter suum ministerium tibi impenderet, si posset esse usui. Amici omnes te plurimum salutant ac praesertim D. *Normandius*: hoc tamen praesertim nihil elevat ex aliorum pondere. Id quod facit et huius epistolae scriba *Veronius*. [17])

1343.

VIRETUS CALVINO.

Gindronum nuper aegrotum et de Calvini a se alienato animo querentem huic commendat, aut consolandum aut admonendum prout res postulaverit. Hotomannum moderatorem factum primae classis nunciat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 181.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Quum nuper Franciscus *Gindronus* [1]) podagra laboraret, eumque invisissem decumbentem, conquestus est quod sibi videretur ab omnibus veteribus amicis contemni ac deseri. Ac inter caetera sese mirari dicebat quod, quum multis diebus istic apud vos egerit, perinde te erga se gesseris atque si tibi omnino ignotus fuisset. Mirabatur istam animi tui mutationem et a se alienati significationem. Quum autem hic in morbum incidisset, ego vero ignarus essem, non solum qua esset valetudine sed an in urbe esset, suspicabatur tamen, quia non invisebam, aut tua opera me ab se, aut te mea alienatum. Respondi quod res mihi postulare videbatur. At tum non venit in mentem mali cuiusdam de eo rumoris * de quo istic audieram, quem postea suspicatus sum huius ab eo alienationis, de qua conquerebatur, aliquam praebuisse occasionem. Qua de re nuper tibi verba facturus eram quum hic esses, si non memoria excidisset. Nunc vero, posteaquam istuc redit, ne quid de nobis queri possit, te oro ut, si quid habes quo te offenderit, eum admoneas, ut intelligat iustam tibi fuisse alienationis causam, et si fieri potest tuis monitis in viam reducatur. Interea si quid eum consilio aut auxilio iuvare potes, ut ex illa controversia semel explicetur quae illum istic tam diu detinuit, quaeso ut pauperculae eius familiae pro tua virili adsis apud amicos, quantum tua negotia patientur. Fac saltem intelligat, te animum benevolum erga se retinere, aut, si quid est de pristina detractum benevolentia, iustam tibi fuisse occasionem. Haec lubens ad te scripsi quia consolatione eget, et amicorum consiliis et monitis.

Ex quo hinc abiisti nihil accidit scriptione dignum, nisi quod *Hottomannus* admissus est a senatu Bernensi, cum stipendio satis iusto, ad moderandam primam classem. [2]) Habet in singulos menses coronatos tres et tritici mensuram quam cuppam vocant. Nullus antehac in ea functione tanto donatus est stipendio. Admissus est *Pinagerius*. [3]) Nostri te omnes salutant. Saluta D. *Normandium* et alios amicos, et apud Guilielmum *de Trie* cura quod te facturum recepisti. Salutat te commater et filiola. Vale. Lausannae 12. Febru. 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1344.

BEZA BULLINGERO.

Gratulatur sibi ob eius et aliorum clarorum virorum amicitiam qua iam fruitur. De libello suo

15) aeque *Br.*

16) *De hac appendice ad Interim adultero-germanicum vide Prolegg. nostra ad Opp. Tom. VII. p. xlij, Henry II.* 372 *et App. III.* 211.

17) *Sic, ni fallimur, hic legendum nomen lectu difficilius. Alioquin recurrendum foret ad ep. Favelli d.* 3. *Aug.* 1550 *scriptam, ubi salutatur Genevae aliquis Vernonius.*

1343. 1) *olim sacerdos, qui a.* 1537 *ad sacra evangelica transiit et monialem ex monasterio Bellevaux in matrimonium duxit, Helenam Aygre (Herm. IV.* 233. *Galiffe II.* 26). *Nomen, an eiusdem viri, iam alibi occurrit v. N.* 404. *Caetera quae hic dicuntur de eo aliunde nobis cognita non sunt.*

2) *Quod ergo non iam a.* 1547 *factum est, ut habent Ruchatius et Haagius. Cf.* 1308, *not.* 5 *et alias nostras superiores annotationes.*

3) *Verbi minister in classe Gaiensi (N.* 1354).

adversus Cochlaeum scripto modeste loquitur. In ecclesia non omnes talem zelum ostendunt qualem deceret et multa adhuc reformanda supersunt.

(Authenticum exemplar non exstat, quod sciamus. Apographa varia contulimus, Genevae in Cod. 119, fol. 175, ad quod textum potissimum conformamus, Bernae in Epp. VII. p. 143, et Turici in Coll. Simleriana Vol. 72, ex qua fluxit textus ap. Baumium impressus, Beza I. 412. Exemplaria hinc inde variant, et passim Simlerianam lectionem praeferendam duximus.)

Vigilantissimo et integerrimo ecclesiae Tigurinae pastori D. Heinrico Bullingero.

Agnosco, optime mi pater, verum id esse quod Dominus suis pollicetur, ne poculum quidem aquae frigidae illis periturum. Nec enim habeo vilius quidquam cui comparem quidquid illud est quod adhuc praestiti ecclesiae Dei, ex quo tamen uberrimum fructum capio amicitiae erga me tuae: quam ego quidem certe tanti facio ut cum omnibus regum thesauris commutare nolim. Sed in eo singularis apparet humanitas tua, quod me homuncionem plane nihili ita es amplexus, ut etiam literis me tuis digneris compellare. At ego vicissim quid tibi offeram? Id ipsum scilicet quod iam olim tibi et absenti et ignoranti detuli, hoc est, me ipsum meaque omnia, iam tum quum in misera nostra Gallia tuos et aliorum aliquot sanctissimos libros legens sic mecum cogitarem: Hem quamdiu in his papismi sordibus volutabor? quando futurum est ut tot vere pios homines loquentes audiam? eorum coetibus intersim? una cum illis confitear Deo coeli, et calamitosum hoc vitae curriculum beatus conficiam? Haec tum erant mea vota, quorum longe maximam partem ille idem mihi concessit qui fecerat ut de illis cogitarem. Id enim primum mihi praestitit, de quo utinam in ipso perpetuo gloriari possim, ut patriae fortunisque omnibus crucem anteponam. Deinde accessit DD. *Calvini, Vireti, Musculi, Halleri* amicitia, Deus bone, quorum hominum? Quos ego quum cogito mihi esse amicos, tantum abest ut aliquam exsilii molestiam sentiam, ut contra usurpem Themistoclis illud: Perieram nisi periissem. Nunc autem quum me tibi non tantum cognitum, sed etiam, quod sperare me tenuitas mea non sinebat, carum esse videam, longe plura quam exspectaram certe sum consequutus. Itaque tantas tibi gratias ago quantas is potest qui tibi omnia se debere libens confitetur.

Iam vero de *Cochlaeo* quod scribis, in eo quoque agnosco singularem modestiam tuam, quod nostras illas nugas non sis aspernatus. Meras certe nugas: sed meliore nempe scripto dignus vir ille non fuit, [1]) ut iam mihi placere incipiat consilium meum, ridiculos istos moriones ita potius tractandi, quam ut te ipsum fecisse video qui rationibus cum illo certare maluisti. [2]) Habeo tibi quoque gratiam de D. *Vergerii* ad me literis, simulque rogo (agam enim iam tecum familiarius) ut meas ad illum cures vicissim perferendas. [3])

Quod ad Tridentinam coniurationem [4]) attinet, Antichristus romanus non fefellit exspectationem nostram, sed hoc scio fore ut eum spes fallat. Dominus enim ecclesiam suam conservabit. Interim pudet me profecto, quum nostrorum ignaviam confero cum adversariorum vigilantia: atque hic libere apud te dicam quod sentio. Plurima requiro in ecclesiis nostris, sed hoc praecipue tempore optarem, ut quum adversarios videamus una conspirare ex singulis etiam Helvetiae et vicinae regionis ecclesiis aliquot fratres communi ministrorum iudicio delecti convenirent, de collapsa ecclesiae disciplina deque imminentibus periculis os Domini consulturi. Optarem quoque nos saltem Ninivitas imitari: vident enim omnes, vel caeci, quam merito in nos exardescat Dominus. Sed quoniam etiam publice fieri ab omnibus oporteret, nemo paene est qui Domini faciem praeoccupet. Conqueruntur omnes de calamitatibus ecclesiae, paucissimi iram Domini deprecantur, nemo proximorum animadversionibus commovetur. Magistratus se putat officio praeclare functum quum aliquot edicta promulgavit. Ministrorum vani sunt clamores, quum publica scandala vel negligantur, vel ea severitate non prohibeantur quam merebatur hominum improbitas. Friget zelus Domini. Hic quidem principum mandata palam impune violantur. Quadragesima non minore religione observatur quam apud meros papistas: potationibus, blasphemiis, scortationibus perstrepunt omnia. In concionibus mira solitudo. Ut paucis dicam, miserabilis est ecclesiae facies. Scio quantum apud utramque rempublicam, [5]) apud plerosque principes, valeat autoritas tua. Itaque te obtestor per Dominum Ie-

---

1344. 1) *Contra Calvini libellum de Reliquiis, prodierat nuper:* De sacris reliquiis Christi et sanctorum eius contra Io. Calvini calumnias et blasphemias responsio per Io. Cochlaeum. 1549. 12. *Cui Beza opposuit satyram hoc titulo ornatam:* Brevis et utilis Zoographia Ioannis Cochleae, Theodoro Beza Vezelio authore 1549. Mense Augusto. *Recudi curavit Baumius in suo Beza.* I. 357 *ss. vide ibid. p.* 123 *ss.*

2) Ad Io. Cochlaei de canonicae scripturae et catholicae ecclesiae autoritate libellum, pro solida scripturae canonicae autoritate, tum et absoluta eius perfectione veraque catholicae ecclesiae dignitate Heinrychi Bullingeri orthodoxa responsio. Tiguri ap. Froschoverum. Mense Martio 1544. 8.

3) *Vergerius iam in Rhaetiam abierat, quo per Turicum commercium epistolicum curari debebat.*

4) *Concilium interruptum erat iam per totum biennium. Paulus III. obiit antequam aliquid decreverit sive de suspendendo sive de continuando (Pallavic. l. XI. c. 4). Card. Del Monte qui Tridenti praesidis vice functus erat hoc ipso tempore pontifex creatus fuit.*

5) *Turicensem puta et Bernensem.*

sum, cui omnes ministramus, ut communem ecclesiarum causam in periculis communibus adiuvandam suscipias.

Haec sunt, optime mi pater, quae hoc tempore putavi ad te perscribenda, nimium fortasse confidenter: sed, ut consilium meum non probes, voluntatem certe meam, ut opinor, non improbabis. DD. *Pellicano*, *Bibliandro*, *Gualthero*, quos ego viros nunquam a me conspectos et veneror et suspicio, caeterisque fratribus cupio de meliore nota commendari, D. quidem *Gesnero* [6]) inprimis, ad quem non scribo, ne, ut inquit ille, in publica commoda peccem. Bene vale. Dominus Iesus ecclesiae suae quam diutissime te salvum et incolumem praestet. Lausannae 14. Calend. Martii. D. *Viretus* et fratres symmystaeque omnes te salutant.

Theodorus Beza ex animo tuus.

1345.

CALVINUS CORDERIO.

Epistola qua ei Commentarium in priorem ad Thessalonicenses dedicavit.

(Ex editione principe Genev. ap. Gerardum 1551.)

Eximiae pietatis et doctrinae viro Maturino Corderio Lausannensis scholae moderatori.

Te quoque in partem laborum nostrorum venire aequum est: cuius ductu in literarum stadium ingressus huc saltem usque progressus sum ut ecclesiae Dei aliquid prodessem. Quum puer, gustatis duntaxat latinae linguae rudimentis, Lutetiam a patre missus essem, mihi divinitus ad exiguum tempus oblatus fuisti praeceptor, qui veram discendi rationem sic traderes, ut deinde possem aliquanto melius proficere. Nam quum primo ordini summa cum laude praefuisses, quia discipulos ab aliis magistris ambitiose formatos, meras tantum ampullas, nihil solidi afferre videbas, ut tibi de integro fingendi essent, huius molestiae pertaesus eo anno ad quartam classem descenderas. Tuum quidem hoc consilium fuerat: sed mihi singulari Dei beneficio talis disciplinae auspicium contigit. Tametsi vero brevem eius usuram capere licuit, propterea quod ab homine stolido, cuius arbitrio vel potius libidine studia nostra regebantur, altius mox traducti fuimus: sic tamen institutione tua deinde fui adiutus, ut progressus, qualescunque sequuti sunt, tibi merito acceptos feram. Atque hoc posteris testatum esse volui, ut si qua ex meis scriptis ad eos perveniet utilitas, aliqua ex parte abs te manasse agnoscant. Genevae 13. Calend. Martias, 1550. [1])

1346.

VIRETUS CALVINO.

Riverii fratres Lausannae pedem figere quaerunt, quos Bernensibus commendare oportet. His iam accensendus Hallerus a Turicensibus manu missus. Ferronius ibidem se insinuare quaerens repulsam tulit. Argentorati missa restituta.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 182.)

Insigni Iesu Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae plurimum observando.

Genevae.

S. Fratres *Riverii* bibliopolae [1]) huc se contulerunt, consultaturi nobiscum de futura calcographia

---

6) *Quem apud Bituriges olim in Volmarii domo cognoverat. Quam familiaritatem renovavit uterque missis vicissim scriptis, cf. Baum, Beza I.* 122 *sqq.*

1345. 1) *Mathurinus Cordier, natus a.* 1479, *professor erat in collegio de la Marche, quo tempore Calvinus anno aet. decimo quarto Lutetiam venit. Beza in Vita Calvini:* Praeceptorem habuit in gymnasio Marchiano M. Corderium spectatae tum probitatis tum eruditionis virum, et insignem semper habitum in omnibus fere Galliae scholis iuventutis erudiendae magistrum. *Idem in praef. ad Comment. in l. Iosuae Calvinianum* 1565 *p.* 6: Entre autres precepteurs il eut pour son commencement au college de la Marche M. Maturin Cordier, un fort bon, personnage, de grande simplicité, et fort soigneux en son estat, lequel depuis a use sa vie enseignant les enfans tant à Paris qu'à Nevers, Bordeaux, Geneve, Neufchastel, Lausanne, et finalement derechef à Geneve. *V. Bonnet, in Nouveaux récits du* 16e *siècle p.* 1 *ss. Quicherat, Hist. de Ste Barbe, perperam in hoc Gymnasio Corderium Calvini praeceptorem fuisse dicit. Fortasse paedagogus ille, quo Noster simul cum filiis D. de Montmort utebatur, eos tam cito ex collegio Marchiano alio deduxit. Beza l. l. p.* 7: Depuis ledit Calvin demeura aussi au college de Mont-aigu sous un precepteur en classe Espagnol de nation, et aussi en chambre sous un precepteur Espagnol qui depuis a este docteur en medecine.

1346. 1) *Adamus et Ioannes Riverius nobis eo tantum nomine noti sunt quod anno* 1554 *editionem Institutionis Calvinianae in forma minori satis nitidam ex sua officina prodire iusserunt, de qua vide Prolegg. Opp. Tom. I. p.* 38. *Gaullieur (typogr. genevoise) nullum eorum librum recenset et semel eos nominat ad a.* 1559 *p.* 178.

quam erigere meditantur. Quid hic egerint si cupis cognoscere, ex iis discere licebit. Si res eo usque progrediatur ut de ea sit ad Bernates referendum, literae tuae magno eis essent adiumento apud *Musculum* et *Hallerum*. Quod si rem dignam tua commendatione iudicas, non dubito quin hoc eis facile concessurus sis, quantum expedire censueris. Eadem opera tum nobis quoque curandum erit, ut certi aliquid statuatur de libris excudendis, et regula, qua tum typographos, tum librorum edendorum autores constringere Bernenses volent.[2]) Non ignoras qua nos lege urgeant, et quae sit ea de re nostra sententia. Tractandum erit hoc negotium cum *Hallero*, *Musculo* et Tigurinis, sed suo tempore.

Hallerus confirmatus est Bernensis ecclesiae minister, autoritate senatus Bernensis et Tigurini.[3]) Mitto ad te literas quas ad me misit ut ad te curarem perferendas. Scripsit *Ferronium* fuisse Bernae, ac viam tentasse qua se in gratiam insinuaret senatus, sed repulsam accepisse. Qua re indignatus reditum videbatur ad papistas minari. Huc reversus venit ad me, sed de rebus suis ne verbum quidem. Ego vero ne rogavi quidem. Tempus exploraverat quo *Crantius* eo erat profecturus, sed frustra. Suspicatur aut a vobis aut a nobis scriptum aliquid ante, quo eius praeverterimus adventum. Hanc auget suspicionem quod ait sibi dictum a familiari quodam, senatum fuisse offensum quod se fingeret pauperem, quum tamen episcopum haberet in Galliis qui ei pecunias suppeditaret. Non puto quemquam vestrum aut nostrum quidquam tale de eo scripsisse.

De missa Argentoratensi,[4]) quia arbitror te brevi literas *Sultzeri* accepturum, nihil in praesentia scribam. Scripsit enim se copiose ad *Farellum* scripsisse, qui literas nobis esset communicaturus. Erat enim afflicta valetudine. Socer *Quintini* in Galliam profectus est. Impetravit enim literas commendatitias a Basiliensi et Bernensi senatu ad Regem. Huius te voluit admonitum, ut si quid haberes quod tua causa et amicorum praestare possit admoneres in tempore. Salutant te nostri omnes, nominatim vero puerpera et filiola. Saluta *Normandium* et reliquos amicos. Gaudeo vobis datos syndicos satis ex animi vestri sententia.[5]) Vale. Lausannae 20 Febru. 1550.

Tuus Petrus Viretus.

2) *Haec ita sonant ut dixeris novam rem tunc fuisse typographiam apud Lausannenses.*

3) *Initio Ianuarii Rud. Erlacensis et Jac. Thormann Turicum missi sunt Hallerum in perpetuum concedendum Bernensibus petituri. Consensit senatus Turicensis d. 8. Februarii.* (*Mausol. Bern. II.* 511) *Hallerus ipse* (*Eph. p.* 88) *simpliciter refert, m. Martio in suum locum electum esse Lud. Lavaterum Consulis filium.*

4) *Quam episcopus a.* 1549 *in Natalibus Domini prima vice celebrare voluerat, sed a magistratu impeditus de quibusdam rebus cum eo disceptante, nonnisi in festo Purificationis* 2. *Febr.* 1550 *voti compos fuit factus. Descriptionem satis lepidam reperies ap. Sleid.* III. 192. *Cf. Roehrich* II. 215. III. 3.

1347.

CALVIN A LORD SOMERSET.

Félicitations et exhortations à l'occasion de sa réintegration dans ses dignités.

(Copie ancienne de la Bibl. de Genève MS. 107a, fol. 378; copies modernes MS. 119, fol. 3. Berne, Epp. VII. p. 148. Imprimée dans les Lettres fr. de Bonnet. T. I. p. 305, en Angl. II. 243 et dans les Epp. Tigur. p. 456.)[1])

Monseigneur, ce que iay si long temps differe a vous escrire, na pas este par faulte de bon desir, mais ie men suys abstenu a mon grand regret, craignant que durant les troubles qui ont este, mes lettres ne vous fussent occasion de nouvelle fascherie. Maintenant ie rendz graces a mon Dieu de ce quil ma rendu lopportunite que iay attendue iusques icy. Et ne suys pas seul qui me suys esiouy de la bonne issue que Dieu a donnee a vostre affliction, mais tous vrays fideles desirans ladvancement du Royaume de nostre Seigneur Iesus Christ, daultant quilz scavent la peine et solicitude que vous avez prinse a ce que lEvangile fust restitue en son entier par dela, et que toutes superstitions fussent abbatues. Et ne doubte pas que vous ne soyez prest a faire le semblable pour ladvenir, entant que vous en aurez le moyen. Quant a vous, Monseigneur, non seulement vous avez a recongnoistre le bien que Dieu vous a faict en vous tendant la main pour vous delivrer, mais aussi avoir souvenance de sa visitation pour en faire vostre profict.[2])

5) *Electi fuerant Amblard Corne, Claude du Pan, Pierre Bonna, Michel de l'Arche.*

1347. 1) *Au dos de l'exemplaire que nous suivons on lit ces mots écrits de la main de Calvin*: A Monsieur le Protecteur d'Angleterre. Remitte (*et non pas*: Remise, *comme a lu M. Bonnet*). *C'est donc une copie communiquée à Farel ou à Viret.*

2) Durant sa disgrâce qui fut regardée comme une calamité publique par le parti de la Réforme en Angleterre et en Europe, le duc de Sommerset avait cherché des consolations dans les lectures et les meditations pieuses. Il fit traduire en anglais un ouvrage sur la patience, auquel il ajouta une préface contenant l'expression des sentiments les plus élevés. Il reçut aussi les exhortations de Pierre Martyr, et ne se montra pas moins constant dans son attachement à

Ie scay les regretz que vous pouvez avoir, et comment vous pouvez estre solicite de rendre la pareille a ceux que vous estimez avoir procure[3]) plus grand mal beaucoup contre vous quil nest advenu. Mais vous scavez la remonstrance que S. Paul nous faict sur cela, assavoir que nous navons point a batailler contre la chair et le sang, mais contre les astuces cachees de nostre ennemy spirituel. Parquoy ne nous amusons point aux hommes, mais plustost addressons nous a Sathan pour resister a tout ce quil machine contre nous, comme il ny a nul doubte quil nayt este autheur du mal qui a este dresse contre vous, affin que par ce moyen le cours de lEvangile fust empesche, et mesme que tout vint en confusion. Ainsi, Monseigneur, oubliant et pardonnant les faultes de ceux que vous pourriez iuger avoir este voz ennemys, applicquez tous voz sens a repoulser la malice de celluy qui sest servy deulx pour les ruiner, quand ilz ont tasche a vostre ruine. Ceste magnanimite non seulement plaira a Dieu, mais elle vous rendra tant plus amyable aux hommes, et ie ne doubte pas que vous ny ayez tel esgard que vous devez. Mais si vostre humanite sestend iusques la, tant plus me dois ie confier que vous recevrez benignement ce que ie vous en diz, sachant quil ny a rien qui mincite a vous faire telles exhortations, sinon lamour et soing que iay de vostre bien et honneur. Et aussi cest une vertu si difficile de surmonter noz passions, iusques a rendre le bien pour le mal, que nous nen pouvons estre trop exhortez. Mesmes puys que le Seigneur a conduict la chose mieulx que beaucoup ne pensoient, quil vous souvienne, Monseigneur, de lexemple de Ioseph. A grand peine trouveroit on auiourduy au monde ung tel mirouer dintegrite. Toutesfoys voyant que Dieu a converty en bien ce quon avoit brasse de mal contre luy, il sefforce a se monstrer ministre de la bonte de Dieu envers ses freres qui lavoient persecute. Ceste victoire sera plus excellente que celle que Dieu vous a desia donnee, quand il a saulve et garenty et vostre personne, et voz biens, et vostre honneur. Ce pendant, Monseigneur, vous avez aussi a penser que si Dieu vous a voullu humilier pour ung peu de temps, ce na pas este sans cause. Car combien que vous fussiez innocent quant aux hommes, vous scavez que devant ce grand iuge celeste il ny a celuy qui ne sy trouve redevable. Voyla comment tous les saincts ont faict valoir les verges de Dieu, ployant le col et baissant la teste sous sa discipline. David avoit chemine bien droict, mais encore confesse il quil luy a este bon destre humilie par la main de Dieu. Parquoy si tost que nous sentons quelque chastiment que ce soit, le premier est dentrer en nousmesmes, et bien examiner nostre vie, pour congnoistre les vices qui nous estoient caches. Car aucunesfoys la prosperite trop grande nous esblouyt les yeux, mesmes que nous nappercevions pas pourquoy Dieu nous chastie. Cest bien raison que nous luy facions pour le moins aultant dhonneur qua ung medecin, car cest a luy de veoir[4]) nos maulx interieurs qui nous sont incongneuz, et procedder a la guarison non pas selon nostre souhet, mais comment il scait et iuge quil est propre.[5]) Qui plus est, il fault quelquesfoys quil use de remedes preservatifz, nattendant pas que nous soyons desia tombez au mal, mais pour y obvier avant coup. Dieu, oultre vostre estat ordinaire, vous ayant colloque en une haulte dignite, a faict de grans choses par vous, et qui possible seront plus louees apres vostre mort, quelles ne sont prisees vostre vie durant. Sur tout il a faict que son nom ayt este magnifie par vous. Or les plus vertueux et excellens sont en plus grand danger que nulz aultres, destre tentez a soublier. Vous scavez, Monseigneur, ce qui est escript de ce sainct Roy Ezechias, quapres avoir faict des actes si memorables, tant pour la Religion et service de Dieu que pour le bien commun du pays, son cueur sest esleve. Si Dieu a voulu prevenir cela en vous, cest un bien singulier quil vous a faict. Quand il ny auroit autre cause sinon a ce quil fust glorifie en vostre delivrance, et quil fust congneu tant de vous que de tous en vostre personne vray protecteur des siens, cela seul vous doit bien suffire.

Il reste, Monseigneur, puisquil vous a mys au dessus, que vous luy faciez hommage de ce benefice, tel quil apartient. Si nous sommes relevez dune malladie perilleuse, nous devons estre songneux au double de servir et honnorer ce bon Dieu, comme sil nous avoit donne une seconde vie. Vous nen devez pas moins faire en cest endroict. Vostre zele a exalter le nom de Dieu et restaurer la purete de son Evangille a este grand. Mais vous scavez,

---

l'Evangile que résigné à la perte de sa fortune et de son crédit. Voir: Burnet, *Histoire de la Réformation en Angleterre.* Edit. de Genève, 1686, t. III. p. 350 (*Bonnet*). *Il sera utile de comparer ici d'autres historiens, qui ont porté un jugement différent sur ce personnage. Voyez surtout la letire adressée à Calvin de Londres, le jour de son exécution, 22. janvier* 1552. — *Voici ce que dit Burnet* II. 139: He bore his fall more equally than he had done his prosperity and set himself in his imprisonment to study and reading, and falling on a book that treated of patience, both from the principles of moral philosophy and of christianity, he was so much taken with it that he ordered it to be translated into english, and writ a preface to it himself, mentioning the great comfort he had found in reading it, which had induced him to take care that others might reap the like benefit frome it . . . . . All the reformed looked on his fall as a public loss to that whole interest which he had so steadily set forward.

3) pensé *Bt.*

4) guérir *Bt.*

5) à propos *Bt.*

Monseigneur, quen une chose si digne, quand nous aurons estendu toutes noz forces, nous ny pouvons satisfaire a beaucoup pres. Pourtant si Dieu en vous obligeant a soy de nouveau, a voullu par ce moyen vous inciter a faire mieulx que iamais, vostre office est de vous esvertuer et applicquer toutes vos estudes a ce que loeuvre tant saincte, quil a commence par vous, soit advancee. Ie ne doubte pas que vous ne le faciez; mais aussi ie me confie que sachant de quelle affection ie suys induict a vous y exhorter, vous recevrez le tout benignement, comme vous avez accoustume. Quand lhonneur de Dieu vous sera ainsi recommande sur tout, il est certain quil veillera sur vous et sur toute vostre maison, pour y espandre ses graces plus amplement, et vous fera sentir que cest que vault sa benediction. Car ceste promesse ne vous peult faillir: qui me honnorera, ie le rendray honnorable. Vray est que ceulx qui feront le mieulx leur debvoir, seront souventesfois les plus molestez de plusieurs assaultz. Mais ce leur est bien assez que Dieu soit a leur secours pour les relever. Or combien quil vous convient regarder a Dieu, et vous contenter entierement de ce quil a vostre service aggreable, toutesfoys, Monseigneur, ce vous est une grande consolation de voir le Roy si bien affectionne quil prefere la restauration de lEglise et de la pure doctrine a tout le reste, comme cest une vertu admirable en luy, quen telle ieunesse les vanitez de ce monde nempeschent point que la crainte de Dieu et la vraye religion ne domine en son cueur, et ung don singulier pour le Royaume. Aussi ce vous doibt estre une ayde et confirmation grande, que vous lui faictes le principal service quil desire et demande, en servant au Roy celeste, le filz de Dieu.

Monseigneur, apres mestre treshumblement recommande a vostre bonne grace, ie supplye nostre bon Dieu quen vous maintenant en sa saincte garde, il vous augmente de plus en plus les dons de son Sainct Esprit, et les face servir a sa gloire, tellement que nous ayons tous de quoy nous esiouyr. [6])

6) *La date de cette lettre n'est pas difficile à déterminer, le duc de Somerset ayant été gracié le* 6. *février* 1550. *Elle doit être de la fin de ce mois ou du mois suivant, comme M. Bonnet l'a déjà observé. C'est à tort que le traducteur anglais la rapporte au mois de Janvier. Un passage de la lettre de C. à Farel du* 24. *juillet pourrait même faire penser que celle-ci est d'une date plus récente.*

1348.

BADUELLUS CALVINO.

Commendat Caperonem iam olim commendatum, et simul de difficili et tristi statu piorum in sua provincia queritur.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 14.)

Doctissimo viro atque optimo homini D. Carolo Fasello amico singulari in Dominoque diligendo.

Hieropoli.

Qui has tibi literas reddet, homo tibi notus est, [1]) a meque aliquando commendatus, quem ex longo intervallo temporis, quo a nobis abfuit, libenter vidi, eiusque fidem in Domino et patientiam recognovi. Nam eum varie Dominus exercuit ac probavit, quum pecuniae amissione, quam falsi quidam fratres fraudulenter abstulerunt, atque spoliatum ac prope nudum reliquerunt, tum vero subita nec inopinata discessione eius mulieris, quae quum istuc venisset, abs teque ei iuncta fuisset, repente commutata voluntate ad impietatem pristinam reversa, maritum miris modis ad eandem defectionem sollicitare voluit. Iste autem huc venerat, ut eam, si posset, ad sanam mentem sanctamque coniugii coniunctionem revocaret. Sed diabolus illius cor subduxit, atque totum a pietate ad idololatriam transtulit. Quo magis *Caperonis* veritas summaque constantia est amanda, qui nullis rebus adversis a Domini timore avocari nunquam potuit, Christique suavitatem in summa paupertate adeo dilexit, ut eam omnibus et honoribus et voluptatibus, quas in priore vitae genere propositas habebat longe praetulerit. Nam pro dignitate prioratus, quam habebat in monachatu, sutoriam artem est amplexus in qua corium ad usum vitae necessarium artificiose mavult tractare, quam idolum manibus impie contrectare. Itaque abs te, mi *Carole*, etiam atque etiam magnopere peto atque per Iesum Christum oro, ut *Caperonem* in numerum eum recipias, vel potius a vobis iamdiu receptum habeas, in quo eos omnes, qui metuunt Dominum pieque ac caste vivunt, pro tua prudentia semper habuisti. Nos in hac sparsione ac dissipatione ecclesiarum, fideliumque hominum qui in gravissima Antichristi dominatione detinentur, latemus tecti sub umbra Domini, eiusque salutaribus alis quasi pulli ad praedam et saevitiam rapacissimarum avium expositi, exspectantes eam redemptionem ac

1348. 1) *Nempe is quem infra nominat, Capero quidam, de quo* 4. *Maii* 1548 *iam scripserat, quam epistolam reperies in supplementis.*

liberationem, qua a Domino aut istum in locum vestrum sanctumque conventum transferamur, aut omnino ex hac vita in illum coelestem coetum beatorum transmigremus. Qua in cogitatione maximopere nos consolatur quum benignitas Domini, et fides singularis, tum etiam vestra caritas de fratrum salute valde sollicita et laboriosa. Itaque quoniam ea est communio sanctorum in ecclesia, quam nos in hac dissipatione ac vastitate nostroque miserrimo exsilio cum magna consolatione sentimus, vos vehementer rogo ut preces vestras nobis communicetis atque in eo genere officii et caritatis adiuvetis. Nos enim etsi sumus separati corpore, locoque disiuncti, tamen libenter ac suaviter fruimur ea coniunctione quam Christus in spiritu sancto inter nos instituit, in qua quidem uberrimum et praestantissimum fructum sentio earum precum, quas vos pure ad Deum et patrem Domini nostri Iesu Christi continenter adhibetis. Bene vale in Domino, cuius gratiam et pacem et misericordiam nobis omnibus exopto et precor. [2])

Tuus Appius Claudius.

1349.

CALVINUS FARELLO.

Commendat aliquem Geneva Neocomum migrantem. Novum papam creatum ridet.

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 33. Conferri poterant Epp. Bern. Tom. VI. p. 73 et 147 et Simleri Vol. 72. Anglice eam exhibet ed. Edinb. II. 250.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et amico integerrimo.

S. Gaudeo hunc bonum virum [1]) tandem saniori consilio obtemperasse ut ad vos concedat. Quod se difficilem aliquando praebuit ignoscendum est, modo hanc tarditatem sedulitate, ubi venerit, compensare studeat. Quod omnino facturum spero. Virum enim probum et in officio diligentem cognovi. Eum tibi sic commendatum fore scio ut verbis nihil sit opus. Uxor paulatim assuefacienda erit. Ducit secum pueros duos, quorum alter est optimi et integerrimi viri filius, alter *Pomerii* ex fratre nepos. Si quando tibi occurrent, fac ut intelligant se tibi curae esse. In filio D. Michaelis *Schalteri* [2]) quod mearum erit partium fideliter praestabo. Nunc enim primum tuas literas accepi.

Papam, qui creatus est, [3]) insigne monstrum esse oportet, in quo fabricando tamdiu laborarunt optimi artifices. Neque sane aptior inveniri potuit quam Tridentini consilii talis moderator. Vale, frater et amice integerrime, Dominus Iesus te conservet. Saluta fratres diligenter, praecipue compatrem meum *Christophorum*, *Mullotium*, *Fatonum* et reliquos. Iterum vale. 4. Nonas Mart. 1550.

Ioannes Calvinus tuus.

2) *Ex mera coniectura hanc hoc loco reponimus. Nemausi scriptam esse nulli dubitamus, satis diu post priorem de eodem Caperone dicentem, et ante eas quibus iam certum consilium declarat suum Nemauso relicto alio migrare.*

1349. 1) *Videtur fuisse paedagogus aliquis qui pueros aliquos educandos secum habebat, vel fortasse Neocomi conditionem publicam ipse adibat.*

1350.

CALVINUS SUSLIGAE.

Certior factus quosdam consensum cum Turicensibus eo nomine male habere quasi ipse ut illis placeret sententiam suam mutaverit, hanc denuo exponit et vindicat, utpote usque eandem firmamque.

(Ex apographo Conr. Huberti in Archivis Thomanis Argent.)

Domino Floriano Susligae Polono Ioannes Calvinus S.

Scribis meum cum Tigurinis consensum a multis improbari, [1]) quia in illorum gratiam a recta sententia discesserim. Qui sic loquuntur vel scripta mea nunquam se legisse ostendunt, vel quid traderem nunquam fuisse assequutos. Sedulo excutiant omnia: syllabam unam si mihi notent in qua ulla retractationis species appareat, hoc a me improbe dictum fatebor. Quare aut hic aliquid reperiant priori meae doctrinae minus consentaneum, aut absque causa mirari desinant. *Bucerum* certe adeo nihil offendit ut mihi plurimum gratuletur. Pluri-

2) *Si fas est hic lapsum calami statuere, aut errorem memoriae, cogitari posset de Mich. Schlattero ministro Bielensi.*

3) *Card. del Monte, concilii Tridentini praeses, d. 8. Februarii electus est Pauli III. successor post trimestrem sedis vacationem.*

1350. 1) *In Anglia homuncionem iam tum fuisse, ex ultima mentione eius N. 1337 facta certo non effeceris. Isti multi de quibus dicit fortassis in Germania quaerendi. Nempe qui Calvinum accusabant in Tigurinorum gratiam puram doctrinam deseruisse potius ipsi Lutheranae formulae favebant. Caeterum de Poloni istius in Britannia tricis v. Halleri Ephem. p. 91.*

bus excusari supervacaneum esse arbitror, apud te praesertim qui ex comparatione non ignoras ut mecum ipse consentiam. Quid alii postulant, illis considerandum relinquo. Mihi haec tria abunde sufficiunt: I. Sacramenta non externae duntaxat professionis notas esse vel symbola, sed divinae quoque gratiae tesseras, alendae et promovendae fidei adminicula, sigilla promissionibus Dei obsignandis. II. Deinde sic et iustitiae spiritualis et vitae aeternae testimonia esse ac pignora, ut non imaginaria sit vel inanis significatio, neque aliud figurent oculis et sensibus quam quod spiritus sui virtute Deus intus praestat: adeoque instrumenta esse quibus spiritus sui virtutem efficaciter in electis suis exserat. III. Tertio huc tendere ut nos in Christi participationem invitent. His tribus positis et dilucide explicatis libenter, etiamsi nemo roget, absurda omnia removeo, falsaque deliria quae pravis superstitionibus mentes hominum implicant. Quod hic mihi fecisse videor. Vale, eximie vir et frater mihi in Domino plurimum colende. Genevae 4. Nonas Martias 1550.

1351.

CALVINUS DRYANDRO.

Felicem ei ex Anglia reditum gratulatur eumque hortatur ut quas accepit ingenii dotes otiosas iacere ne patiatur. Commentarii in Iesaiam brevi prodibunt.

(Ex autographo Archiv. Thoman. Argentorat. Anglice legitur in edit. Edinb. II. 251.)

Ornatissimo viro D. Francisco Dryandro Hispano

Basileae

apud D. Myconium.

S. Incolumem te ex Anglia rediisse gaudeo. [1]) Si bene istic ac prospere tibi est, ac affert Dominus quod agas, bis gaudeo. Quanquam, ut nunc ubique res habent, sic nos peregrinari in mundo oportet ut quam primum optemus evolare. In Anglia res adhuc incompositae. Aliis in locis, si quid prius bene constitutum fuerat, diffluere nunc videtur. Itaque nusquam reperiemus quod nos ita oblectet, quin alio mentes nostrae adspirent, nisi patientia retineantur. Hoc ego, quem tu prope militia perfunctum existimas, quotidie magis ac magis experior. Subinde enim nova certamina, novae molestiae, nova taedia sic me exagitant, ut quidvis potius malim, si libera detur optio, quam sub tam duro onere continenter gemere. Te ingenio et doctrina ornavit Dominus, te zelo et animi magnitudine instruxit. Rogandus est ne istas praeclaras dotes patiatur otiosas iacere. Scio quidem hactenus te operam dedisse, ut ecclesia Dei fructum ex te perciperet, nec irritos fuisse tuos conatus. Sed cupio latius quod tibi datum est explicari, et futurum confido.

Meae in Iesaiam meditationes quas exspectari dicis brevi exibunt, sed a *Gallasio* conscriptae. [2]) Nam mihi ad scribendum non ita multum temporis conceditur. Sed ille excipit me legente, postea domi suae digerit. Ego relego, et sicubi mentem meam non est assequutus in melius restituo.

Quaestorem urbis nostrae, quum literae meae ad te pervenient, istic fore spero, et biduo mansurum. Si quid novarum rerum habebis, libenter afferet. D. *Myconio* et D. *Sulzero* non est quod scribam, donec postremis meis responderint. Eos tamen ac D. *Oporinum* velim nomine meo salutes. Collegae mei tibi plurimam salutem dicunt. Uxori tuae, ubicunque erit, fausta omnia et laeta precor. Vale, eximie vir. Dominus te spiritu suo regere pergat tibique adsit in omnibus. Genevae Nonis Mart. 1550.

Ioannes Calvinus tuus.

1352.

VIRETUS BULLINGERO.

Iam tandem Lausannensium epistola ad Turicenses scripta tribus ante mensibus, de colloquiis olim institutis nunc vero a Bernensibus prohibitis, iis mittitur et commendatur.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 166, olim Epp. Tom. 24, fol. 239. — Simler. Vol. 71.)

1351. 1) *Dryander a* 1548 *relicto Argentorato in Angliam se recepit, maxime eo consilio ut se turbis interimisticis subduceret. A Melanchthone Regi et Cranmero commendatus professor literarum graecarum Cantabrigiae creatus est. (Ep. Dryandri ad Bullingerum* 25 *Mart.* 1549 *in Parkerianis I.* 348.) *Sed iam mense Aprili Bucerus, quum Londinum venisset, eum cum P. Martyre et Tremellio apud Cranmerum in curia Lambethana degentem reperit. (Ep. Buceri ad Argent. ministros* 26. *Apr. ibid. II.* 534.) *De eius discessu ex Anglia Hoperus ad Bullingerum* 5. *Febr.* 1550 *(ibid. I.* 77) *ita scribit ut eum dicat non nisi sua ipsius commoda curare, non vero publica, nisi quid inde ad ipsum quaestus redundet.*

2) *Plura dabit ipse Gallasius in praefatione libri anno demum sequente editi.*

Clarissimo viro D. Henricho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti fratri et symmystae plurimum observando.

Tiguri.

S. Quum communis causa, de qua ad vos scribitur totius classis nostrae nomine, vobis copiose satis explicata sit, tum communibus classis literis, tum exemplaribus illis quae eadem de re eiusdem classis nomine ad vos mittuntur, non existimavi operae pretium de ea tecum prolixius commentari. Hoc solum te oratum volui ut tu cum reliquis tuis collegis et symmystis hanc nostram libertatem et familiaritatem, qua apud vos utimur, boni consulatis, ac ne gravate eum nobis laborem, imo non nobis sed ecclesiae Christi, impendatis, quem a vobis postulamus. Longe profecto nobis erat futurum iucundius, ac multo denique ecclesiae paci omniumque nostrum quieti consultius, si haec tota controversia, cuius nunc vos gratia interpellamus, tali potuisset inter nos et fratres nostros Bernensis ecclesiae ministros et professores exitu dirimi componique, qualem principio non nos solum optavimus futurumque speravimus, verum etiam tu tuis ad me ea de re scriptis literis non sperare modo sed et propemodum polliceri videbare. Scribebas enim te nihil addubitare, quin a fratribus nostris id omne facile essemus impetraturi quod aequum esset. Nos vero tam aequum, quod eramus petituri, existimavimus, quam quod aequissimum, adeo ut nihil nobis minus metuendum atque repulsam iudicaverimus, maxime vero te patrono et intercessore, idque apud eos inter quos quantum valeas autoritate et gratia nos minime latet. Scimus equidem tuum nobis non defuisse patrocinium in causa tam aequa ac minime implicata, neque carissimi fratris nostri, ad quem hanc ob causam scripseras. Sed quanquam non dubito quin vestrum uterque praestiterit quod potuit, non sumus tamen tantum assequuti quantum speraveramus. Antequam hanc egissemus causam apud fratres nostros, mirabamur equidem ab ipsis profectam talem adversus nos, nobis inauditis et tantis de rebus, suasionem. At multo nos maior cepit admiratio quod nobis auditis tam parum de priore sua suasione remittere voluerunt, praesertim quum omnia haberent ad manum, et senatum nobis tam aequum et propitium, ac nos propria legatione omnia nostra cum ipsis consilia communicaverimus, ac rem totam, nostro quidem iudicio, quum scripto tum viva voce, tam dilucide et familiariter exposuerimus. Mihi dubium non est quin nobis et nostris ecclesiis optime consultum posteriore sua suasione fratres nostri arbitrati sint. Sed nobis longe aliud videtur, qui in re praesenti constituti oculis nostris cernimus ac manibus contrectamus quam sit ecclesiis nostrae fidei commissis nostrisque scholis et studiis huiusmodi perniciosa suasio, et quam ea sit noster consessus deformatus. Experimur procul dubio quam non careat periculo de re incognita ferre sententiam, et quam parum ecclesiastico ministerio conveniat procul dissitas alias ecclesias suis velle consiliis administrare, iis neglectis quibus earum peculiarior est cura commissa. Verum enimvero, quia certo nobis est persuasum, nihil a fratribus nostris malo esse animo tentatum, sed pio studio id esse procuratum, bona spes nos alit facitque ut levius hoc ipsum feramus, tantisper dum alia se offerat occasio commodior ea resarciendi quae disiecta sunt. Qua in re quum vestra intercessio et patrocinium plurimum sunt momenti habitura, vestram opem efflagitamus: quod iam pridem facturi eramus, uti ex tempore quo literae, quae ad vos missae sunt communi classis consilio,[1]) decretae fuerant, cognoscere potestis. Sed intervenerunt quaedam quae obstiterunt quominus ad vos maturius mitti potuerint, quae longum esset recensere.

Alia quaedam ad te habebam scribenda, quae ad me peculiarius attinent: a quibus in praesens supersedebo, ne te iam paene nostris scriptis obrutum magis obruam. Nam si haec quam agimus causa cesserit ex animi sententia, spes est de reliquis omnibus in posterum optima. Salutant te nostri omnes officiosissime. Vale. Lausannae 8. Martii 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1353.

PAGEUS [1]) CALVINO.

Epistola elogiis referta adulatorem potius quam amicum prodit.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 37.)

Gratiam et pacem a Deo patre omnis misericordiae Dominoque nostro Iesu Christo et spiritu sancto.

1352 1) *N.* 1315, *cf. N.* 1314, *not.* 10.

1353. 1) *Valentinus Frid, alias Hartung a.* 1542 *primus pastor evangelicus ap. Querfurtenses,* 1544 *in Lützen,* 1547 *concionator ad S. Nicolai et professor Lipsiensis, a* 1556 *ad sacra pontificia rediit, et a Card. Ottone de Truchsess episcopo Augustano professor in universitate Dillingensi creatus iam* 1558 *in itinere quodam a milite latrone trucidatus est. Cum Melanchthone ad concilium Tridentinum delegatus fuerat. A.* 1557 *edidit epistolas Ignatianas Dillingae, in cuius libri praefatione rationem reddit nuperae conversionis.*

Doctissime suavissimeque et pientissime Domine praeceptor, pater et frater in Christo *γνήσιε καὶ ἀνυπόκριτε* aeternumque pervenerande. Quotiescunque mentionem tui honorificam, ut semper, et bene volentissimam facimus apud D. *Philippum τὸν μελ.* Ioachimumque hic *Camerarium*[2]) nostrum, id quod saepissime libentissimeque facere solemus, toties incredibili quodam animi seu amore seu impetu concupiscimus non verbis de te solum votisque et benedictionibus uti communibus, sed omnino quoque, si qua fieri posset, optare vehementissimeque desiderare solemus, ut coram etiam aliquando exosculari sanctissimum illud doctissimumque ac infractum constantissimumque pectus tuum amplecti liceret. Verum quum illud non possit, quod potest et licet, omnia singulaque quae habere potui eruditissima absolutissimaque numeris omnibus scripta tua, non sine lacrymis nonnunquam, saepius etiam cum gratiarum actione, et spiritus nescio qua tacita exsultatione veluti, perlego relegoque. Et discipulos amicosque nostros omnes[3]) ut idem faciant, quam possum autor sum, semperque ero. Vera loquor, et sine ulla vanitatis ullius suspicione, ut et natura fert mea et professio communis. Ac res prorsus est ipsa, et decet certe ac par est, dona Dei et Domini nostri Iesu Christi talia ac tanta et agnoscere et admirari praedicareque, atque vetus illud *τὸ γνῶθι σεαυτὸν* in utramque partem pulchre nosse, ut et bona nostra norimus, ut ad Quintum fratrem scribit disertissimus ille Romuli nepotum C.[4])

Nunc iam, mi optime humanissimeque et colendissime in Christo *Calvine*, non potui facere nec differre diutius quin hoc incondito et extemporali epistolio meum erga te animum aliqua ex parte indicarem, meque totum precationibus tuis ad Christum mutuis commendarem offerremque omnem ultro meam operam, studium, diligentiam, imo pietatem et gratitudinem adeo sempiternam, teque rogarem ut uno tantum aut altero verbo rescribas nobis tua manu. Id quod nobis instar omnium reliquiarum erit, quas tu doctissime facetissimeque suis veluti coloribus depinxisti nobis. Utinam saepe possimus, inter nos ultro citroque communicare *πάντα μὲν περὶ πάντων*, praesertim vero de Christi gloria et republica literaria ecclesiasticaque a te et tui similibus per Dei gratiam ab omnibus erroribus et ludibriis Satanae et Antichristi vindicanda.

Nostras hic etiamnum ecclesias scito veterem adhuc statum obtinere in omnibus, nec quidquam omnino esse mutatum, quamvis multa impenderint ac impendeant quae nescio quam in caeremoniis ac ritibus mutationem minitarentur. Nam quod ad dogmata et doctrinam sanam attinet, hoc animo sunt omnes fere pii et vere theodidacti, ut mori mallent millies quam latum unguem discedere aut concedere ad corruptionem *τοῦ ὑγιαίνοντος λόγου καὶ διδασκαλίας* ullam. Sed tamen Satan incredibilia quaedam passim excitavit scandala. Nec cessat aut cessabit unquam *ψευδολογεῖν καὶ ἀνθρωποκτονεῖν*. Cui resistimus hic quoque fortiter in fide. Et te tuosque ac vestros oratos exoratosque cupimus ne quo modo unquam cessetis in caritate *καὶ φιλαδελφίᾳ ἀνυποκρίτῳ*,[5]) in pace et concordia vere catholica mutuis nos iuvare precibus.

Unum hoc velim pro tua eruditione pietateque, tua quoque manu et chirographo rescribas ecquid omnino nostro hic magistratui ecclesiisque concedendum putes, urgentibus nescio quae adiaphora, et universitatis ecclesiae orientalis occidentalisque et conciliorum oecumenicorum traditiones ritusque, ecclesiis sive appendicibus impiis, ut quidem prae se ferunt potentes isti, et cum concessione *τῶν ὅλων* dogmatumque necessariorum omnium.[6]) Hac etiam in re ut tuas ipsius habere possim literas privatas, unum omnium erit longe gratissimum, omniumque prae hoc uno et vicos et prata facile contempsero. Bene vale, vir pientissime, et obiter quoque rescribens indica, quaeso, qua ratione certos ad te possimus nonnunquam habere internuncios. Salutant te *Philippus ὁ Μελ.*, Ioach. *Camerarius*, *Rheticus*, Erasmus *Sarcerius*, omnesque alii tui nostri communes amici et fratres in Christo *γνήσιοι*. Datum Lipsiae postridie Oculi anno 1550.[7])

Studiosissimus tui observantissimusque
Valentinus Paceus
ecclesiae Iesu Christi minister Lipsiae
ad D. Nicolai professorque sacrarum
literarum et linguarum in academia
ibidem etc

1354.

VIRETUS HALLERO.

Gratias primum agit de Hotomani vocatione tandem aliquando a senatu decreta. Tum fusius nego-

2) *Camerarius inde ab a.* 1539 *professor Lipsiensis, iam dudum antea cum Melanchthone amicitia iunctus fuerat. Hic nuperime medio m. Novembre et initio Ianuarii Lipsiae fuerat. Cf. etiam Camerarii vitam Mel. ed. Strobel.* §. 11, *p.* 36.

3) *sic!*

4) *Ciceronis Epp. ad Quintum fratrem l. III. ep.* 6.

5) *sic!*

6) *Quid haec sibi velint, ex controversiae adiaphoristicae historia, non autem ex stilo autoris et syntaxeos regulis intelliges.*

7) *i. e.* 10. *Martii; dominica Oculi enim eo anno incidit in nonam eius mensis, pascha in sextam Aprilis.*

tium Corbelii tractat invitis ministris a senatu Bernensi diplomate donato, cuius antecedentia acrius perstringit. Denique nonnulla de Ferronio affert.

(Ex authentico exemplari ab amanuensi scripto Cod. Genev. 115, fol. 38. Inscriptio nulla adest. Verum Virctus manu propria superscripsit: *Hallero.*)

S. Binis tuis literis, quibus nihildum respondi, una hac respondeo epistola, diuturnumque silentium magno foenore pensabo. Ad priores veniam priore loco, quae ut longiores sunt posterioribus ita argumenti habent aliquid molestioris. *Hottomanni* negotium [1]) quanta curaris et perfeceris fide et diligentia, res ipsa atque eventus palam testatum faciunt. Cuius nomine tibi fratres omnes magnam habent gratiam. Successit autem res tota felicius quam vel tu quoque sperare ausus sis. Siquidem illi auctum est stipendium ad iustum eius quam sustinet personae modum. Gaudemus tandem in collegium nostrum esse cooptatum, non tam ipsius aut nostra causa quam ecclesiae, cui ablatum valde dolenter ferebamus, nec iniuria. Digna sunt enim huiusmodi ingenia, non quae a nobis repudientur, sed quae ambiantur et quae longissime huc accersantur. Quae si ultro nobis Dominus offert, non possunt a nobis nisi magna cum ipsius contumelia contemni aut reiici. Scribis iam re ipsa palam fieri, neque *Calvini* invidiam, [2]) neque fidei confessionem quam vobis scriptam *Hottomannus* obtulit, causam fuisse repudiationis. Neque id ego unquam suspicatus sum serio, quanquam de vobis omnibus id ipsum non ausim omnino asserere. Scio apud te quidem et apud D. *Musculum* ob *Calvini* contubernium fuisse commendatiorem. Sed, ut ingenue fatear, suspicatus sum, atque etiam nunc suspicor, fuisse inter vos quosdam, nisi valde fallor, quibus fuit ante constitutum hominem non admittere. Ergo quaerenda fuit speciosa aliqua eius reiiciendi causa, quae sic affectis facilis inventu fuit. Huius mihi suspicionis occasionem praebent literae quas hinc missas fuisse scio de huius electione, ab iis quibus bonorum omnium studia displicent. Hanc rursum mihi confirmavit profectio *Corbelii* ad vos, [3]) quae sola satis esse debuit ad iudicandum quam sit verbi ministerio dignus. Sed utut res habeat, gaudeo *Hottomannum* ecclesiae redditum cui ablatus videbatur, et te sic in eam rem incubuisse, ut clare testatus sis per te non stetisse prius quominus maturius suam operam ecclesiae impenderit. Quod autem tunc effectum est, quia vestro omnium nomine est effectum, ne mireris si moveamur interdum perinde ac si communibus omnia votis inter vos essent confecta.

Sed de his plus satis. Venio ad *Corbelii* causam [4]) de qua scribis paulo copiosius, accepta occasione ex meis literis quas ad te *Pinagerio* dederam. [5]) Sed prius aliquid attingam de causa quae me ad scribendum impulit. Quum istinc *Pinagerius* solveret, nihil statueram ad te scribere, quia nullum erat argumentum. Item de *Pinagerii* causa nihil addubitabam, quippe qui a nobis commendatus classi Gaiensi, et ab eadem electus, ad vos mitteretur. Iam mihi valedixerat profecturus. Quumque itineri accingeretur, revocatur a quodam *Corbelii* familiari, a quo admonetur, sibi ut caveat diligenter, intelligatque sibi structas per cuniculos insidias, ne admittatur Bernae. Decurrit ad me *Pinagerius* perturbatissimus, quem iam iter arripuisse existimabam. Ego vero facile eius oratione adductus sum ut suspicarer, aut *Corbelium*, aut alium aliquem eiusdem monetae, aliquid rursum tentare adversus iustum ecclesiae ordinem eiusque disciplinam: quod huiusmodi hominibus hoc ipsum minime esset insolens. Quod minus esset deplorandum, si non saepius isti ecclesiarum perturbatores invenirent in nostro ordine qui huic subservirent fabulae, quam eos deceat. Neque mihi in animum temere haec invecta erat suspicio. Nam paulo ante a vobis *Corbelius* redierat senatus diplomate armatus, quo videbatur nos omnes non [*rogaturus*] [6]) modo, sed etiam coacturus, ut nostra omnium repugnante conscientia ad episcopatus alicuius fastigium citius dicto eveheremus. Videramus diploma, ex quo cognoscebamus quaedam ad senatum relata, quibus apud eum nobis conflata erat invidia. Non remittebatur ad nos, ut nostro iudicio statueremus de eo aliquid in rem ecclesiae, sed ut in primum locum qui ministro vacuus esset subrogaretur, quod vestro testimonio doctus esset ac disertus et ministerio idoneus. Mirabamur istam rationem. Addita erat in calce diplomatis exprobratio, quod hactenus parum visi essemus aequi beneficiariis, ac eorum non satis iustam habuisse rationem, ut ad ministeria ecclesiastica promoverentur, cum mandato ut deinceps ea nobis res magis curae esset. Nobis erat gravissimum sic a senatu accusari, quum nobis tam bene omnes conscii essemus hac in parte, gravius vero quod id videretur vestro factum instructu, idque accepta oc-

---

1354. 1) *antea, quum eum diaconum creare vellent Lausannenses, a senatu non confirmati, nunc vero ab eodem collegio professorum adscripti*

2) *Cf. quae ipse Calvinus hac de re ad Hallerum, Bullingerum et Musculum scripserat (N.* 1311, 1324, 1325).

3) *Corbelium saepius obvium habuisti, Zebedaei asseclam et Vireti adversarium, maxime in epp m. Ianuario et seq.* 1549 *scriptis. Nuperrime eius mentionem fecit Viretus ad Calvinum N.* 1321.

4) *Ex sequentibus colliges hunc ministerium ambiisse.*

5) *nobis deperditas. Cf. N.* 1343, *not.* 3.

6) *Lacunam praebet codex, spatio relicto. Caeterum et alioqui textus suspectus.*

casione ex *Corbelii* querela, hominis istius quem hactenus talem cognovimus ut non existimem quemquam in toto nostro Lausannensi consessu qui non paratus sit suo potius cedere ministerio quam suo suffragio repugnante conscientia adiumento esse ut ad vilissimum (si quid modo vile in ecclesia esse possit) ministerium promoveatur. Neque est quod suspiceris hoc iudicium nostrum odio aliquo nostro, ut videris interpretari, corruptum esse. Non ignoramus quam sit hoc grave scelus, odium adversus fratrem, non solum resipiscentem verum etiam praefractum et pervicacem, retinere. Atque ideo ab hoc quantum possumus longissime nos crimine abstrahere studemus. Sed nos rursum minime latet quam inexpiabile flagitium sit Christi ecclesiam prodere et Christi oviculas luporum lanianae [7]) exponere, et invita conscientia eos, qui non solum nullum unquam verum exhibuerunt specimen viri boni, sed ne spem quidem ullam in posterum faciunt, ecclesiarum gubernaculis admovere. Adeo non resipuit ut indies suam magis prodat pervicaciam. Haec scilicet erit nostrarum ecclesiarum disciplina, atque huic nos assentiemur viventes, ut pro scelere sit ministerium merces, et eos nostris calculis approbemus in quibus ne pilum quidem unquam vidimus viri boni, praeter contumaciam, rebellionem, ambitionem, calumnias, et ingenium cui nihil aeque putet [7]) atque bonorum consortium. Atque utinam vidisses tuis oculis tuisque auribus audivisses qua nuper nos fronte, audacia, confidentia et impudentia quasi minabundus compellarit suo fretus diplomate, in nostro consessu Lausannensi, quod ad Gaienses non misissemus, quasi principum mandatis immorigeri. Quod si nihil aliud admisisset quam istum ambitum, quo conatus est dolose in illam classem irrepere, iure tamen iudicandus veniret indignus ministerio. Subodoratus erat in ea classe locum esse vacuum, imo id cognoverat ex iis qui secum hanc agebant fabulam. Ecce protinus, contra omnes scholasticas leges, nescio rectore a quo veniam petere debuit, et nobis omnibus nesciis, clam se istuc ad vos proripit, nisi quod intelleximus Iverdunum in via deflexisse. [8]) Conqueritur apud vos de nobis. Cupit a vobis examinari [9]) quasi ea sit eruditione quae captum superet ministrorum et praeceptorum quorum fidei commissus est. Nobis inauditis, de quibus conquestus est, res ut a vobis in examine comperta est ad senatum refertur. Quibus esset moribus nihil est a nobis inquisitum, quasi ea res nihil ad ministerium pertineret. Impetrat literas quibus iubemur, ut ante dixi, homini prospicere. Quae est haec agendi ratio, et quae in communi ministerio coniunctio? Qua id fecit conscientia fretus et quo animo? Suspicatur nos sibi parum propitios: sed cuius merito? Intelligit nos non nisi bonis favere: quia vero sibi male conscius est nostri favoris spem omnem abiecit. Atque ideo se istuc confert, sperans fore ut nobis invitis et proculcatis disciplinae ecclesiasticae et scholasticae legibus alicui a vobis ecclesiae obtrudatur. Quod fortasse futurum erat nisi tu aliam invenisses rationem, effecissesque ut spe sua frustratus ad nos reverteretur, quod minime speravit aut optavit. Estne ista recta via qua se scholastici nostrae disciplinae et fidei commissi in verbi ministerium insinuent, ut dum intellexerint locum aliquem esse vacuum istuc se sistant a vobis probandi sine ullo nostro testimonio? Hanc scholasticae disciplinae dissipationem contra vestras ipsorum leges perferetis? Non satis erat quod ante mendax et calumniator deprehensus esset manifeste, et quod eius arbitratu coacti eramus hibernis mensibus, desertis scholis et ecclesiis, istuc nos magno sumptu et magnis laboribus sistere? Quum ergo pergeret *Corbelius* sui non esse dissimilis, ac recens sic nos fatigasset, ac paene minatus esset fiducia sui diplomatis, ac rursum ab eius familiaribus intelligerem eum aliquid moliri adversus legitimam *Pinagerii* vocationem, non est quod mireris si nonnihil commotus sim istius hominis importunitate: maxime vero urgente *Pinagerio* ut ad te scriberem, quem videbam perturbatum, nec abs re. Expertus enim in aliis erat quid aliquando his artibus profectum esset et effectum.

Quod si peccatum est a me, bonam culpae partem adscribe *Corbelii* socio qui, si vera retulit, iustam mihi praebuit scribendi occasionem: sin falsa, ne mireris me etiam tuta omnino [10]) metuere, ac toties ictum exhorrescere vel ad solam insidiarum mentionem. Nimis diu experti sumus qua fide nobiscum agi soleat. Atque utinam aliquando ad se redirent qui nulla nostra culpa, sed sua ipsorum, ita pergunt nobis diffidere atque molesti esse. Nos iustas habemus diffidentiae causas, qui toties laesi sumus, traducti et infamati innocentes. Sed qui nos insectantur, quid habent cuius nos convincere possint alicuius perfidiae, nisi si quid sibi persuadere nullis certis argumentis, aut odio nostrum aut animi levitate, voluerunt, plus fidei tribuentes calumniatoribus quam bonis viris? Ne mirere si scripserim, nihil aliud his studiis, si sic pergatur, effici posse, quam ut bonorum alienentur animi, non a bonis quidem, sed ab iis qui nonnisi bonos oderunt, atque ut dissipatio et turbae in ecclesia

7) *sic.*

8) *scil. cum Zebedaeo consilium capturus.*

9) *quod examen nuper etiam Pinagerius, Beza et Hotomannus subierant. Ipsi tamen Lausannenses talis examinis instituendi sibi ius vindicasse videntur, saltem hac vice.*

10) *vox dubia.*

exoriantur. Quod vobis non est nostra ex parte metuendum, nisi aliunde hoc oriatur malum. Sed si qui vos ante et ecclesiam turbarunt his semper studiis delectentur, pergantque suo more piis bonorum virorum conatibus obsistere, quae firma poterit esse pax et concordia? Neque haec a me quasi minabundo dicta putes, ut visus est [11]) prius meas literas interpretari, sed eorum admoneo quae futura metuo. Nam etsi patientia vincere oportet hominum importunitatem, incidunt tamen plurima quae non semper fieri ac dissimulari possunt bona conscientia. Videant igitur qui hactenus irrogarunt iniuriam, ne sensuri sint aliquando Dominum vindicem, atque eo graviorem quo sibi firmiores et maiores videbantur, et ii infirmiores qui opprimuntur. Non conquerimur de nihilo, et forte Dominus aliquando in lucem proferet quae hactenus latuerunt.

Interea vero, dum sic commovemur, ne existimes nos immemores piorum tuorum laborum et tui similium. Sed quum non habeamus in cuius sinum curas nostras et querelas deponamus tutius et familiarius, condona nobis si sumus tibi interdum molestiores. Nosti hoc esse verae amicitiae ingenium ut amici in amicorum sinum aestus animi deponant, amice expostulent, consilia communicent, dissentiant interdum sententiis et consiliis, quamvis alioqui animis consentiant. Nihil addubito quin futura sit inter te et nos firma amicitia, in tanta hac nostra animorum et doctrinae consensione: quae facile, si quid est offensarum, obliteratura est. Te igitur quaeso ut boni consulas meam libertatem, ac sic de me existimes ac de fratre tibi coniunctissimo.

Haec sunt quae ad priores tuas literas respondere volui, prolixius et incivilius fortasse quam oportuit, atque etiam liberius. Sed id mihi de te persuasi ut existimem mihi perinde tecum mihi * tutum esse loqui atque mecum.

Quod ad posteriores tuas literas attinet, nihil est quod longa egeat responsione. Gaudemus omnes te totum nobis esse donatum, [12]) tibique et nobis gratulamur et isti ecclesiae. De postulatis synodalibus spem fecisti rursum aliquam. [13]) Exspectamus avide eventum. De *Ferronio* [14]) nihil ideo ad te scripsi quod nesciebam Bernam profecturum, quodque speraveram, si id nobis nesciis tentaret, vos non adeo esse disciplinae ecclesiasticae imperitos ut hominem ab alia eiectum ecclesia temere susciperetis, nisi prius ipsius cognita causa et audito eorum testimonio a quibus proficiscebatur. Qua spe fretus, quum aliquando de vobis adeundis mecum consilia communicaret, praedixi futurum quod evenit. Quae res in causa fuit ut consilium mutasse arbitrarer. Timebam praeterea ne, si antequam meam sententiam rogarer de eo quidquam scriberem, viderer *Calvini* studio illi infensior, ac totam culpam suae repudiationis in me transferret. Nam etsi ne verbum quidem de eo apud vestrum quemquam feci, non tamen hac me potui suspicione liberare. Nam reversus, scriptum fuisse adversum se aut a me aut a *Calvino*, conquestus est. Hic adhuc haeret: quae res facit ut existimem, spem illum omnem non abiecisse.

Has ad te literas sperabam me daturum duobus illis scholasticis quos hinc evocastis: sed abierunt me insalutato. Audivi quidem illos fuisse domi ut valedicerent, sed non fui ea de re admonitus. Atque ideo, dum cum quibusdam occupatus essem, quia non statim egressus sum, abierunt. Quae res in causa est ut serius meas nunc literas recipias quibus addidi has [15]) quas nunc ad te mitto per hunc fratrem. Nostri te omnes officiosissime salutant. Saluta D. *Musculum* et reliquos symmystas meo nomine. Vale, Lausannae 13. Martii 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1355.

BULLINGERUS CALVINO.

Dono ei mittit novam sermonum suorum decadem, et hac occasione varia attingit ad res Turicensium et Lausannensium spectantia, et iudicium de Buceri studiis fert.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. 30 nunc Plut. VI. Vol. 129, fol. 240. — Simler. Vol. 72.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae antistiti vigilantissimo domino et fratri suo venerabili et carissimo suo

Genff.

S. D. Mitto tibi, *Calvine* frater in Domino venerabilis et carissime, pro tuis vere aureis muneribus munusculum vix aereum, pro libris inquam tuis doctissimis Decadem 3. sermonum meo-

---

11) *lege:* es.

12) *Cf. N.* 1346.

13) *Synodus d.* 20. *Martii* 1549 *habita postrema fuisse videtur hucusque. Hallerus in Ephem. p.* 88 *de ea haec habet:* 20 Februarii demum synodi praeteritae considerationes tractatae sunt.

14) *Haec quoque attinguntur N.* 1346.

15) *Sequentia inde ab hac voce Viretus manu propria addidit.*

rum. [1]) De dogmatum veritate satis certus sum, sed quam dilucide et commode omnia tradiderim dubito. Verum feci quod potui, adiutus non raro scriptis tuis. Certe conatus sum simpliciter et perspicue singula tradere. Dominus faxit ut, quod in gratiam feci studiosorum et ministrorum verbi, hi ex meis laboribus uberrimum percipiant fructum.

Diu iam nihil audivimus de rebus vestris: anxie ergo scire desideramus quomodo valeas, quid agas, an in ecclesia omnia recte habeant. Coeperat apud nos pestis nonnihil saevire, sed mox desiit. Putant illam multi mox crudelius grassaturam. Iam enim iterum diebus aliquot peste unus et alter interiere. Sed haec est manus Domini: bene habet. Fiat voluntas Domini: sive vero vivamus, sive moriamur, Domini sumus.

Res ecclesiae et scholae nostrae, adde et reipublicae, satis bene habent, gratia Christo. Plurimum enim quietis peperit nobis quod in foedus gallicum non concessimus. [2]) Aliis hoc plurimum turbarum excitat. D. *Hallerus*, postulante Bernensi ecclesia, concessus seu datus est Bernatibus. Bernae ergo manebit. In locum *Halleri* surrogatus est D. Ludovicus *Lavaterus*, [3]) iuvenis valde pius et doctus, de quo mihi magna polliceor. Argentinae et in Gallia Lutetiae aliquamdiu studuit: ex Gallia per Italiam domum rediit.

Morositas et inhumanitas quorundam nunquam mihi placuit. Probe memini quid ad me literis tuis postremis scripseris. Ac libenter mitigare illum rigorem studebo. Ego dissimulandum puto aliquoties ne eveniant deteriora, praesertim quum non agitur de doctrinae puritate. de dogmatibus inquam. Praeterea spero translato *Zebedaeo* plus tranquillitatis futurum in Lausannensi ecclesia. Sunt alioqui optimi viri qui sic sunt rigidi. Dissidium hoc diutinum et periculosum sic ipsos exasperavit. Spero omnia tempore futura longe commodiora. Fratrem illum Parisiensem repudiatum esse doleo. [4]) Si integer est, alio tempore succedet res melius.

Quae postulasti ad D. *Hopperum* nostrum scriberem [5]) diligentissime exsequutus sum: ac spero ipsum rem rectius expensurum. Apud te autem hoc libere dico, *Bucerum* quidem multos sustinuisse labores in ecclesia: sed si non laborasset in quibusdam usque adeo strenue, et minus implicate loquutus fuisset de coena Domini, melius fecisset. Haec apud te dico. De his nihil scribo *Hoppero* nostro. Puto enim ea quae pacis sunt quaerenda et promovenda esse inter fratres alioqui convulsos, persequutioni expositos et dispersos. Dominus Iesus recolligat ecclesiam suam et servet suos.

Ex germanicis urbibus parum fausta nunciantur. Scis quid Argentinae evenerit. [6]) Oremus Dominum. Vale aeternum cum omnibus symmystis. Salvi sint inprimis fratres carissimi D. *Farellus* et *Viretus*. Salutant te symmystae mei omnes et ecclesiae Genevensi imprecantur omnia felicia. Tiguri 15. Martii 1550.

Bullingerus tuus.

1355. 1) *Totum hoc opus Tiguri* 1552 *tribus tomis formae maximae absolutum complectebatur quinque decades* Sermonum de potissimis chr rel capitibus. *de decem praeceptis, de duodecim articulis fidei, de sacramentis etc Praeterea edidit innumeros alios super. varios libros V. T., Apocalypsin etc. latine plerosque.*

2) *Hoc ipsi Calvino, qui Bullingerum in contrariam partem, et per eum Turicenses, trahere voluerat* (*N* 1187).

3) *Cf. N.* 1346, *not.* 3.

4) *Hotomani vocationem nuperam nondum resciverat.*

5) *Cf. N.* 1324, *not.* 4.

6) *Missa in tribus ecclesiis introducta* (*N.* 1346, *not.* 4).

1356.

HOTOMANUS CALVINO.

Gratias agit de literis eius nuper acceptis, quibus ille, ut videtur, ipsi novum oblatum munus gratulatus erat.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 136.)

Clarissimo viro Ioanni Calvino ministro ecclesiae Genevensis.

Genevae.

Magnam tibi habeo gratiam pro tuis amantissimis et humanissimis literis quae meum animum vehementer confirmarunt. Oro Deum ut pro ista tua in me benevolentia amorem in te suum adaugeat, et gratiam referat quam me vix unquam posse rependere certo scio. Dabis veniam si longiores literas in tantis occupationibus non possum. Vix huic tantulae epistolae tempus suppeditat. Bene vale, mi pater, mi domine. Nunquam finem faciam meam in te pietatem adaugendi, ita de me es meritus: nunquam intermittam a Deo petere ut, si amet ecclesiam quam tuae fidei credidit, animum tuum in istis difficillimis temporibus virtute sua confirmet. Nunc quaeso ut id faciat et te tuumque hospitem [1]) incolumes tueri velit. Lausannae 17. Cal. April. 1550.

Deditissimus tibi
Franciscus Hotomanus.

1356. 1) *i. e. ipsam, nunc Lausannensem.*

Beza te salutat quam officiosissime. Quaeso ut meis verbis salutem dicas D. *Galasio*, cui perlibenter scriberem si esset otium.

1357.

VIRETUS CALVINO.

Occasionem scribendi praebet causa quaedam matrimonialis de qua amicum adit propter testimonia Genevae conquirenda. De typographia Lausannae exercenda Bernensium ambigua responsio. Synodalia Lausannensium postulata in Senatu tractata.

(Ex autographo Cod. Genev. 111ª, fol. 184.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae amantissimo.

Genevae.

S. *Riverii*[1]) nobis verba fecerunt de quodam qui fidem dedit eorum cognatae, rogaruntque non[2]) hic admitti possent ad solennem matrimonii in ecclesia consecrationem, quod id facere prohiberemini ea coniugali lege quae ab ea arcet consecratione omnes qui istic annum non exegerint. Respondimus, nihil nos tali lege impediri, sed nobis opus esse aliquo bonorum virorum testimonio, quo calumniam effugeremus et periculum declinaremus in quod saepe incidere solent qui hac in re sunt nimis temerarii. Admonui itaque ut id darent operam aut apud te aut alium aliquem symmystarum tuorum, ut a vobis nobis aliquod afferrent testimonium. Aiunt enim istic fere annum exegisse, sed vobis non admodum notum. Sed nobis satis erit si testemini quod de utroque audieritis, sponso et sponsa, a bonis viris quibus sunt quam vobis notiores.

Nostri verba fecerunt Bernensium legatis de typographia, sed non responsum est satis ex animi sententia.[3]) Quo fit ut non sperem huc typographum commigraturum. Nescio an offensi fuerint nostrorum oratione, quod non petierint prius an id per principes liceret, sed, quasi hoc sibi liceret sine ulla principum venia, domum duntaxat petierint qua eum exciperent. Quid sint nostri amplius super hac re deliberaturi exspecto. Omnes id avide expetunt. Sed metuo ne legatorum responsum eos offenderit, nec si id nisi bona cum principum venia tentarint haud feliciter cadat.

De rebus nostris nihil ad te scribo, quia exspecto ut fidem tuam liberes et praesens omnia videas. Sed metuo ne id non possim ante pascha. Legati qui hic fuerunt nos exceperunt humanissime et valde honorifice, et multa quae tamen non habebant in mandatis in usum scholarum egerunt nostro rogatu. *Steguerus* narravit de synodalibus nostris postulatis in senatu transactum esse,[4]) ac rem totam iam penes *Gironum* esse. Misimus literas nostras classis totius nomine scriptas ad Tigurinos et Bernates.[5]) Dominus bene vertat.

Farellus nuper scripsit ad me de suo praefecto et eius adversus ecclesiam studiis. Cupit hac de re a nobis scribi ad *Hallerum*, et a nobis admoneri ut Neocomensi adsit ecclesiae. Tu cogitabis quid sit utrique faciendum. Optat praeterea utrumque nostrum eo usque aliquando exspatiari, si per otium liceat et ecclesiae negotia. Si opportunum erit, quum nos invises, fortasse iuvabit eius votis satisfacere. Sed velim me prius abs te moneri, atque etiam *Farellum*. Nostri omnes recte valent et te salutant, nominatim commater et utraque filiola, quae recte valent de beneficio. Vale. Lausannae 16. Martii 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1357. 1) *N.* 1346, *not.* 1.
2) *lege:* num.
3) *Genevae etiam edictum fuit* 15. *Febr.* 1560 *ne quis prelum excercere praesumeret nisi cum venia senatus.*

1358.

IONVILLAEUS[1]) CALVINO.

Effuse eius erga se benevolentiam laudat et reditum in patriam meditatur, si quidem Calvino intercedente ipsius mater mitiora de eius futura conditione consilia capiat.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 747. Edidit Liebe p. 38, ex quo descripsit Simlerus Vol. 72.)

Mon Signeur Mon Signeur despeville.

S. *Veratius*[2]) noster, mihi multo carissimus[3]) frater, postremis suis ad me literis copiose scripsit

4) *Cf. N.* 1354.
5) *N.* 1315 *et* 1352, *not* 1.

1358. 1) *Carolus de Ionvilliers Carnutensis, Budaeorum familiaris dum Lutetiae studiis operam dabat, invita matre ad sacra transiit evangelica. Cf. Bonnet, Récits du* 16ᵉ *Siècle. p.* 101. — *Liebius perperam scribit:* Iouvillaeus.
2) *Io. Budaeus, seigneur de Vérace, sororem Ionvillaei duxerat (Galiffe III.* 86).
3) carissime *L.*

atque explicavit quam sis, vir optime, sollicitus de meo reditu,[4]) quamque ex animo labores ut primo quoque tempore hinc revocer, ne diutius in tam foetido coeno tanquam lutulentus sus voluter. Tanta fuit semper tua in me benevolentia, toties illam sum expertus,[5]) ut me tibi devinctiorem habere neminem possis. Quo fit ut tuae tam singulari amicitiae et humanitati ac diligentiae, quam in rebus meis adhibes, me nunquam posse ullo modo respondere intelligam. Unum tamen tibi bona fide adpromittam, quod certo in omni vita praestabo, me tuum sic perpetuo futurum,[6]) alium ut quemvis nunquam magis colam aut cui plus deferam. Id semel promissum[7]) satis fuerit ad me semper in officio retinendum. Plura igitur tibi non pollicebor: tantum gratias quam possum maximas ago pro eo labore quem meo nomine suscipis, ut meae tandem libertati et vobis omnino restituar.

Facile vides, vir optime, quantum hic animo distrahar quibus mentis angoribus crucier, quanto moerore totus hic langueam atque contabescam. Huius tanti doloris causas non adscribam, ne actum prorsus agam. Et vero tibi non ignotas mihi persuadeo. Sed ex omnibus una praesertim me movit, quum ex fratris mei *Veracii* literis intellexi quo nunc sit animo mater mea, et quid illa decreverit simul atque illuc rediero.[8]) Eius voluntatem et consilium ex literis quas ipsa sorori meae scripsit te novisse scio: hinc fit ut nunc omnino taceam.

Reditum meum, etsi plurimis ac iustissimis de causis antea vehementer optarim, hoc tamen tempore vehementius, si fieri possit, desidero: quem ut impetrare tandem aliquando possim nullum lapidem non movebo, quoad apud illam obtinuero, cui nuper ea de re satis copiose rescripsi:[9]) ut plane sit saxea nisi perpellatur, quum propter alia tum vel maxime propter tuas et nostri *Veracii* literas ad id ipsum consequendum perscriptas.[10]) Quod si ad eam iterum scripseris, ut te facturum mihi significavit noster *Veracius*, mihi rem longe gratissimam feceris. Eam enim tuis literis ita excitatum iri spero, nihil ut sit praetermissura quoad omnino confecerit quod expetimus.[11])

Caeterum quod his literis addam aliud non habeo. Quae hic gerantur lubens taceo. Prolixior esse nolo ubi nihil est opus. Itaque tibi tuisque precibus me commendatissimum ut habeas a te vehementer precor. Dominus noster te perpetuo tueatur et tamdiu nobis incolumem servet quamdiu pro sua sapientia necessarium suis novit. Noster *Mottensis*[12]) more suo studiis suis distractus te plurimum salutat. Bene vale, vir optime et mei studiosissime. Patavii ad nonum Kal. Aprilis 1550.

Tuus perpetuo quam devinctissimus
C. Ionvillaeus.

4) *Patavii commorabatur iurisprudentiae studium persequens.*
5) *Patet eum iam antea Genevae fuisse et quidem diutius Calvini familiaritate usum.*
6) *Promissis fidissime stetit quum Genevam reversus Calvini ad mortem usque amanuensis fuerit.*
7) promissum *om. L.*
8) *Quaenam potissimum matris consilia fuerint ipso tacente nescimus, profecto tamen talia quae ipse nonnisi exsul irrita facere poterat.*
9) scripsi *L.*
10) scriptas *L.*
11) *Quae spes eum fefellit.*

1359.

CALVINUS VIRETO.

De itinere ex Farelli consilio iunctim faciendo pauca praefatus, testimonia affert civium quorundam Genevensium in causa matrimonii, cuius ille mentionem fecerat, optima quaeque affirmantium.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 34 quod etiam descriptum exstat in Epp. Bernens. Tom. VI. p. 75 et iterum p. 147 et ap. Simlerum Vol. 72.)

Eximio Domini nostri Iesu Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori fratri et amico integerrimo.

S. *Farellum* istic nuper fuisse audio.[1]) Ex eius nimirum sermonibus iudicium facere potes, numquid superioribus quas ad te scripserat literis nos obsequi expediat. Si eundum esse censueris, nullum magis opportunum videtur fore tempus, quam si paulo ante scholae vestrae promotiones hinc solvamus, ut Lausannae simus ad diem praefixum. Quod si res maiorem celeritatem postulat, statim a paschate,[2]) ubi condixeris, ero paratus.

Quantum ad coniugii benedictionem attinet de quo mentionem facis, quinque pii et bonae existimationis viri testati sunt in conventu nostro, adulescentem sibi in Gallia fuisse notum, illic honeste semper et modeste vixisse, non esse alibi matrimonio illigatum: ex quo autem huc migravit sincerum pietatis affectum prae se tulisse, ut de eius probitate fideque non dubitent: deinde industria esse praeditum ut se et uxorem alere possit. Nomina testium sunt: Maturinus *Quelineau*, Petrus *Vimont*,

12) *fortassis ex gente gallica De la Motte, cuius plures fuerunt inter protestantes insignes (Haag. VI 249).*

1359. 1) *De quo nihildum in proxime praecedente Vireti, quam etiam ad sequentia illustranda conferas.*
2) *quod eo anno incidit in 6. Aprilis.*

Ludovicus *Mollin*, Stephanus *Ravault*. Quinti nomen mihi excidit. Adamus et Ioannes *Riverii*. Sponsam hic [3]) postremi non tantum se novisse sed cognatam suam esse affirmant. Haec scripsi de communi fratrum sententia. Quia *Bullingeri* literas te non legisse ex sigillo animadverti eas ad te mitto. [4]) Vale, frater et amice integerrime. Dominus te, uxorem et duas filiolas conservet, quas salutabis. Fratribus quoque plurimam salutem dices. Bezam exspectabimus, qui de tuo consilio nos certiores faciet. Iterum vale. Dominus vobis omnibus semper adsit. D. *Normandius*, collegae mei et alii amici vos omnes salutant. Genevae 5. Calendas Apriles 1550.

Ioannes Calvinus tuus.

1360.

VIRETUS FARELLO.

De profectione una cum Calvino Neocomum instituenda inter utrumque convenit, cuius diem amico significat.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. IV. N. 6. Cf. Perroti vitam Farelli MS. p. 104. al. 150.)

Eximio Iesu Christi servo Guilielmo Farello ecclesiae Neocomensis pastori vigilantissimo fratri et symmystae coniunctissimo.

Neocomi.

S. Diem non adscripsi promotionum quod te huius rei non esse ignarum existimabam, cui sunt dicatae Maii et Novembris calendae. Ergo die Iovis qui primus Maii mensis erit tota schola ad hanc rem convenit. *Calvinus* statuerat ante hunc diem ad vos proficisci, ac sic suam disponere profectionem ut ad diem promotionum huc una rediremus: sed supervenerunt quaedam quae sententiam mutare compulerunt. Porro haec est eius deliberatio. Huc se sistet ad eum Mercurii diem qui proxime promotiones praecessurus est. [1]) Toto die Iovis hic haerebit. Postero die iter ad vos arripiemus, ut commode istuc perveniamus ad diem Saturni. Intelligis igitur quod cognoscere cupiebas. De rebus nostris tum familiarius et copiosius colloquemur. — — — — — Lausannae 18. Aprilis 1550.

Tuus Petrus Viretus.

3) *Sic. Lege:* hi.
4) *N.* 1355.

1360. 1) *id est pridie Cal. Maias.*

1361.

SOCINUS CALVINO.

Iter germanicum instans annunciat et literas Wittebergam ferendas sibi in tempore mitti iubet.

(Ex autographo Cod. Genev. 113, fol. 86.)

Doctrina pietateque clarissimo viro D. Ioanni Calvino . . . . . observandissimo.

Genevae.

Vinculum nostrum illud in Christo Iesu felicissimum, quo contenti communis et simul aeterni patris gloriam suspiramus uniformiter, usque adeo semper magni feci facio faciamque dum vivam, ut discingi, ut remitti non timere, arctius vero constringi, atque omnes nos in unum transformari pariter, non amare, non expetere nunquam possim. Idcirco hae tuae postremae [1]) tanta me expleverunt laetitia ut solummodo orem quas nunc et perpetuo Deo gratias agere possim. Nunc autem, doctissime *Calvine*, haud pauca contemnendave perdiscere ex te velim. Verum quia id multo facilius praestari collatione et conversatione, quam vobiscum habere diuturnam statui, si quando me reducem ex Saxonia Dominus voluerit, quo me profecturum initio mensis Iunii [2]) iam tibi significo, ut ad *Melanchthonem*, quod perquam gratissimum esset, aut ad amicos alios scribere mittereve si quid velis, in tempore huc perferri posses curare. [3]) Satis erit si in nundinis Surzaccensibus adsint. Witemberga postea copiose at te scribam de omnibus: quin et mittam omnia quae ex te te desiderare intellexero. Et quid aliud in tanta temporis penuria? Fratres saluto omnes et me ut redament oro. Tiguri 20 Aprilis 1550.

Pro appendice [4]) gratias ago ingentes.

Tui observantissimus
Laelius Sozinus raptissime.

1361. 1) *deperditae. Respondisse Noster censendus est ad N.* 1341.
2) *Socinum d.* 18 *Iulii Wittebergam venisse et Melanchthoni literas attulisse testatur Baumgartner Norimbergensis in Corp. Ref. VII.* 632.
3) *His perlectis tu satis habeas intellexisse quid iste sibi velit; syntaxin cave cures.*
4) *libelli adv. Interim.*

1362.

LENGLINUS [1]) CALVINO.

Commendat Italum quendam Genevae conditionem quaerentem et hac occasione statum ecclesiae Argentoratensis depingit.

(Ex autographo minutissimo Cod. Genev. 109, fol. 31.)

Doctissimo simul ac pientissimo viro D. Ioanni Calvino verae theologiae professori sincerissimo ecclesiae Gebennensis pastori fidelissimo domino praeceptori suo summe colendo.

Genevae.

S. D. Eximia tua pietas simul et humanitas, *Calvine* doctissime, quae mihi non ex aliorum relatione sed propria experientia compertae sunt, in causa fuere ut ausus fuerim ad te in praesentiarum scribere, atque hunc Italum fratrem propter evangelion Iesu Christi exsulem per literas tibi commendare. Ex Augusta ad nos venit et mercatorum quorundam et concionatoris unius Augustani testimoniis commendatus, qui suis literis optimum illi pietatis et integritatis testimonium tulerunt. Fuit hoc proposito [2]) ut apud nos aliquamdiu commoraretur donec conditionem sibi competentem consequi posset. Verum quia vidit se non posse germanicam linguam, pronunciatu difficilem et asperam, Italis maxime, nisi longo tempore et magno labore discere, mutata sententia ad vos profectus est, ut quorum lingua cum italica plus vicinitatis habet, et quod speret se posse citius et melius suis rebus istic consulere. Statuit artem aliquam mechanicam perdiscere, e qua sibi victum necessarium comparet. Nam arbitratur se non esse idoneum ad ecclesiasticum ministerium obeundum. Quo in statu fuerit, et qua occasione extorris factus sit, te non celabit. Videtur esse pius homo, quod inde colligo quod de se humiliter sentit et nemini vult esse oneri, ac mavult esse cum Christo extra patriam pauper, quam cum Antichristo apud suos in splendida et lauta fortuna: quodque, licet insuetus sit laboris manuarii, tamen satagit bona conscientia in sudore vultus pane suo vesci. Haec puto esse christiani hominis non vana indicia. Eum itaque tibi, doctissime simul ac pientissime *Calvine*, fraterne commendo, quo eum iuves tua opera, ut quod instituit queat assequi. Facies in eo rem mihi non minus gratam quam si in me ipsum beneficium collocares. De tua pietate erga Christi membra nihil dubito: ideo pluribus verbis in hac re uti nolo.

De ecclesiae nostrae statu haec paucula habeto. Adversarii nostri magno impetu conati fuerunt Christum ex hac civitate explodere, insolentiores facti perspecto nostrorum procerum metu et pusillanimitate. Verum Dominus noster Iesus Christus, qui pro ecclesia sua vigilat et eius sedulas preces attendit, primo statim die, quo sua detestanda sacra in tribus templis [3]) inceperant, pudefecit, non per armatas civium manus, sed per puerorum inermium risus et cachinnos, ut mox nemine persequente impii finem suis exercendis naeniis imposuerint, atque altero die multi eorum ex urbe migrarint, ut vere liceat illud Davidis ex psalmo 2 in eos torquere: Qui habitat in coelis derisit eos et in furore suo terruit eos. Ita misericors Dominus Zebaoth ac deus noster suo more per imbellem pueritiam istos gigantes et Goliathos castris Dei exitium minitantes prostravit, et, ut Paulus ait, per infirma pudefecit huius mundi fortia. Pro hoc auxilio ex improviso divinitus nobis lato nunquam cessamus Deo optimo patri nostro per Iesum Christum gratias agere, nec dubitamus quin vestrarum ecclesiarum preces, quas novimus esse pro nobis valde sollicitas, multum nobis profecerint ac etiamnum prosint, quas pro nobis indesinenter fieri obnixe precamur. Tria praecipua templa adhuc stant vacua et deserta, [4]) nullae in eis habentur conciones, nulla dispensantur sacramenta, quae pfaffi senatus permissu occupaverant. In quatuor templis, nimirum D. Thomae, D. Gulielmi, D. Nicolai et D. Aureliae, constanter et pure adhuc quotquot in ministerio sumus evangelion Iesu Christi docemus atque eius sacramenta distribuimus. Plebs ipsa, seu cives ipsi maxima ex parte bona fide et obedientia in confessione Christi et societate ecclesiae ipsius perdurant, omnibus modis profana papistarum sacra et impiam doctrinam abominantes. Pauci sapientes, divites, potentes ac nobiles dignam Christo professionem fecerunt: bona pars illorum resignato civitatis iure, licet in magistratu quidam essent, alio migrarunt, suos subditos quos tueri oportebat in periculo deserentes. Sed quos ipsi deseruerunt Dominus deus noster benigne suscepit et paterne protexit. Apertum est etiam templum monasterii Praedicatorum satis amplum, [5]) ubi quotidie

---

1362. 1) *Io. Lenglin Ravensburgensis per aliquod tempus Buceri amanuensis, a.* 1536 *pastor ad S. Guilielmi Argent. simul in coenobio S. Nicolai in undis, quod dicebatur, in eadem vicinia sito, ubi et Calvinus concionabatur.*

2) *sic.*

3) *scil. in aedibus cathedralibus, et in utraque D. Petri. Plura praebent Sleid. III.* 192 *et Roehrich, III.* 1.

4) *Pontificii sacerdotes, metuentes ne quod in festo purificationis acciderat denuo fieret, usque ad pentecosten sacris suis celebrandis supersederunt, quo die (25. Maii) solennis missa celebrata fuit (Sleid.* 203).

5) *Cf. Roehrich II.* 215. *Idem factum est a.* 1681 *post deditam Regi urbem, templo cathedrali catholicis concesso. Aedes hae amplissimae quae etiam bibliothecas publicas continebant d.* 24. *Aug.* 1870 *in obsidione urbis igne hostili deletae sunt.*

mane et vespere tantum docetur pro concione, nulla sacramenta porriguntur. Id enim fit diebus dominicis in praenominatis parochiis. Ecclesia gallicana, quam tu primus instituisti, adhuc apud nos in eodem templo locum habet et feliciter agit. [6]) Quamdiu simus ita pacem habituri, et an pfaffi papistici sint porro quieturi, Dominus novit. Nos certe et privatim et publice pro suggestu una cum tota ecclesia ipsum invocamus, ut conterat fortitudinem et superbiam hostium ecclesiae suae, et det nobis pacem in diebus nostris, ut placidam et quietam vitam degamus cum omni pietate et honestate.

Haec brevibus tibi de rebus ecclesiae nostrae volui significare, quam unice tibi, cum omnibus ministris suis fidelem adhuc operam navantibus, utut tantum non inter sacrum et saxum stemus, ac ecclesiarum vestrarum precibus commendatam esse opto. Nos vicissim vestrum indesinenter in precationibus nostris memores erimus. Plurimam meo nomine salutem dicito fidelissimis Christi ministris ac fratribus meis in Domino carissimis D. Gulielmo et Goscharo [7]) *Farellis*. Dominus Iesus Christus unicus salvator noster te quam diutissime corpore et animo conservet incolumem, ut tuis concionibus et scriptis ipsius ecclesiae valde adflictae iugiter prosis. Quotidie me tuarum lucubrationum lectione recreo et pasco. Quam velim omnes tuos commentarios in omnes apostolicas epistolas, [8]) imo in totum N. Testamentum quam ocyssime in lucem prodire. Ea enim re maximopere commodares ecclesiae et quosque pietatis studiosos summo beneficio pariter ac gaudio afficeres. Gratia et pax D. N. Iesu Christi sint tecum sine fine. Amen. Argentorati 11. Calend. Maii anno Domini 1550.

T. T. Ioannes Lenglinus
tui amantissimus
minister ecclesiae ad D. Gulielmi.

6) *Patet ex hoc loco, etiam post Garnerii excessum, qui ob Interim a 1549 urbem reliquerat, gallicas conciones habitas fuisse Argentorati. Mentio fit alicuius diaconi Ducloux, qui tamen et ipse solum vertisse dicitur, ita ut de accuratiore historia huius ecclesiae, usque ad Garnerii reditum et cultum gallicum in aedibus S. Andreae institutum minime nobis constet. (Roehrich III. 102. Maeder)*

7) *Gau hier.*

8) *Prodierunt anno sequente.*

1363.

MINISTRI TURICENSES VIRETO.

Respondent ad querelas Lausannensium de interdictis colloquiis, ita quidem ut Bernensis senatus decreta minime modum excessisse perhibeant, et haud obscure ipsorum agendi consuetudinem vituperent.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 63 ex parte lacero. Extat vero, ex quo textus refici poterat, exemplar per Bullingeri manum descriptum in Archivis Turicensibus Epp. Tom. I. Scrin. B, nunc Plut. VI. Vol. 105, fol. 450, unde habuit Simlerus Vol. 72.)

Clarissimo viro D. Petro Vireto Lausannensis ecclesiae fido pastori domino et fratri colendissimo dilectissimoque

Lozan.

Gratia vobis et pax a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo.

Literas vestras v. Kalend. Decemb. anno praeterito Viviaci ex generali conventu scriptas circa Kalend. Aprilis huius anni sero tandem, quod miramur, [1]) accepimus; nec licuit ad illas respondere protinus, quum propter privata tum propter publica negotia. Iam demum quum nonnihil otii nobis concessum sit impendimus hoc huic responsioni nostrae brevi, quam benigne a nobis accipiatis sedulo precamur. Tibi vero, D. *Vircte* frater colendissime, hanc inscribimus quod tu primum in scripto vestro publico locum occupabas et quod melius possis fratribus reliquis quorum interest, plenius mentem nostram explicare.

Vestro scripto exponitur [2]) multis, qualis inde a restituto Christi Domini evangelio politica ecclesiis vestris consuetudo fuerit conveniendi enarrandique scripturas, precandi denique et contribuendi in subsidium pauperum. Neque illam uberrimis caruisse fructibus donec *Zebedaeus* quidam invidia ambitioneque arreptus calumniis importunisque contentionibus reddiderit infamem, ita ut amplissimus Bernensis magistratus illam maximo cum ecclesiae dispendio abrogaverit. Ubi gravius [3]) accusatis confratres nostros, Bernensis ecclesiae ministros, ut qui hoc consilii inconsultis vobis magistratui suggesserint. Dolet id inprimis quod hoc exemplo animati vel hi vel posteri videantur omnia alia decreta synodalia pro suo arbitrio conturbaturi. Rogatis itaque ut causa vestra cognita iuvemus vos apud confratres nostros Bernenses.

Haec quum legimus, doluit nobis ex animo haec dissensio vel dissensionis species. Scimus enim, quod et vos non ignoratis, quanta in ecclesia Christi vel ex minimis scintillulis incendia non raro a Satana inter ministros ecclesiae vel non satis vigilantes vel non satis instructos caritate, sed sui

1363 1) *Nihil hic mirabile. Cf. N.* 1352.
2) exponitis *Turic.*
3) graviter *Turic.*

propositi paulo retinentiores excitata sint. Cavendum certe, fratres dilectissimi, ne idem et vobis eveniat, Satana nobis usque adeo sedulo et improbe nobis insidiante.[4]) Nos certe Deum continuis oramus precibus pro vobis et pro concordia ecclesiarum ac ministrorum Dei. Et sicut quaedam huius causae contulimus cum dilectis confratribus Bernensibus, sic nunc et vobiscum, quos in Domino veneramur et diligimus, velut confratres carissimos, paucula haec amice conferemus.

Nobis quidem apparet, amplissimum[5]) Senatum Bernensis reipublicae non omnino sine rationibus tam severum contra colloquia vestra, qualia iam ultimo fuerunt, decretum tulisse. Nec videmus cur tantopere commoveamini[6]) adversus confratres nostros Bernenses, qui decretum illud magistratus non impedierunt. Audistis procul dubio ab ipsis quid eos commoverit. Quod vero vos maxime urit, metus videlicet ne hoc exemplo vel posteri vel hi ipsi perrumpentes etiam alios ecclesiae salutares ritus suis decretis disturbare pergant, nobis[7]) quidem minime metuendum videtur. Quemadmodum enim hactenus non apparuerunt nobis in decretis dictis et factis procerum et ministrorum ecclesiae ulla praeiudicia ambitiosa aut saevae tyrannidis indicia, sic in hac ipsa colloquiorum causa, datum vel redditum vobis videtur (nisi non intelligamus negotium) quantum satis esse possit. Principio enim colloquia illa non amplius astricta sunt ad numerum illum quaternarium, sed quoties libet, ac ecclesiae videtur salutare, coire in coetum licet. Deinde conceditur legitimus tractandi scripturas modus. Nam iuxta Pauli institutum, duo aut tres loqui, caeteri diiudicare iubentur. Habent ipsi prophetae, interpretes inquam, linguarumque professores, suum dicendi et declarandi tutissimum locum. Quid possit desiderari amplius? Non gravamini haud dubie illa decreti parte qua cavetur ne contentionibus aperiatur area, ideoque non cuilibet dicendi locus aperitur. Non modo contentionem vitare praecipit in disputationibus apostolus in epistola ad Timotheum, sed et occasiones et omnia per quae ad contentiones pervenitur. Decet nos profecto hac in re modum tenere esseque diligentissimos et vigilantissimos. Et exempla quidem plurima nos docent modestiam. Iam etiam subsidium in pauperes sanctos distribuendum colligere nemo prohibet. Permittitur, imo mandatur diligens super segniores pastores vigilia. Hos admonere et corripere, quo sani sint in doctrina et vita, et potestis et debetis. Caeterum quod magistratus minas pro more adiecit, quas arbitramini non modo acerbas sed intolerabiles esse, nihil quidem ad vos pertinere putamus, si perstiteritis in officio. Audit filius familias se iri abdicatum si hoc vel illud designet. Sic enim pater pro autoritate sua minatur. Verum filius, quia parentem reveretur, *nihil*[8]) metuit abdicationem, neque *minas illas ad se pertin*ere arbitratur. Haec ani*mo plane amico conferi*mus vobiscum, fratres in Dom*ino honorandi et colendissimi*, nec constituimus nos iud*ices controversiae vestrae.* Admonemus vos caritatis, *sicuti et fratres Ber*nenses admonuimus. Oramus *ne materiam suppedite*tis altercationibus et odiis. *Videntur vobis Bernates egisse* imperiose satis. Vos videm*ini illos satis acerbe* compellasse. Si iam perg*erent vestra excipere*, *quod* deprecati sumus, nemo non *intelligit quantae ex in*itiis minimis prorumperent *turbae. Obtestamur ergo* vos per caritatem chris*tianam*, *ut invicem condo*netis si vos mutuum of*fendistis. Habetis vos rursum* vestra colloquia legitima, *modo his non abutami*ni. Habetis adhuc eligen*di ministros inviolatam* potestatem. Si quid in illa controversia videtur dictum aut factum acerbius, condonate ac dissimulate: dissimulabunt Bernates quoque illud quod videtur a vobis aut dictum aut factum odiosius. Ne obsecro reparentur inter vos contentiones. Sat alioquin hostium nostris imminent cervicibus. Non ignoratis, opinamur, quae consilia Papa cum Caesare communicet de opprimenda vera religione.[9]) Paremus nos ad futurum certamen. Oremus Dominum ne unquam ecclesiae et nostro desit ministerio. Scribimus haec singulari erga vos studio amoreque, fratres honorandi et dilecti, speramusque aliquid valiturum apud vos fidelem nostram admonitionem. Nostrae ecclesiae negotiis ita constringimur ut aegerrime aliena negotia suscipiamus tractanda. Valete et perpetuo in vestris precibus nostri este memores. Dominus benedicat vestro ministerio. Tiguri 8. Maii Anno salutis 1550.

Vestri ex animo pastores et lectores
ministri ecclesiae Tigurinae.

4) *sic autogr. Exemplar Turic. prius* nobis *delet.*
5) amplissimum *om. Turic.*
6) *Sic voc. ex parte deletum restituimus ex Tur.*
7) vobis *Tur.*

8) *Quae deinceps typis cursivis expressa sunt ea in autographo charta lacerata non leguntur et ex Turicensi exemplari restituta sunt.*

9) *A. d. III. Idus Martias Caesar statibus Imperii scripsit:* Iulium III. et de sua creatione sibi nunciasse, et liberaliter de sua in rempublicam atque religionem voluntate pollicitum esse: eo cognito sibi visum fuisse tantam et tam optatam rei gerendae occasionem non esse praetermittendam, praesertim quum in ea salus Germaniae consistat. Incundam igitur esse rationem, ut ea quae superiori concilio decreta sunt et inchoata perficiantur. Deinde providendum esse ut et dissidiorum causae tollantur et obstinati quidam atque rebelles coerceantur (*Sleid. p.* 198).

1364.

HALLERUS BULLINGERO.

In causa Lausannensium utrosque, Bernenses et Turicenses, in eandem sententiam respondere debere demonstrat et quidem ita ut in posterum illi taceant.

(Ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, fol. 121. olim Scrin. B. Epp. Tom. 32. Inscriptio abest. — Simler. Vol. 72.)

S. Puto te ab aliis iam pridem intellexisse, colendissime domine compater, me salvum cum uxore mea Bernam reversum esse.[1]) Quod interea nihil scripsi idcirco factum, quia aut nuncius deerat, aut scribendi copia atque facultas, quum tamen maxime semper scribere cupivissem. Siquidem inprimis necessarium erat ut, sicut receperam me vobis significaturum consilium nostrum super Lausannensium petitionibus, illud maxime accelerarem et maturarem, ne vestrum responsum praeveniens nostrum a nostro discreparet.[2]) Quamprimum ergo redii huc consilium vestrum fratribus communiter proposui, et quamvis diversa essent iudicia et vota, pro indignitate rei quae alterum altero magis urebat, tamen tandem amice et concorditer in vestram ivimus sententiam, ut scilicet amice et sedate respondeamus ad illorum plus satis contumeliosas literas, admonentes ut concessione illis facta sint contenti, neque denuo aut senatui amplissimo aut nobis camerinam moveant. Quod quamvis nondum factum sit, hisce tamen fiet diebus, ut non inopportune vestrae quoque ad illos nunc sequantur literae. *Viretus* ad me interea nihil omnino scripsit. Callide enim nostrum prius venatur responsum. Difficile et arduum nobis est cum eiusmodi contentioso hominum genere agere, qui omnis quasi dilectionis expertes videntur et spirant subinde sublimius quid quam ministris Christi vel conveniat vel expediat, et nisi arceantur autoritate magistratus parerent nobis novas in singulos dies turbas. Spiritus est per omnia Argentoratensis, novis rebus gaudens, sublimitatem appetens, civilis imperii impatiens.[3]) Rogo ergo ne patiamini vos ipsorum sutelis et technis a nobis abstrahi. Sciunt probe nobis convenire inter nos. Cuperent aliquod discordiae pomum inter nos proiicere, ut ipsi rem suam vestra autoritate defendere possent. Necessarium est ergo omnino ecclesiis nostris ne patiamur societatem, quae inter ipsas fuit hactenus, interire. Haec de illis: quibus tamen et hoc non importune adiiciam, *Calvinum* et *Viretum* his diebus clam nobis venisse Neocomum ad *Farellum*,[4]) illuc alios quoque quosdam fuisse collectos. Qui suspiciosi sunt suspicantur illos iterum aliquid moliri. Ego illis non invideo. Conventus modo in Domino et ad pacem ecclesiarum conveniant. — — — — — — — — — —

Hiemit sind Got befolhen: üch grüsst mit sampt den üwern all min hussgsind, auch Herr Musculus mit dem sinen. Datum Bern den 12. May 1550.

I. H.

1365.

CALVINUS COLLADONO.

Familiam eius ut relicta patria Genevam se conferat hortatur, maxime quum eius soror Normandio elocata sit.

(Exemplar authenticum sed non autographon exstat in Cod. Genev. 107[a], fol. 35. Descripsit Turretinus in Cod. 111[a], fol. 241, ex eo Bernensis scriba Epp. VI. 117, et denique Simlerus Vol. 72. — Anglice vertit Constable T. II. p. 252.)

Eximiae pietatis et doctrinae homini D. Nicolao Colladonio.[1])

S. Mihi aliud in praesentia non erat scribendi argumentum, nisi quod absurdum fore ducebam, si nuncius hic ab homine mihi amicissimo et ob negotium mihi compertum data opera missus absque meis literis ad te veniret. Simul etiam verebar ne qua patri tuo obreperet sinistra suspicio, si nullam audiret a me interpositam esse vocem. Cur *Lau-*

1364. 1) *Turicum se contulerat ut ibi magistratui ob concessam dimissionem gratias ageret, et res domesticas curaret.*

2) *Turicenses iam quatriduo ante scripserant quam haec exarata fuerit. Verum eorum consilium ipse Hallerus Bernam asportaverat priusquam authentice descriptum illud Lausannam misissent.*

3) *Unde et quorsum haec? Ut isti parum cum Bucero convenisse certum sit, tamen vix talia in hunc cadere posse videntur.*

4) *Cf. N.* 1360.

1365. 1) *Colladonorum familia oriunda erat ex oppido La Châtre in finibus Biturigum, ubi pater Germanus C. iudicis et capitanei munere fungebatur. Cuius duo filii Leo et Germanus, ambo advocati, religionis causa Genevam migrarunt, anno ut videtur* 1551. *Leo ibi obiit pridie Cal. Sept.* 1552. *Germanus in civium ordinem receptus a.* 1555, *partes suas egit in consilio LX. virorum, et cum Calvino codicem edictorum politicorum et civilium reipublicae concinnavit. Obiit a.* 1594. *Nicolaus vero Leonis filius fuit.* Il paraît avoir exercé dans le Berry des fonctions pastorales avant de se retirer à Genève en 1553. Il fut nommé ministre de Vandoeuvre, et succéda à Calvin dans la chaire de théologie (*Haag*).

ventius [2]) meus profectionem, ad quam eum hortatus es, hoc tempore non suscipiat, paucis quidem excusat: sic tamen ut vobis plane satisfactum iri ambo speremus. Hoc tantum addam, ab eo minime praetextus captari quominus ad vos accedat. Eodem enim quo fuit animo adhuc esse polliceor. Verum ubi omnia serio mecum expendi, vix illi consulere audeo ut nunc domum relinquat. Bene autem res habet quod interea de migratione cogitant, ad quorum colloquium ipsum invitas. Et sane confici in hoc negotio nihil potest quin ad nos transeant. Puella enim hic elocata, domi manere nimis esset ipsis periculosum. Tuum ergo erit urgere ut collectis vasis ad iter se accingant. Ridiculum hoc prima specie videri posset: quasi in re adeo difficili et perplexa omnia mox expedita esse fingam. Ego vero non ita sum imperitus quin obstacula, difficultates, remoras animo concipiam quibuscum vobis luctandum est. Hoc tantum volo, quia cessationi hac in re locus non est, ut strenue in partes tuas incumbas. Vale, frater mihi in Domino carissime. Parentes tuos et patruum totasque familias officiose meo nomine saluta. Dominus vos spiritu prudentiae et fortitudinis gubernet, vobis adsit, vestros pios conatus promoveat. Amen. 3. Idus Maii 1550.

Carolus Passellius.

1366.

HALLERUS BULLINGERO.

Iterum de Lausannensibus agit et consilium declarat secundum quod iis respondere conveniat.

(Ex autographo Archiv. Turic. olim Scrin. B. Epp. Tom. VIII. nunc Plut. VI. Vol. 115, fol. 2875. — Simler. Vol. 72.)

Clarissimo viro D. Heinrycho Bullingero Tigurinae ecclesiae antistiti summo domino suo et compatri venerando.

S. De Lausannensibus in praesentiarum nihil scribo, quia spero meas te interea accepisse, quibus argumentum illud tracto. Homines sunt inquieti et superciliosi. Bonitate vix ulla vincuntur. Ubicunque vident querelis suis locum dari acrius instant et omnia verbis atque calumniis implent. Et vix nisi modesta severitate in officio retinentur. Id quod per non paucos iam expertus sum casus. Placet tamen nunc illis modeste et amice respondere: sic tamen ut sentiant non omnes suos conatus per omnia nobis probari. Si res adhuc devolveretur ad senatum iam actum esset. Tu hortaberis illos ut propter rem tam nullius momenti senatum et spiritus nostros non perturbent, et amaritudinem concilient et sibi et ecclesiis perniciosam. Quae de D. *Musculi* scribis stipendio sedulo hactenus curavi sed frustra. — — — — — — — — — — — — — — — Vale. Congratulor tibi de elocata filia. [1]) Dominus illis benedicat et tuis omnibus. Amen. Salutat te tuamque mea uxor. Salutabis eam ex me quoque. Bernae 17. Maii 1550.

I. H.

2) *Laur. de Normandie post mortem prioris uxoris d. 14. Sept. 1550 duxit Annam Leonis Colladoni filiam. Patet hanc epistolam ad hoc matrimoniale negotium et Colladonorum migrationem alludere (cf. Galiffe II. 530. 566. Haag IV. 1. Grenus, passim.)*

1367.

CALVINUS AMERBACHIO. [1])

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Archiv. eccles. Basil. Epp. eruditorum virorum Saec. XVI. C. I. 2. fol. 97.)

Ornatissimo viro D. Bonifacio Amerbachio ll. doctori meritissimo

Basileae.

S. Hic adulescens ius civile in Italia gustavit. Quantos fecerit progressus non est meum iudicare. Studium tamen cui animum addixit quum vellet persequi, consului ut istuc potius quam in Galliam se conferret. Ergo quum me autore tibi operam dare instituerit, facere non potui quin aliquid ad te commendationis proficiscenti darem. Quanquam nihil de te sum promeritus, eam tamen benevolentiam erga me semper exhibuisti, ut te mea causa plus facturum confidam quam verecunde abs te petere ausim. Nihil tamen aliud peto nisi ut iuvenem hunc qua studiosos omnes soles humanitate exci-

1366. 1) *Bullingero nati erant undecim liberi, e quibus Margareta, de qua hic agitur, secunda fuit filia. Mense Martio nupserat Ludovico Lavatero, soceri sui diacono, postea antistiti, Io. Rudolphi Lavateri filio, qui per duodecim annos urbis consul fuerat, et quanquam in proelio Cappellano victus maximo apud plebem favore gaudebat.*

1367. 1) *Hunc supra obvium habuimus N. 390, not. 4. Calvinus saepius Basileae commoratus facile eum propius cognoscere potuerat.*

pere ne graveris, atque ut illi accessus ad te pateat quantum sinet tua commoditas. Vale, ornatissime vir et mihi ex animo colende. Dominus tibi semper adsit teque ac domum tuam benedicat. Genevae 16. Calend. Iunii 1550.

Ioannes Calvinus tuus.

1368.

VIRETUS FARELLO.

Falsi rumores sparsi de Calvini retractatione.

(Excerptum ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. IV. N. 7.)

Fidelissimo Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae observando

Neocomi.

— — — — — — — — — — — — — — —

Quum nuper illa transiret *Scotus* [1]) vir doctissimus, qui hic agit apud nos, audivit a ministro Iverdunensi et ludimagistro magna *Zebedaei* elogia. Quibus addebant a Lausannensibus expulsum quod saniorem tueretur doctrinam adversus Lutheranos et Buceranos. Haec nobis *Scotus* narravit. Narravit item sparsum per Germaniam a studiosis quibusdam nominis Tigurinorum, *Calvinum* tandem recantasse et in sententiam Tigurinorum subscripsisse. [2]) Non possunt facile cohiberi hominum ingenia et linguae. Nos solum cupimus omnes Christum et eius veritatem eo esse in loco quem oportet, ac omnibus clarum facere quantus sit noster in Christi veritate inter nos consensus. Isti autem male feriati homines nos student inter nos committere, quasi nostra ageretur causa, et de nostra gloria atque victoria, non Christi, valde essemus solliciti. At spero Tigurinos non magis his rumoribus aut assentatoribus commovendos quam nos commovemur. — — — — — Lausannae 21. Maii 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1368. 1) *Quae hic narrantur tibi in memoriam revocabunt quae similia legisti ex ore incerti alicuius Picardi Farello scribentis N.* 1332. *Cum quo nostrum Scotum confundere noles, si hoc nomen gentilitium est. Verum caetera omnia adeo congruunt ut potius hic eandem fabulam narrari crediderimus, et Scotum vel, ut fortasse legendum est, Scorum nomen viri fuisse. De Scoro cf.* 1410, *de Scoto* 1413, *not.* 6.

2) *Scil. Lutherani Consensum ita interpretabantur imprudentius quam verius.*

1369.

RÉQUISITOIRE DU PROCUREUR CONTRE LE LIVRE DE GRUET.

(Jaques Gruet avait été exécuté le 26. Juillet 1547, voir N. 932. Un nouveau procès fut intenté à sa mémoire à l'occasion de la découverte d'un sien écrit, que le Conseil soumit à Calvin pour entendre son avis. Nous faisons précéder celui-ci du présent réquisitoire pour ne pas séparer les pièces de cette cause, bien que ce document remonte au 21. Avril. Il est copié sur l'original authentique conservé aux Archives de Genève: Procès criminels.)

Articles pour le Procureur general contre la fame [1]) de Ia. Gruet.

Magniffiques puissans et tresredoubtes seigneurs, pource que loffice de vostre fisque et procureur general requiert que la out il se apperceoit de cause de offence ou delit jl doibt cela mettre en avant et suyvre jusques a ce quil en aye entendu vostre bonne volonte affin que par faulte de justice les malins ne demeurent parsuyvans en malignite, mais prenent exemple et dicelle se retornent et les bons ayent joye et contentement de veoir regner justice et mesmement sus les forfaictz du tout detestables et abominables, vostre dict fisque et procureur Pierre *Wandel* vostre citoien treshumblement vous propose les briefz suyvans articles par lesquelz il pretendt agir contre la voix fame et renommee de Jacques *Gruet* fut par vostre juste sentence pour ses demerites du moys de Julliet en lan mille cinq cens quarante sept exequte Lesquelz jl se offre veriffier et sus lesquelz il demande proceder par justice et justice luy estre ministree.

1. Premierement propose que du temps que ledit *Gruet* fut faict prisonnier jl avoit et possedoit une maison en ceste cite au bourg deffour [2]) au lieu dict en la porte du chasteau [3]) en laquelle jl se tenoit et habitoit luy seul sans avoir personne qui habitasse avecq luy.

2. Item et lequel *Gruet* estoit homme scavant en escrire et qui escrivoit beaucoupt de choses tant licites que jllicites.

3. Item et pour ce du temps de sa detention lon trouva en sadite maison plusieurs escriptures en plusieurs et divers lieux.

1369. 1) *réputation*, fama. *Elle est attaquée judiciairement la personne elle-même n'existant plus.*

2) *Orthographe actuelle:* le Bourg-de-Four (*vicus foris situs i. e. ante portam?*).

3) ou arcade du Bourg-de-Four, porte massive qui disparut en 1840, dernier vestige de l'ancien château de Genève, appartenant autrefois aux comtes et résidence officielle des autorités antérieures à la souveraineté épiscopale. *Galiffe, Genève historique et archéologique p.* 244.

4. Item et sans ce que jamais dudit temps lon trouvasse ny apperceusse le livre jcy apres au septiesme article declaire.

5. Item et pourtant fut procede a sentence et exequution contre luy seulement sur les jndices jnformations et exploictz allors apparans.

6. Item et sans ce que ledit livre fusse encore en apparissance ny mys en avant.

7. Item et que dempuys a scavoir de lan prochain passe et du moys de novembre, ainsin que ladicte maison fusse louee a lhostagier qui y demeure et quil fisse icelle recouvrir comment la necessite estoit, ung jeune filz habitant en jcelle maison avecque son tutheur estant en lhault de ladite maison auprest des chappuys [4]) recouvrissans Regardant la poulse [5]) et escoville [6]) de ladicte maison trouva dedans jcelle couvert ung livre de pappier couvert de parchemin marque dune telle marque *[7]) jntitule le journal auquel sont escriptes plusieurs parcelles de trafficques de marchans cancellees.

8. Item et auquel sont contenus et de la propre main dudit *Gruet* escriptz treze fueilles virans plains de abominables horribles jmfames et plus que oncques homme na vehu par escript detestables blasphemes contre la puissance honneur et essence de dieu.

9. Item et mesmement contre tous les sainctz patriarches et prophetes et non seulement en blaspheme de dieu mais par jmpositions de faulx noms et detestation de leurs escriptures.

10. Et specialement de nostre saulveur Iesuchrist, luy jmposant par detestation de sa divinite et essence faulx noms plains de crismes et blasphemes.

11. Item et aussi de la glorieuse vierge Marie mere de Christ et de tous les appostres et disciples de nostre saulveur esquelz aussi jl a jmpose faulx et detestables noms.

12. Item et contre tous les chrestiens qui hont creust en nostre saulveur Iesuchrist et croyent et vouldroient croire.

13. Item et contre toutes les sainctes escriptures tant du vieux que du nouveau testament.

14. Item et lequel livre jl a escriptz de sa propre main.

15. Item et que par jceluy livre appart que de luy mesme jl a compose telz detestables damnables et abominables blasphemes.

16. Item et quil les a mys par escript affin jlz fussent vehus et lheus et que quelque aultre se arrestasse a cela comment luy.

17. Item et que desdictes choses jl en a eust ouvers propos a plusieurs pour les attirer a telle enorme meschancete.

18. Item et que tout cela est contre la puissance autorite et honneur de dieu.

19. Item pourtant tel livre ne doibt estre tollere souffert ny permys estre au monde.

20. Item mais en doibt vostre justice faire declaration et condempnation.

21. Item et que toutes choses susdictes sont vrayes notoires et manifestes.

22. Item et lequel livre ledict vostre fisque vous exhibe requerant comment dessus luy ministrer justice.

4) *Charpentiers.*
5) *poussière.*
6) *torchon, linge attaché à un long bâton avec lequel les boulangers nettoient leur four, al. escouvilliere, écouvillon escoube (balai).*
7) *Dans le texte manuscrit se trouve ici une marque composée de deux croix placées l'une au dessous de l'autre, celle d'en bas enfermée dans une losange.*

1370.

CALVIN AU SÉNAT DE GENÈVE.

Il donne son avis sur le livre trouvé chez Gruet.

(L'original autographe se trouve en partie dans la Collection Eynard, en partie aux Archives de Genève dans les Procès criminels. Copies à Berne et chez Simler. — Imprimé dans Henry Tome II. App. p. 120, et dans les Lettres fr. de Bonnet I. 311. En anglais ed. d'Edinb. II. 254.)

Puisquil a pleu a Messieurs me demander mon advis quant au livre de *Gruet*, il me semble avant toutes choses quilz doibvent par voye iuridique faire recongnoistre la main, non pas tant pour la condamnation de lhomme qui desia est assez condamne, que pour la consequence, tant affin quon ne pense pas quilz se soyent esmus legierement pour un livre incertain, que pour le regard des adherents et complices.

Cela fait, il me semble que labolition du livre ne doibt pas estre comme sepulture, mais avec tesmoingnage quilz lont eu en telle detestation, comme il merite, et ne fust que pour lexemple.

Vray est que puis quil nous convient abstenir de toutes paroles deshonnestes, et ne doibvent sortir de nostre bouche, que telz blasphesmes et si execrables ne doibvent estre recitez, comme si nous nen avions nul horreur: mais suyvant la reigle que nostre seigneur a donnee en sa loy, il est expediant que magistrats fideles specifient les impietez quilz punissent. Dadvantage Messieurs scavent quil est necessaire pour beaucoup de raysons lesquelles ie leur laisse a considerer, combien que ce

qui en a este ordonne de Dieu nous doibt bien suffire.

La forme, sous correction,[1]) me sembleroit bonne, telle quil y eust un dicton ou narre semblable a ce qui sen suit.

Comme ainsy soit que tel an et tel jour Jacques *Gruet* tant pour blasphesmes enormes contre Dieu et mocqueries de la religion chrestienne que pour meschantes conspirations contre lestat public de ceste cite, mutineries et aultres malefices et crimes, eust este condamne a telle punition, depuis il est advenu quon a trouve un livre escrit de sa propre main, comme il a este recongnu suffisamment, auquel sont contenus plusieurs blasphesmes si excecrables quil ny a creature humaine qui ne doibve trembler a les ouyr, comme en general de se mocquer de toute la Chrestiente jusques a dire de nostre seigneur Jesus-Christ le fils de Dieu et Roy de gloire, devant la majeste duquel les diables sont contraincts de shumilier, quil a este un belitre, un menteur, un folz, un seducteur, un meschant et miserable, malheureux fantasticque, un rustre plein de presumption glorieuse et maligne qui a bon droit a este crucifie: que les miracles quil a fait ne sont que sorcelleries et singeries, et quil cuidoit estre fils de Dieu comme les Hireges[2]) cuident estre en leur synagogue, quil faisoit de lhypocrite ayant este pendu comme il lavoit merite, et mort miserablement en sa follie, follatre insense, grand yvrongne, detestable traitre, et meschant pendu, duquel la venue na apporte au monde que toute meschancete, malheurete et baroche; et touts opprobres et outrages quil est possible dinventer.

Des Prophestes que ce nont este que folz, resveurs, phantasticques: des Apostres quilz ont este des maraux et coquins, apostatz, lourdaux, escerveles: de la vierge Marie quil est plus a presumer quelle fut une pailliarde: de la Loy de Dieu quelle ne vault rien, ni ceux qui lont faicte: de lEvangile que ce nest que menterie: que toute lEscripture est fausse et meschante, et quil y a moins de sens quaux fables dEsope, et que cest une faulse et folle doctrine.

Et non seulement se desborde ainsi villainement contre nostre saincte et sacree Religion chrestienne, mais aussy renonce et abolit toute Religion et divinite, disant que Dieu nest rien, faisant les hommes semblables aux bestes brutes, nyant la vie eternelle, et degorgeant telles execrations dont les cheveux doibvent dresser en la teste a tous, et qui sont infections si puantes pour rendre tout un pays mauldict, tellement que toutes gens ayant conscience, doibvent requerir pardon a Dieu de ce que son nom a este ainsy blaspheme entre eux.

Sur ce, il me semble quil se doibt donner sentence en telle ou semblable forme:

Comme ainsi soit que lescrivain du livre ait este par iuste iugement condamne et exequute, affin toutesfois que la vengence de Dieu ne demeure point sur nous pour avoir endure ou dissimule une impiete si horrible, et aussi pour donner exemple a tous complices et adherents dune secte si infecte et plus que diabolicque, mesme pour fermer la bouche a tous ceux qui vouldroient excuser ou couvrir telles enormitez, et leur monstrer quelles condamnations ilz meritent, que Messieurs ont ordonne . . . . .

Le plus tost sera le meilleur, car desja ce malheureux livre na que trop este entre les mains de Messieurs.[3])

1371.

ARRÊT DU CONSEIL.

(Archives de Genève. Copies et Henry *ubi supra.*)

Procez contre le livre de Gruet tel quil fut prononce.

Suyvans le proces faict et forme en lan mille cinq cens quarante et sept et du moys de Iulliet par devant mes tresredoubtez seigneurs sindicques iuges des causes criminelles de ceste cite a linstance du seigneur Lieutenant et du fisque de ceste cite esdictes causes instantz contre Iacques *Gruet* lors tant pour blasphemes enormes contre Dieu et mocqueries de la religion crestienne, que pour meschantes conspirations contre lestat publicque de ceste cite, mutineries et aultres malefices par luy perpetres et confesses condamne et exequute, soit a tous notoire: Que dempuys il est advenu que en la maison dudict *Gruet* apres le toict dedans la poulse et escoville deladicte maison est este trouve ung livre de pappier couvert de parchemin, lequel ny a gueres est este revelle es mains de la justice et auquel entre aultres escriptures sont contenus treze fueilletz escriptz de la propre main et letre dudict *Gruet* contre lequel par le fisque de ceste cite est este demande justice.

Item et duquel la lettre a estee juridicquement

1370. 1) *C. à d. sauf correction. Henry a mis:* La forme. La premiere souscorrection (*d'après Simler*).

2) *Ce mot singulier a été omis dans les copies. Le traducteur anglais y a vu tres-justement les Hiérarques.*

3) *M. Bonnet a lu:* de ces messieurs (of these gentlemen) *c. à d. du public.* (*?*)

par bon examen de gens de biens dignes de foy recogneue estre celle dudict Gruet.

Item et auquel livre et trezes fueilletz ainsi juridicquement recogneust sont contenus plusieurs blasphemes si execrable quil ny a creature humayne qui ne doibve trembler a les aoir comme en general de se mocquer de toute crestiente.

Item et non seulement contre nostre saincte et sacree religion crestienne mais aussi y son contenues renonciations et abolitions de toute religion et divinite.

Item et audict livre sont speciallement escrips enormes damnables et par tout le monde intolerables blasphemes contre dieu createur du ciel et de la terre.

Item et aussi speciallement et exprimement contre son filz nostre saulveur et redempteur Iesuchrist et le sainct esprit.

Item et aussi nommement contre lhonneur et pudicite de la glorieuse vierge marie et sa mere.

Item et pour commencement de ses damnables blasphemes est escript contre la personne et doctrine de moyse par lequel dieu donna ses sainctz commandemens et sainctes loix aux enfans disrael son peuple.

Item et aussi icy sont nommement blasphemez tous les sainctz patriarches et prophetes comprins en la saincte escripture.

Item et pareillement par faulses impositions et blasphemes contre les sainctz appotres de Iesuchrist et les sainctz evangelistes et tous ses disciples.

Item et aussi nommement contre toute la saincte escripture soit tant du vieulx que du nouveau testament.

Item et aussi contre tout le ministere [1]) de la passion de nostre saulveur Iesuchrist et contre tous les miracles il a faict sus terre et nommement contre sa saincte resurrection.

Item et finallement jceux treze fueilletz par ledict *Gruet* pleynement escriptz et accomplys sont du tout pleins de si abominables horribles et plus que oncques homme ne vyt par escript detestables blasphemes contre la puissance divine et lessence de dieu et toute religion que pour lhorreur espouvantable du faict lon nose le lire ny prononcer.

Et [2]) nous Sindicques de Geneve juges des causes criminelles de ceste cite ayans vehu et entendu linstance par devant nous par nostre fisque faicte, et le contenu du livre par Iaques *Gruet,* que fut pour ses demerites en lan mille cinq cens quarante sept du moys de Iuelliet par nostre justice justement condamne et exequute, escript, et la recognoiscance de la lettre et escripture dudict *Gruet* escripvain dicelluy par bons tesmoings et gens de bien dignes de foy en nous mains faicte et le tout bien au long entendu par lequel livre et escripture nous appart jcelluy Iaques *Gruet* avoir escriptz enormes damnables detestables et abominables blasphemes contre Dieu son fils nostre saulveur Iesuchrist et le sainct esprit, les saincts patriarches prophetes disciples appostres evangelistes la glourieuse vierge marie contre toutes les sainctes escripturres contre toute divinite et contre toute religion crestienne:

A ces causes affin que la vengeance de Dieu ne demeure point sus nous pour avoir endure ou dissimule une jmpiete si horrible et aussi que pour fermer la bouche a tous ceulx qui vouldroyent excuser ou couvrir telles enormites et leur monstrer quelle condamnation jls meritent, nous seans en nostre tribunal au lieu de noz maiours apres avoir bonne [3]) participation de conseil avecq noz Citoyens ayans Dieu et ses sainctes escriptures devant noz yeulx, disans Au nom du pere et du filz et du sainct esprit Amen, par jceste nostre diffinitive sentence laquelle donnons icy par escript, jcelluy livre icy devant nous present Sentencons jugeons et condamnons a debvoir estre par lexequuteur de nostre justice porte au lieu du bourg deffour devant la mayson dudict *Gruet* escripvain dicelluy et la estre mys et gette au feu tant quil soyt brusle ars et consume en cendres si que la memoyre de telle abominable chose en soit perdue et ce pour donner exemple a tous complices adherans sil sen trouvoit dune telle secte si jnfecte et plus que diabolicque. Mandans a vous nostre lieutenant jceste nostre sentence faictes mettre en exequution.

Vendredy 23 May 1550 ceste sentence a este donnee et pronuncee par No. Claude *du Pain* Syndicque et dela incontinant exequutee et *Bertellier* a lisu le sommaire. [4])

1) *Les copies et Henry mettent*: mystere.

2) *Ce qui suit est écrit sur une feuille particulière et d'une autre main, et porte dans les copies la suscription:* Sentence*: et au dos*: Double de la sentence du livre brules et appertenant a Iaques Gruet comment plains dheresie et fus donnee le xxiij de May 1550.

3) donné *H.*

4) *Ce dernier alinéa ne se trouve que dans l'un des deux exemplaires qui se trouvent aux archives.*

1372.

CURIO CALVINO.

Gratias agit de libello sibi dono misso et vicissim alium suum tradit. Nova ex Germania de Caesaris consiliis.

(Ex autographo Cod. Goth. 404, fol. 797.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis antistiti et pastori vigilantissimo suo.

Genevae.

Per Christum Jesum unicum servatorem.

S. P. Quidam qui Lugduno veniebat appendicem tuam, [1]) *Calvine* optime atque observande, ad me attulit, qua explicata illico manum tuam in prima pagina cognovi: *D. Coelio Secundo Curioni Ioannes Calvinus.* Fuit hoc mihi pergratum ac periucundum, post tam diuturnum silentium, non omnino intermortuae tuae erga me benevolentiae et voluntatis vel exiguam significationem cernere. Tibi igitur ago gratias, quum pro munere ipso, tum pro tua in me humanitate, et egissem prius: verum exspectabam mihi aliquam tui remunerandi occasionem dari. Quae nunc aliqua ex parte obtigit. Nam quum Spierae historia auctior et munitior multo quam antea edita sit, [2]) putavi me tibi non molestam rem facturum si unum ad te exemplar mitterem. Accipies itaque eo animo quo a me mittitur, nimirum amico et bono. Quod si quid hic me tua causa curare velis, id perquam libenter sum facturus.

Hic nihil aliud novi auditur nisi *Caesarem* esse in itinere ut ad comitia Augustana proficiscatur, [3]) in quibus comitiis duo dicit se tractare velle, quorum alterum est negotium religionis, alterum de quibusdam imperio non parentibus, qua ratione sint coercendi sub iugumque mittendi. Sed ego arbitror caput esse ut imperium ad filium, id est, ad Hispanos devolvatur, [4]) siquidem pace *Ferdinandi* fratris liceat, quem hoc nuncio non valde gaudere ferunt. Utinam iam iste noster Hispanogermanus tandem in deos more maiorum suorum referretur: nam ei iam *brachia contrahit ardens scorpius et coeli iusta plus parte relinquit.* [5]) Rogemus Dominum, tuque, mi observande *Calvine*, Deum pro nobis ora et vale per Christum Iesum. Basileae MDL. pridie pentecostes. [6])

Tuus Coelius S. C.

1372. 1) *ad Interim. Cf.* 1342, *not.* 16.

2) *Hinc accuratius natales editionis Basiliensis efficies, cui ipse Curio praefationem praemisit de qua hic tacet. Cf. Prolegg. nostra Tom.* IX. *pag.* LXX.

3) *Vergente Maio Bruxellas reliquit, comitia ad* 25. *Iunii convocata celebraturus.* (*Sleid.* III. 203.)

4) *Cf. Ranke* V. 93. *Philippus ipse quoque Augustam venit.*

5) *Virg. Georg.* I. 35.

6) 24. *Maii.*

1373.

BUCERUS CALVINO.

Statum rerum in ecclesiis anglicis depingit satis tristem et lamentabilem. Monet ut Somerseto hac de re scribatur. Ipse morbis vexatur.

(Epistolae huius plurima exstant exemplaria. Autographon adservatur in Cod. Genev. 113, fol. 83. Turretinus descripsit in Cod. 111[a], fol. 241, Bernensis librarius in Epp. Tom. VI. fol. 117, Simlerus Vol. 72. Edidit Beza suppresso Buceri nomine Genev. p. 96, Laus. p. 207, Hanov. p. 232, Chouet p. 128, Amst. p. 58. Porro etiam Hundeshagen in Indice lectionum acad. Bern. 1840, pag. 19; denique Angli in Epp. Tigur. p. 356 et inde anglice versam in Parkerianis III. 345.)

Fidelissimo Christi ministro et ecclesiae eius cum primis utili D. Ioanni Calvino collegae et fratri venerando et carissimo.

Gratiam et pacem a Domino. Desidero plurimum literarum vestrarum consolationem. Quanquam enim hic non desint mihi certi in Domino amici, et fratres, attamen nescio quo pacto perquam anxie cupiam rescire quid veteres amici et probatiores collegae agant, quomodo opus Domini per eos procedat, utque etiam me admoneant, consolentur et exhortentur. Subinde scribitur ex patria et ex aliis locis Germaniae, quae animum meum magnopere excruciant: tum res Christi hic quoque geritur, ut nisi Dominus innocentissimum et religiosissimum regem et alios aliquot pios homines singulari respiciat clementia, valde verendum sit ne horrenda Dei ira brevi et in hoc regnum exardescat. Inter episcopos [1]) hactenus de Christi doctrina convenire non potuit, multo minus de disciplina. Paucissimae parochiae idoneos habent pastores, pleraeque venundatae sunt nobilibus, sunt etiam ex ecclesiastico ordine, atque ex iis quoque, qui evangelici videri volunt, qui tres aut quatuor atque plures parochias tenent, nec uni ministrant, sed sufficiunt sibi eos qui minimo se conduci patiuntur, plerumque qui nec anglice legere possunt, quique corde puri puti papistae sunt. Et primores quidem regni multis parochiis praefecerunt eos, qui in coenobiis fuerunt, ut pensione eis persolvenda se liberarent, qui sunt indoctissimi et ad sacrum ministerium ineptissimi. Hinc invenias parochias in quibus aliquot

---

1373. 1) *Pontificiis sacris adhaerebant Bonnerus Londinensis cui tamen m. Aprili* 1550 *Ridleyus successerat, tum Gardinerus Vintoniensis, Nic. Heath Worcestriensis et Day Cicestriensis, qui diutius reformationi sese opposuerunt. Cf. Strype, Cranm.* I. 272 300. 317 *ss. De statu ecclesiae a glicae qualis hoc fuerit tempore adeas ibid. p.* 294. 312. *Weber, die akath. Kirchen in Grossbrit.* II. 43 *et* 61 *ss.*

annis nulla sit habita concio. Quid autem nudis edictis et remotione instrumentorum superstitionum profici queat ad regni Christi restitutionem, non ignoratis. Utraque hic academia habet permulta egregia collegia, magnis opibus et multis optimis legibus instructa, qualia in nulla academia orbis habentur [non solum enim egregie aluntur in iis collegiis quamplurimi, in plerisque ultra centum studiosi, verum honestas etiam pro vestibus et libris habent inde pensiones pecuniarias.][2]) Ex his debebant ad ecclesias subinde extrudi fidelium ministrorum examina. Nam omnes artium magistri theologiae discendae deputati sunt, quatuor tantum, in quolibet collegio exceptis, quorum duo medicinae duo peritiae legum debent operam navare. Sed ea pridem inolevit conniventia, et hoc maxime tempore ita est corroborata, ut multo maxima pars collegarum sint vel acerbissimi papistae, vel dissoluti Epicuraei, qui quantum possunt iuventutem ad sua studia pertrahunt, et odio imbuunt sanae Christi doctrinae atque disciplinae. Atque nostri quoque adeo sunt parci concionum suarum ut per totam quadragesimam [excepto uno aut altero dominico die], quam tamen adhuc volunt videri observare, in die ipso memoriae mortis Christi ac etiam resurrectionis [neque hodie] nullam populo concionem dederint. Interim plerique parochorum sic sacra recitant et administrant, ut populus tantundem de Christi mysteriis intelligat atque si adhuc latina et non vernacula lingua uterentur. Quum vero de hac tam horrenda ecclesiarum deformitate querelae deferuntur a sanctis hominibus ad regni proceres, dicunt his malis mederi esse episcoporum: quum deferuntur ad episcopos evangelium pridem professos, respondent illi, se ista emendare non posse nisi publica regni constitutio de eo fiat. Dum autem magna illa regni concilia habentur quotannis, tot ingeruntur causae profanae, ut haec Christi causa locum non inveniat. Tum committunt deliberationem de his rebus hominibus tam multis, tamque animis dissentientibus, ut ne corpore ad hoc negotium possint expediri et congregari,[3]) nedum aliquid rectum et solidum de tantis rebus constituere. Ad quam causae Christi procrastinationem, quibus otium et fastus Antichristi magis cordi est quam crux Christi, episcopis haud impigri adsunt plerique ex nobilibus bonis ecclesiasticis ditati, qui et ipsi praesentem[4]) ecclesiarum vastationem magis lucrosam sibi existimant, quam earum piam reformationem. Accedit his malis quod non pauci omni verae poenitentiae, fidei, bonorum operum, communionis et disciplinae ecclesiasticae cura reiecta unum hoc agant[5]) ac contendant, ac saepenumero admodum irreligiose, quomodo Christum servatorem nostris sacramentis et sacris coetibus seclusum in suum illum coeli locum includunt.[6]) Atque hi maxime sequuntur eos magistros qui audent[7]) publice scribere et adserere, conatum esse fanaticum, moliri ecclesiae et poenitentiae disciplinam, ut qui palam peccaverunt ad agendam poenitentiam ligentur, eaque peracta ab eo vinculo absolvantur et nominatim peccatorum suorum[8]) absolutionem ab ecclesia percipiant. Adeo permittuut sibi in quaevis Dei verba et quantumvis clara eas inferre interpretationes, quas illis suggerit ipsorum prudentia, aut etiam fastidium, ne dicam odium eorum qui rectius docent, aut utrumque[9]) malum, Haec vero tibi, optime *Calvine* ideo tam libere scribo, ut preces pro iis ecclesiis amplius intendatis, et quum ad ducem *Sommerseti*[10]) scribis, eum gravissime de illa ecclesiarum vastatione et proditione admoneas: quod illae paucissimis exceptis permittuntur, qui nihil vel Christi norunt vel quaerunt. Rogo proinde te ut has nemo nisi *Farellus* et *Viretus* legant. Nosti enim quam non conducat ista spargi, et minime omnium per nos. Pro serenissimo rege, qui ad miraculum usque in pietatis et literarum studiis proficit, preces vestras accumulate.[11]) Etenim in quanto versetur humanitus discrimine inde facile agnoscas, quod papistae passim tantopere ferociant, quum videant et sciant tamen regem totis viribus incumbere in regni Christi restitutionem. Sed vident maiorem natu sororem,[12]) papistica pertinacissime tueri et usurpare, sive quod ita ferat ingenium eius, sive quod de consobrino[13]) tantum confidit. Sed tam frigida regni Christi molitio meretur ista pericula et adversarios conatus. Agas mecum gratias Domino qui me morbis meis magna ex

2) *Quae uncis includimus in margine addita sunt*

3) *Beza hunc locum ita refinxit:* ut ne semel adesse omnes et ad hoc negotium possint congregari.

4) praesertim *edd.*

5) agitent *edd.*

6) *Pro his edd. habent haec:* irreligiose ut de ea Christi per sacramenta participatione, tradant quae verae pietatis sensum non satis resipiant.

7) ardent *edd.*

8) peccatorum cum scandalo coniunctorum *edd.*

9) utrumque simul malum *edd.*

10) *qui postridie Nonas Februarias in gratiam receptus et senatui denuo adscriptus fuerat.*

11) *Cf. Ranke, engl. Gesch.* I. 238. *Weber l. l. p.* 171.

12) *Mariam quae Eduardo* VI. *successit: De qua Weber p.* 90.

13) *Quemnam significet ambigi potest. Philippus postea Hispaniae rex Mariae consobrinus erat, sed quo pacto eo tempore illius respectu ipsa in papismum inclinare debuerit non videmus quum nondum ei desponsata fuerit. Si Bucerus tale aliquid suspicatus esset potius Carolum imperatorem nominasset Mariae avunculum. Verum cogitavit fortasse de Reginaldo Polo cardinali, cuius mater ultima fuerat progenies Plantagenetorum ex familia Eboracensi, et cui olim iuveni destinata fuerat.* (*Weber* I. 354.)

parte liberavit, qui me ad medium Martii iterum acerbissime invaserant.[14]) Possum enim qualitercunque rursum munus meum obire, quanquam multa adhuc haereat debilitas in cruribus, brachiis et manibus quibus nondum ad scribendum recte uti possum. Ventriculus quoque admodum facile offenditur alvusque nimium rebellis est.[15]) Orate Dominum pro me ut, si fieri potest, me quamprimum hinc liberet, aut aliqua ex parte ecclesiae suae utilem faciat, imo ut sanctificet nomen suum in me quocunque ipse vult modo. Optime vale cum tuis omnibus, optimo *Farello*, *Vireto* et huius monetae collegis tuis aliis. Cantabrigiae die Pentecostes[16]) 1550.

T. T. M. Buc.

1374.

VIRETUS CALVINO.

Merindolensis caedis autores in ius vocati. Halleri epistola exspectata. Puer aliquis Lausannensi hospitio recipiendus.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 183.)

Eximio Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fidelissimo fratri et symmystae carissimo.

Genevae.

S. Hic tabellarius nobis narravit quo essent in statu res tyrannorum qui excidii Mirindolensis causa fuerunt,[1]) et quid a nobis postulent qui eorum causam habent prae manibus. Reliquit nobis huius rei schedulas quae summam continent postulationis quam ab eo audies. Tu totum negotium habebis commendatum. Ego si quid possum praestabo, hortaborque reliquos fratres meos ut suam quoque operam in hanc rem conferant, ne desimus bonis viris adversus sanguinarios illos tyrannos. Velim abs te quoque certior fieri quid putes a nobis praestari posse.

Res nostrae habent ut solent. *Hallerus* scripsit ad *Ribittum*. Excusat diuturnum silentium adscribitque occupationibus. De nostris literis attigit quiddam: illis scilicet se lancinari, polliceturque brevi modestam responsionem.[2]) Quibus verbis videtur in nobis plus modestiae requirere. Quanquam nostrae sint modestissimae, si cum causa quam agimus comparentur.

Saluta amicos meo nomine, nominatim *Varennium*,[3]) cui dices me cum *Quintino* convenisse de puero cuius mihi negotium commendarat. Excipiet *Quintinus* quo pretio alios solet, 16 coronatis, donec annonae caritas sese remiserit. Si vilior fuerit annona, poterit aliquando alia haberi ratio. Si placet conditio, mittat puerum quando volet. Nostri te omnes salutant. Scripsissem ad eum nisi sperarem iam huius admonitum per *Pomereum*.[4]) Salutat te uxor, tua commater et filiolae. Vale. Lausannae 18. Maii 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1375.

LASCUS BULLINGERO.

Annotationes ad Consensus Tigurini cum ipso a Bullingero communicatum schediasma, et si quid videmus, ante ultimam correctionem missum.

(Ex autographo Cod. Turic. Bibl. civic. MSS. F. 80, olim. 45, fol. 250. 251. 253. 254. — Simler. Vol. 69.)

Quando ita voluisti, vir sanctissime, ut quid de tua cum viro doctissimo D. *Calvino* disputatione sentiam ad te perscriberem, facio quod iussisti. Quanquam autem serius mihi sint reddita quae ad me in hoc argumento misisti (nimirum illa ante annum missa nunc primum accepi: quod equidem factum est propter assiduas toto hoc anno peregrinationes meas) tamen, quum ego tibi iubenti nihil negare possim, qui pro tuo in me iure omnia mihi imperare potes, habes ecce meam etiam de eodem ipso argumento sententiam: tametsi vereor ne tuae postremae illi responsioni non modo nihil addidisse, sed etiam per meam infantiam aliquid illi ademisse videri possim. Gaudeo autem plurimum, adeoque et Christi ecclesiae maiorem in modum

---

14) *Mense Februario anni sequentis rursus in morbum incidit qui ei letalis fuit. Obiit pridie Cal. Mart.* 1551.

15) Ventriculus . . . . . rebellis est. *om. edd.*

16) 25. *Maii.*

1374. 1) *Causam dicere coacti sunt coram parlamento Parisiensi m. Martio* 1549, *Menier qui fuerat Grignani Provinciae gubernatoris locumtenens, eiusque socii. Quorum unus Guerinus advocatus ex iudicum sententia suspendio vitam finivit, caeteris absolutis.* (*Hist. des choses mémor. sous Henri* II. 1599 *p.* 12. *Hist. ecclés.* I. 70 *ss. Hist. des Martyrs.*)

2) *Utiliter hic conferes quae idem Hallerus ad Bullingerum scripsit N.* 1364.

3) *Guil. de Trie Seigneur de Varennes Lugdunensis, uxorem duxit Margaretam Budaeam hellenistae filiam. Civitate donatus a.* 1555 *obiit* 1561. *Puerum istum de quo hic agitur eius filium non fuisse patet.*

4) *Similia nomina occurrerunt N.* 1313 *et* 1349.

gratulor, quod eo usque in vestra disputatione progressi sitis. Det hoc tandem Dominus per ineffabilem suam misericordiam ut sub hac ecclesiarum dissipatione unanimiter omnes omnia etiam doceamus ad illius pacificationem. Amen.

Ad 1.

Sacramenta ad salutem prodesse in Christi ecclesia nemo pius unquam negavit: sed unde eam vim habeant et quaenam sit vis ipsorum, id vero controversum hactenus inter multos fuisse videtur. Nos ideo efficacia esse docemus quod sint institutiones Christi, quibus quum non possit non semper adesse spiritus sanctus, perpetuus alioqui testis et glorificator doctrinae atque institutionum Christi, vanas sane illas atque otiosas in eius ecclesia esse non sinit. Sed quemadmodum externa in sacramentis symbola, dum in sensus nostros incurrunt, figurant adumbrantque ac velut sub oculos nostros ponunt sua mysteria, nempe delatam nobis iam olim cum Christo Domino corporis et sanguinis sui communionem, ita spiritus quoque sanctus nostro assistens ministerio animos piorum in eorundem ipsorum mysteriorum fide obfirmat, ac veluti sigillo quodam addito obsignat, ut quod dudum alioqui fide possedimus id firmius indies adhuc animis nostris adeoque et obsignatum quodammodo sacramentorum testimonio habeamus. Unde et sacramenta cum Paulo σφραγῖδας vocamus iustitiae fidei, hoc est, gratuitae acceptationis nostrae in gratiam Dei propter Christum, quam fide apprehendi oporteat. Non quod sacramenta ipsa per se animos nostros in fide eius ipsius iustitiae nostrae obsignent sed quod in usu illorum legitimo per spiritum sanctum nostro assistentem ministerio animi nostri in fide delatae nobis gratuito iustitiae illius obsignentur. Quare propter hanc perpetuam spiritus sancti in ministerio sacramentorum praesentiam efficacem, procul dubio ad salutem fidelium omnium sacramentalem quoque symbolorum cum mysteriis unionem agnoscimus in sacramentorum administratione. Vim porro sacramentorum eam esse dicimus iuxta Paulum, ut non tantum sint externa iustitiae nostrae in Christo symbola, sed ut sint interna etiam in nostris animis illius obsignacula; et quidem efficacia ad salutem ecclesiae Christi, ad quem modum a Paulo evangelium potentia Dei ad salutem vocatur.

Ad 2.

Offerri, exhiberi ac dari aliquid sacramentis ipsis, non libenter dicimus, etiamsi hoc ita dici posse suo quodam modo non negemus: praesertim quum ex istiusmodi loquutionibus contentionem de sacramentorum efficacia ortam ferme esse et gliscere adhuc videamus. Si cum illis certamen nobis esset qui sacramenta divinae erga nos in Christo gratiae signa efficacia esse negarent, non abs re forte ita de sacramentis addita vera explicatione loqueremur. Nunc, quum hoc agitur ne nimium tribuendo sacramentis contentionem adeoque et superstitionem alamus, hae vero dicendi formulae non tam equidem ad spiritus sancti opus in sacramentorum ministerio quam ad externam potius actionem ministrorum referri ab imperitis soleant, nos sic de sacramentis, et quidem planius ut nobis quidem videtur, loqui malumus, ut nos in legitimo sacramentorum usu autore spiritu sancto obfirmari obsignarique et exerceri praeterea in fide eorum mysteriorum fateamur quae nobis sacramentorum symbolis, hoc est, externa illorum caeremonia, figurantur, designantur, adumbrantur, repraesentantur, atque ob oculos nostros quodammodo ponuntur. Etenim offerri, exhiberi ac dari dicuntur etiam illa quae antea non habebamus. Quod quum sacramentis vere tribui non possit, tutius esse putamus ab istiusmodi loquutionibus in ea nunc potissimum controversia abstinere. Scimus autem et fatemur delatam nobis in Christo iustitiam nostram, hoc est, adoptionem nostri in filios Dei, remissionem peccatorum, vitae aeternae restitutionem, et id genus alia aeterna esse, neque cessare posse nisi illa a nobis nostra ipsi impietate propellamus, et proinde perpetuari in nobis semper, atque ita demum etiam perpetuo nobis, significantissime autem in usu sacramentorum, offerri exhiberi et dari. Neque tamen illa ideo sacramentis ipsis, hoc est, ipsa actione mystica offerri, exhiberi et dari dicimus: sed spiritu sancto autore nos in eorum fide indubitata in ipsa Christi institutione obfirmari atque obsignari, nisi quod scriptura non raro ministerio nostro id totum tribuere solet quod est spiritus sancti proprium, ut illius praesentiam utque vim divinam in nostro ministerio semper assistentem nobis praedicet et commendet.

Ad 3.

Hic quum nihil sit controversiae non est cur quidquam hic addamus, et quae iam sunt dicta rem totam satis iam explicarunt.

Ad 4.

Placet per omnia ex Augustino petita responsio, neque prorsus apta esse videtur ministrorum cum signis collatio. Ministri enim sunt cooperarii Christi iuxta suam functionem: signa inanimata non item, nisi si quod ministrorum est in signa ipsa transferamus. Sed et scriptura ipsa, quod Deum per ministros alicubi agere docet, id alibi rursum addita particula *tanquam* clarius nobis explicat: tanquam per nos Deo vos obsecrante (1. Cor. 5) Nimirum ostendit Deum ipsum per se agere in no-

bis, sed ita nobis in nostro coniunctum ministerio, ut quod per se alioqui ipsum virtute sua divina agit, id veluti per nos nostro coniunctus ministerio facere dicatur.

Ad 5 et 6.

Neque hic puto tuae responsioni quidquam addendum esse.

Ad 7.

Et hic modis omnibus placet responsio postrema. Rectius autem dicitur iam Deum per sua signa agere, quam olim dicebatur signa ipsa significando exhibere. Quid enim signum ipsum exhibeat? quum ipsa exhibitio non permittat ut signum esse quoquo modo possit, quod vim exhibendi res ipsas designatas in se contineat. Placet et illa finium observatio propter quod aliquid conditum institutumve esse constat: ut rerum ordines distinctos consideremus neque dissimilia ex dissimilibus aestimemus. Sic enim videmus non procedere argumentationem: Inter inanimata sol vegetat terram, panis retinet in vita hominem, ergo et sacramenta idem praestant in suo genere. Sed intelligimus satis esse si sacramentis id non adimamus ad quod instituta esse scimus, nempe adumbrationem, repraesentationem et obsignationem, quemadmodum solem ad terram vegetandam, panem ad vitam nostram hic alendam conditum esse scimus.

Ad 8.

Posteaquam hic conveniunt omnia non est quod aliquid addatur.

Ad 9.

An *simul* et *similiter* idem significent, non laboro. Satis est quod se ita interpretatur *Calvinus*. Sed locis illis Paulinis non evincit nos in ipso primum baptismo commori consepelirique Christo, aut illum induere, quum sint loquutiones sacramentales. Et proinde non efficit etiam ut in ipso sacramentorum usu efficiamur gratiae participes. Sed manet adhuc doctrina haec, nos esse, non autem fieri, participes gratiae usu sacramentorum, sacramentaque esse testimonia, nos esse, non autem fieri, membra Christi. Quod enim fit, id sane non potest antea fuisse: ut simul negemus ipsimet nos antea fuisse membra Christi, si nos usu sacramentorum corpus ipsius fieri fateamur.

Ad 10.

Hic vota nostra adiungimus ut eam simplicitatem sequamur et tueamur una omnes uno corde et ore, quod aiunt.

Ad 11.

Ferendae sunt variae loquendi formulae si de re conveniat, adeoque et amplectendae in ecclesia, ne spiritus exstinguatur: sed simpliciores nihilominus ac clariores obscurioribus semper anteponendae.

Ad 12.

Urget *Calvinus* ut Christum pro nobis semel traditum quotidie nobis interim offerri in cibum credamus, ut simus unum cum ipso. Atque ita duo coenae membra facit: alterum, traditi semel Christi in sacrificium memoriam, alterum quotidianam illius in cibum nostrum porrectionem, qua videlicet in communionem corporis sui inserimur, ipseque habitat in nobis. Haec ita D. *Calvinus*, quantum ego quidem intelligere possum. Ac de memoria quidem confessum est apud omnes: sed si rememorationem illam Christi Domini in coena opus spiritus sancti esse in nobis agnoscimus, annon simul illi etiam obsignationem animorum nostrorum in fide beneficii ipsius, et proinde habitationem quoque ipsius in nobis, adeoque et communionem corporis sui includemus? Sane meminisse mortis Christi vere ex afflatu spiritus sancti non possumus sine fide et communione ipsius, et proinde non sine habitatione quoque ipsius in nobis, et cibo salutari animarum nostrarum per corporis et sanguinis sui communionem. Quorsum igitur memoriam a communione discernamus, atque duo coenae membra faciamus? Deinde quum quotidie nobis Christum offerri dicit, nos vero perpetuo etiam nobis illum offerri sine ulla unquam interruptione fatemur, quatenus equidem donum hoc cessare in aeternum non potest, cur coenae potissimam partem seu membrum esse dicamus aeternam illam, nedum quotidianam nostram cum Christo communionem in corpore et sanguine ipsius, quam nisi ante coenae usum habeamus ne coenam quidem Domini vere percipere possimus? ac non potius multoque simplicius et clarius dicimus, animos nostros in coena, in aeterna iam nec unquam amplius interrumpenda nostra cum Christo in corpore ipsius communione, obfirmari obsignarique, illiusque memoriam nobis coenae usu assiduo renovari ad excitandos nos ad gratiarum actionem et declaranda gratitudinis nostrae officia in ecclesia Christi? Ut ne illud nunc attingam: undenam constat panem ac vinum in coena et non potius actionem ipsam, hoc est, esum ipsum ac potionem esse signa communionis nostrae cum Christo in corpore et sanguine ipsius, qua de re alioqui magnus adhuc esset dicendi campus.

Ad 13.

Hoc loco inter nos conveniunt omnia, nisi quod tu perceptionem Christi auctibus fidei in nobis gran-

descere dicis, D. *Calvinus* autem nos in ipsa Christi communione augeri et proficere coenae usu affirmat. Hic quum vox communionis Christi duo in se complectatur, nempe et nostri a Christo et Christi vicissim a nobis perceptionem, clarius id a vobis explicari oportere puto, num ab utraque hac simul, an vero ab altera tantum receptionis sive communionis parte grandescere nos fidei auctibus, augerive et proficere utrique pariter sentiatis. Quatenus enim se nobis unit Christus Dominus, nosque in se quodammodo transfert ut sit in nobis, fit protinus omnia in omnibus pro sua ineffabili misericordia, suaque omnia nobis plene ac perfecte ita communicat, ut pro nostris omnino in patris sui iudicio haberi reputarique velit, sine ullis unionis iam suae in nobis sive decrementis sive incrementis, nisi si hoc ipsius beneficium nostra ipsi destinata impietate a nobis propellamus. Caeterum, quatenus ille nobis sic iam unitus nos sibi vicissim fide nostra unit per spiritum sanctum suum, hac sane ex parte communionis nostrae cum Christo incrementa libenter agnoscimus, pro fidei aliorumque donorum auctibus, nosque usu legitimo coenae in Christi Domini sive perceptione sive communione grandescere augeri et proficere indubitato sentimus.

Ad 14. 15 et 16.

Neque hic quod dicam habeo, nisi quod et tu de Paulino loco illo adfers Eph. 5, nempe quod, etsi Paulus illic nos carnem ex carne Christi et ossa ex ossibus ipsius ideo esse dicat quod vitam ab ipso hauriamus, non ideo tamen effici,[1]) Paulum illic non de eo Christi nobiscum vinculo loqui quod cum illo habemus per ipsius incarnationem. Nam et per eius incarnationem vitam ab ipso nostram haurimus quicunque ipsius hac in parte beneficium non contemnimus. Facta est enim in ipso sancta caro nostra omnium per ipsius incarnationem, et proinde vitam quoque nostram haurimus ex ipsius incarnatione. Imo vero quum eo loco Paulus sumpto a nostro cum Christo coniugii mystici vinculo approbare conetur maritorum erga uxores officia et uxorum erga maritos observantiam. Mystici vero nostri cum Christo coniugii vinculum non alia ulla in re magis consistit quam in ipsius incarnatione, hoc est, in Dei cum homine in nostra carne veluti desponsione quadam, ut ab ipso, tanquam a nostro capite in nostra carne nobis coniuncto, vitam omnem hauriamus. Equidem, si ullo alio loco, hoc certe potissimum Paulum de Christi Domini incarnatione disseruisse statuendum est. Nec refert quod meritum incarnationis Christi ad omnes homines transferri potest, quum et mortis suae meritum, quatenus pro omnibus mortuus est et totius mundi peccatum sustulit, eadem opera transferri queat, nec magis meritum mortis ac pontificii Christi ad impios contemptores pertineat quam meritum seu vinculum incarnationis.

Ad 17.

Placet prorsus quod D. *Calvinus* profitetur, sed coenam Domini non tantum coelestem verum etiam terrenam actionem simul esse docemus. Coelestem, quatenus ab ipsomet Christo Domino instituta coelestia complectitur mysteria, quibus subductis illuc per spiritum sanctum nostris cordibus ad vitam aeternam fruimur: terrenam vero quatenus illi terrena elementa et symbola adhibentur humanoque opere constat, etiamsi a Christo Domino sit instituta.

Ad 18. 19. 20. 21. 22.

Gaudeo supra quam dici potest, et gratulor vobis hic convenisse, ipseque idem profiteor et Deum oro ut nos hic unanimes perpetuo esse velit.

Ad 23 et 24.

Placent et hic omnia nisi quod, quum non tam sensus nostri quam animi potius obsignentur sacramentorum usu per spiritum sanctum in mysteriorum symbolis adumbratorum fide, per symbola quidem sensibus nostris designari repraesentarique ac proponi dicimus ipsa mysteria: sed obsignationem mysteriorum internum in nostris cordibus spiritus sancti opus esse dicimus: et proinde non foris per symbola, quae ad cor alioqui nostrum non pertingunt, sed per spiritum sanctum intra nos corda nostra in fide mysteriorum obsignari, foris vero designari, adumbrari, significari, ac velut ob oculos illa poni docemus.

Habes, vir pientissime, paucis meam de tua et D. *Calvini* disputatione sententiam, tibique magnam habeo gratiam quod mihi illius copiam feceris. Neque dubito, si ad eum modum alii quoque de omnibus controversiis ita inter sese conferrent, quin ad unanimem consensum omnium doctrinae capitum Dei beneficio perventuri essemus. Deus Optimus Maximus largiatur nobis spiritum sanctum suum, ut divino afflatu suo coniuncti idem in Domino sentiamus et doceamus, ad laudem et gloriam sacrosancti sui nominis et ecclesiae ita nunc alioqui perturbatae pacificationem. Amen.[2])

1375. 1) *sic.*

2) *Bullingerus subscripsit:* D. Ioannes a Lasco baro Polonus haec manu propria scripsit in Anglia 1550. *Simlerus in suo apographo nescio qua fretus autoritate addidit:* post 21 Ianuar. *Rem fortassis accuratius definire possumus si statuimus formulam Consensus in Angliam non solum Bucero sed et Lasco eodem tempore missam fuisse, illum vero iam mense Iunio* 1549 *eam accepisse discimus ex N.* 1223. *Iam vero, Lascus ipse dicit se toto anno ab Anglia abfuisse peregrinabundum, et nunc demum, scil. quo haec scribebat tempore,*

1376.

BULLINGERI NOTAE DE PERSONA CHRISTI.

(In codice Turicensi unde praecedentem Lasci declarationem descripsimus in mediis illam continentibus foliis, scil. fol. 252 recto et verso, notae aliquot leguntur Bullingeri manu scriptae, quae ad Lasci scriptum evidenter non pertinent; quas tamen omnino praeterire noluimus quum ad controversiam sacramentariam, speciatim ad quaestionem de ubiquitate corporis Christi referri debere videantur.)

Si quum Dominus dicit: Ego sum vobiscum omnibus diebus vitae vestrae, utrumque et totum se intelligit, non virtutem, non vitam, non spiritum, explica mihi haec:

Veniemus et mansionem apud eum faciemus.
Ego sum in medio eorum
Vivit in me Christus.
Habitat in cordibus Christus.
Hodie mecum eris in paradiso. Et
Posuerunt eum in monumento.

Non dicit: Eris cum spiritu, cum virtute, cum vita mea, sed: mecum eris. Nec legitur: posuerunt corpus et ossa, sed posuerunt eum in sepulcro. Eum, inquam, Christum.

Ego sum apud vos.
Expedit ut ego abeam.
Ego ascendo ad patrem.
Ego relinquo mundum.

Urges tu: μεθ' ὑμῶν (Matth. ult.), urgeo ego ἀφ' ὑμῶν (Act. 1.)

Haec opera Dei non usurpant sibi nec faciunt instrumenta, et faciunt tamen in negotio salutis aliquid: non enim sunt frustranea. Faciunt autem id quod ea voluit Deus.

Non communicavit apostolis ex aequo fidei et exercitiis aut adiumentis fidei iustitiam. Est enim lex paedagogus sed non ideo iustificat: circumcisio, sed non ideo iustificat. Fides autem iustificat. Sacramenta fidei adiumenta sunt.

— — Spero nos in his iam esse concordes et posthac idem de sacramentis — —

(caetera abscissa.)

Bullingeri scriptum accepisse. Atque epistolae eius a Kuypero editae docent eum m. Martio 1549 *in Frisiam se contulisse, inde Hammoniam, Regiomontum, Gedanum, et retro in Frisiam iterum. In Angliam reversus fuit m. Iunio* 1550 *quo ad Bucerum ex Lambetho scripsit. Quid quod Micronius Bullingero nunciat (Zuric Lettres p.* 560) *Lascum a. d. III. Idus Maias Londinum rediisse. Itaque nulli dubitamus hanc hoc loco inserendam esse.*

1377.

CARMELUS [1]) CALVINO.

Tristem suam conditionem depingit, quippe qui pro nimis molesto munere et vix ab uno aliquo praestando officio ne certum quidem stipendium habeat.

(Manu scripta non exstat: edidit Beza Genev. p. 95, Laus. p. 206, Hanov. p. 231, Chouet p. 127, Amst. p. 58.)

Salutem per Iesum Christum servatorem nostrum unicum.

Utinam tecum, praeceptor observande, nuper Neocomi quum esses, coram colloqui mihi licuisset. Quod certe Deo iuvante fecissem, si certi aliquid de adventu tuo habuissem. Sed id quum factum non sit, superest ut tecum per literas colloquar, teque mihi in consilium adhibeam super ea re, de qua iam subinde mentionem in coetu nostro feci, sed frustra. Nam quamvis fratres videant et sciant me in ecclesia, quae mihi commissa est, obrui magnitudine negotii tanquam fluctu, nullus tamen adhuc mihi adiunctus fuit, qui velut in parte laboris esset. Quum itaque hac via non successisset, tentavi aliam, rogando fratres classis nostrae, efficerent, ut aliquis vicarius muneri meo succederet. Verum nec id quoque ab eis impetrare potui. Novem iam annos onus omnino humeris meis impar, cui etiam succumbere incipio, solus sustinui. Praesum duabus ecclesiis, quarum templa disiunctissima sunt. Iter, hyeme potissimum, ob iniuriam temporis permoleste conficitur. Non raro mihi accidit, ut equo insidens frigore paene astrictus fuerim, et quandoque aqua pluviali totus madens suggestum conscenderim. Mira est quoque loci totius vastitas. Patet enim millia passuum quatuor in longitudinem, et in latitudinem totidem. Certe me totum hic paene conficio. Si rationem mei fratres habere nolint, ero posthac inutilis ecclesiae Domini: nam literis operam dare prae multitudine negotiorum non possum. Accedit hoc ad labores reliquos, quod mihi fere, verum fateor, mortis instar est, hoc est, me ostiatim, quae ad victum necessaria sunt, tota hyeme quaerere necesse sit, [2]) cogarque saepe nunc eandemque domum huius rei gratia, haud semel, sed decies, adire. Re nonnunquam infecta vexatus

---

1377. 1) *Oriundus ex vico S. Marcellini Delphinas iam a.* 1535 *et seqq. nobis occurrit ministerio fungens in ditione Neocomensi. Novem iam annis se Monasterii ministrum dicit: ubi Monasterium non oppidum hodie Moutier-Grandval dictum significari crediderimus, quippe cuius patroni Bernenses fuerint apud quos Calvini autoritas nihil valebat, sed potius Motiers-Travers, Neocomensis ditionis.*

2) *sic.*

multorum maledictis discedo. Te per Dominum oro, ut mihi tuis consiliis adsis: nescio enim quid mihi in hac re amplius faciendum sit. Pestis nuper Neocomi grassari quum coepisset, consilio nonnullorum factum est, ut posthac si grassari pergat,[3] alter ex ministris teneatur peste laborantes invisere, aut diaconum aliquem conducere, qui id onus assumat. Multi hoc pacto, quantum ex bono aliquo viro intelligere potui, sperant brevi futurum, ut peste pereant, quorum opera ecclesiae Domini adhuc valde egent. Dominus suis adsit, et impiorum conatus dissipet. Vale. Monasterii 9. Iunii 1550.

1378.

BADUELLUS CALVINO.

Varia tradit Nemausensia, epistolam a Calvino piis scriptam laudat, aliam ei acceptam refert, se cum suis ex tristi et deplorata conditione liberari cupit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 20.)

Doctissimo atque optimo viro D. Carolo Paselio amico singulari

Hieropoli.

Epistolam communem ac *παραινετικὴν*, quam hic mercator mihi abs te attulit, statim dispertivi,[1] compluribusque piis et viris et feminis communicavi, qui omnes eam consolationem atque cohortationem eo animo ac studio acceperunt quo et maxima horum temporum perturbatio ac ecclesiae calamitas et summa hominis gravissimi sanctissimique autoritas hortabatur. Itaque Deo omnes maximas agunt gratias, eumque pio ac grato animo orant, ut te nobis ac suae ecclesiae incolumem atque spiritu vigentem quam diutissime conservet. Nam credibile non est quanta eorum sit in hac corpusculi tui imbecillitate cura, sollicitudo et molestia. Sed quum perpendunt in quibus vasis quam fragilibus thesaurum suum Dominus posuerit, hunc incertum tuae valetudinis eventum divinae providentiae potentiaeque committunt.

Biduo post illam epistolam ii iuvenes quos ego tibi commendaram cum tuis literis ad me redierunt: a quibus etiam accepi libellum tuum in quo censorem quendam, *ἀνώνυμον* illum quidem sed malitiosum improbumque, ita graviter confutasti ut existimem illum posthac sub ignoto typographi nomine nunquam ad tam impudentes calumnias rediturum.[2] Studium quidem tuum ac patrocinium pro ea doctrina quae a vobis pie traditur susceptum magnopere probo et laudo. Etiam singularem tuam erga me benevolentiam amo, cuius impressa vestigia eaque illustria apparent in iis literis quas ad me novissime dedisti: in quibus quidem ea excusatio, qua de missione literarum uti voluisti, non necessaria visa est. Quid enim est cur aut tu tantopere te excusare apud me debeas, aut ego ita ambitiosus esse, itaque abutens nostra amicitia ut cum tuo incommodo aut etiam ecclesiae, cuius fidelissimus atque occupatissimus minister es, importune acerbeque literas abs te flagitem atque exigam? Ego vero, mi *Carole*, te ista cura plane libero, tecumque hanc conditionem ac pactionem in amicitia nostra constituo, ut ego sine ulla tum studiorum tum negotiorum exceptione tibi meas literas promittam, quum quidem habebo cui recte eas dare potero. A te vero requiram tum, quum tu ad me sine aliqua aut tua molestia aut ecclesiae detracta opera scribere poteris. Alia est enim ratio istius vitae tuae in ministerio occupatae, alia huius nostrae studiosae ac quodammodo otiosae. Itaque dissimilis ratio conditioque huius officii in missione literarum positi est constituenda, ut tibi occupatissimo homini liberum sit alterutrum facere, vel tacere vel scribere: mihi vero necessarium alterum facere quum hominem certum fidelemque habuero. Nam etsi nullus hac quidem aetate est cuius literae tantum afferant mihi vel solatii vel ornamenti, non sum tamen aut in mea commoditate aut voluptate intemperans, ut eam cum aliquo aut tuo incommodo aut ecclesiae detrimento coniunctam comparare velim. Mihi satis erit si intellexero me fraterne a te diligi a vobisque numerari ac comprehendi in isto sancto coetu, in quo ego uno, quum corpore non possim, animo tamen et cogitatione versor cum tanta consolatione, ut multas et magnas offensiones ac perturbationes, quae mihi in his locis quotidie oboriuntur, hac spiritus cum vestra ecclesia coniunctione sustentem. In hac enim tam sancta communicatione ac suavissima cogitatione sentio me non mediocriter sublevari et confirmari perfruitione earum precum, quas vos caste ac pie ad Deum patremque Domini nostri Iesu Christi adhibetis. Itaque a vobis per communem servatorem Iesum Christum maximopere peto ut me meamque familiam totam in hac sanc-

3) *quae mox etiam Rhaetiam invasit, porro Bernensium fines et civitatem, denique autumno Lausannam, et per proximum biennium saevire non desiit* (*Ruchat V.* 406).

1378. 1) *Non exstat.*

2) *Haec alludunt ad Calvini Appendicem ad Interim, a.* 1550 *editam, de qua vide* 1342, *not.* 16. *Ex quo etiam annum huius epistolae natalem definies.*

torum communione retineatis atque in maximis periculis casibusque versantem precibus vestris adiuvetis.

De Gymnasio literarum in hac [3]) civitate constituendo non magna est, ut ex literis tuis intelligo, a magistratu vestro suscepta cura et cogitatio. Quam negligentiam summo video tibi esse dolori: eo in loco desiderari hoc ornamentum religionis et adiumentum ecclesiae tam opportunum, in quo caetera omnia optime sunt constituta. Sed finis iam omnium rerum, etiam praestantissimarum, appropinquat, in quo Dominus per simplices homines istarum artium rudes doctorum sapientiam atque elegantiam est reprehensurus. Apud nos quidem, in caeterisque huius regni civitatibus, ea est et studiorum et ingeniorum corruptio ac depravatio, quae mihi quidem maximum dolorem affert. Sed in hac vergente ad senium aetate ita summa est rerum omnium inclinatio et debilitatio quam interitus paulo post excipiet, ut verbum Dei solum suam perpetuitatem habeat.

Hic nihil est novi quod existimem ad tuas cogitationes pertinere, nisi forte scire vis *Bigotium* nostrum philosophum Tolosae implicatum adhuc teneri iis molestiis in quas temere se coniecit. Is edidit librum inscriptum: Praeludium philosophiae christianae, [4]) in quo quidem homo nunquam in theologia versatus, nec ulla quidem pietatis doctrina imbutus, multa tamen etiam contra vos disserit de libero arbitrio, de invocatione divorum, de sacramentis inprimisque de eucharistia, in qua vos et nos signarios nominat et graviter accusat. Qua in re sibi adiunxit Franciscanum quendam, *Spiritum* nominatum, inquisitorem Tolosanum, eum qui *Cumbanum* nostrum civem acerrime persequutus in custodiam coniiciendum curaverat. Sed nihil est scriptum ab eo in quo intemperantius insaniat quam in epistola quam illi libro antilogiam, ut vocat, et bene longam praeposuit et ad cardinalem *Bellaium* misit. In ea multa quidem evomit contra famam ac existimationem nostrae civitatis, sed me praecipue insectatur omnique genere criminum persequitur. Ego autem maiori cum fastidio eam epistolam legi quam dolore, propterea quod plura erant quae ego non intelligerem quam quae mihi stomachum moverent. Quid enim indigne maledictione levissimi flagitiosissimique homimis, a quo est honestior vituperatio quam laudatio? Itaque eram etiam adhuc in ea cogitatione ac deliberatione, utrum silentio illum despicerem, an potius accurato responso comprimerem. Bene vale in Domino. Nemausi x. Iunii.

Vitalis qui mihi tuas literas reddidit mihi exposuit apud quem istic sint libri *Alenii* adolescentis, cui ego in mandatis dedi ut eos libros ad nos curet perferendos. Nos pro vectura persolvemus quod oportebit.

Tuus App. Claudius.

3) *imo in illa, nempe Geneva: nam Nemausi ipse Gymnasii rector erat, inde ab a.* 1540. *Collegium artium Nemausense, s. Universitas quae dicebatur a Francisco rege condita fuit, rogante sorore Margareta.* (*Borrel, hist. de l'Eglise de Nimes p.* 3. *Haag. I.* 212.) *Baduellus inter alia edidit:* Orat. ad instituendum gymnasium Nem. *et* de Collegio et universitate Nem. (*Bayle*). *Cf. Gaufrès in Bulletin etc.* 1874.

4) *Titulus praefert a.* 1549; *praefatio mensem Ianuarium, quod ex istorum computandi ratione nostro a.* 1550 *respondet. Guil. Bigot, Lavalensis Cenomanus, prof. Tubingensis, postea Nemausensis, medicus et philosophus, ubique sibi aliorum invidiam conciliavit, et tum temporis Tolosae in vinculis detinebatur. Cf. Gaufrès, l. l. p.* 339.

1379

RABOTTUS CALVINO.

Nunciat adventum proxime instantem.

(Ex autographo in Archivis Thomanis Argentorati asservato.)

Guillelmus Rabottus [1]) dictus a Salena Domino Ioanni Calvino S. P. D.

Fama quae undique decurrit et passim de te inter Christianos celebratur, decus et caritas quae te praesidio omnipotentis Domini nostri Iesu Christi perpetuo comitantur, impulerunt me, qui numine eiusdem atque misericordia a paucis diebus in numerum fidelium aggregatus et vocatus sum, ad te scribere: ut, quum dux fratrum sis nostrorum et pastor, velis pro tua humanitate in ecclesia quae apud vos est me recipere. Nam quum spiritus meus iam ibi sit collocatus, spero corpus meum peractis hic non diutinis quibusdam negotiis illum auxiliante Domino sequuturum. Interim te obsecro summopere ne in deprecationibus tuis illam iam de me conceptam memoriam evanescere sinas: quo Deum magis mihi propitium sentiam, meque inter tantas daemonum insidias et rerum vicissitudines custodiat. Et quum aliquantula tibi supererit temporis opportunitas et sese commoditas offeret et occasio, quaeso ad me rescribas, ut me filium tuum tuarum auxilio literarum adversus huius saeculi deliramenta et pericula tueri possim. Et si quid est, dum vita fruemur, quod tua causa conari possim,

1379. 1) *De hoc viro plura ad epp. ab eo m. Nov.* 1553 *et m. Nov.* 1554 *scriptas, ubi tamen nomen variat. Quo pacto haec in Archiva nostra viam invenerit nescimus.*

precor existimes me tibi obsequentissimum tuique observantissimum fore, et vale. Avenioni 17. Cal. Iulii 1550.

1380.

CALVINUS PACEO.

Laudes sibi nuper cumulatius tributas modeste accipit, et hac occasione arrepta Saxonum facilitatem in recipiendis adiaphoris, quae dicebant, paulo acrius perstringit.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Gen. p. 88, Laus. p. 209, Hanov. p. 234, Chouet p. 118, Amst. p. 54.)

Quod me dignum existimasti[1]) cuius amicitiam ultro appeteres, in eo me tibi valde obstrictum esse sentio ac libenter profiteor. Nunc, quod mearum est partium, saltem in mutuo amoris affectu paria tecum facere conabor. Scripta vero mea tibi probari quum ego mihi gratulor, tum ecclesiae nomine gaudeo. Nam et quia tali viro placent non poenitenda esse statuo, et simul futurum spero ut multi iudicium tuum sequuti aliquem ex lectione fructum capiant. Nec vero hoc a me vel ambitiose vel arroganter dictum accipias. Nam sicuti vel nullo haberi loco, vel nomen meum penitus sepultum latere facile patiar, ita certe non alio consilio scribo nisi quia profuturos spero meos labores. Quod si quis inde provenire fructus potest, eum quam latissime spargi cupio.

Verum de me plus satis. Quoniam Satanae ministros non dubitamus sedulo conatus suos istic persequi, anxie veremur ne iam a priore statu ecclesiae vestrae deflexerint. Praeterquam enim quod improbos videmus miris artibus pollere, et pugnando non fatigari: in parte nostra nihil fere prudentiae, animorum etiam minus. Utinam in retinenda saltem doctrinae puritate adversarii nos ingenuos, ut decebat, et cordatos sentirent. Sed tantum abest, quin haec in vulgo constantia appareat, ut in ipsis quoque ducibus foeda perfidae defectionis exempla ubique appareant. Quanquam si fideliter partibus nostris defungi velimus, ultra progredi necesse est. Quorsum tendant adulterini isti ritus, quos nobis ingerunt professi Christi hostes, nemini est obscurum: nempe ut claram doctrinae lucem obruant, ut vitient sincerum Dei cultum, ut quaedam sint oppressae veritatis trophaea. Quum olim clandestinas insidias piorum libertati struerent astuti homines, Paulus ne ad momentum quidem illis cedere sustinuit. Gloriatur Paulus, ne in unius quidem hominis circumcisione quidquam se dedisse improbis, quo libertas apud gentes integra maneret. Nos hodie taciti et amentibus similes innumera superstitionum colluvie ecclesiam Dei oppleri obruique feremus? Sed *περὶ τῶν ἀδιαφόρων* pertinaciter litigandum esse, negant graves et pii homines. Mi frater, quam vereor, neque abs re, ne ista *ἀδιαφορία* magnam ac luctuosam nobis *διαφορὰν* brevi pariat. Et sane dolendum est, homines quosdam ita in rebus mediis, sine delectu ac modo, extendere libertatem, ut fidei unitatem lacerent: sic promiscua facere omnia, ut sacrum Dei cultum exoticis quibuslibet corruptelis secure corrumpant. Ut libere dicam, quod pro tua prudentia non ignoras, iam istic plus satis faecium erat in caeremoniis. Unde antehac nihil resectum fuisse apparet, nisi quod hominibus plus aequo ad indulgentiam propensis tolerabile non fuerat visum. Ut concedam foetidas illas sordes, quibus purgatae fuerunt vestrae ecclesiae, in rebus mediis posse censeri: earum tamen restitutio eritne res media? Quanquam parum verecunde facere mihi videntur illi, qui res omnes externas sic indifferentes habent, ut coelestibus Dei oraculis, et sanctae christianismi professioni indifferenter ferant quaevis misceri ludibria. Si mihi cum rudi aliquo et gregario homine esset negotium, exemplis quam id absurdum sit ostenderem. Apud te vero genus ipsum attigisse sufficit. Huc accedit quod doctrinam ipsam, licet dissimulanter, his strophis involvunt. Nam ubi baptismum et sacram coenam foedarunt indignis corruptelis, ut parum ab histrionicis ineptiis differant: confirmationem et extremam unctionem admittunt. Quorsum? Ut septem numerentur sacramenta. Alias species apud hominem peritum non enumero. Verum, ut solis caeremoniis agatur, delectum tamen adhibendum censeo, ne quid admittamus vel a recto Dei cultu alienum, vel quod evangelii claritatem obscuret: deinde ne facilitas nostra hostibus insultandi malitiam praebeat. Hic standum est, meo iudicio, etiam si decem mortes nunc sint oppetendae. Quo turpior est multorum ignavia, qui antequam instet vitae dimicatio, vel illecebris deliniti, vel caeco metu perculsi, vel nescio quibus minis territi, stationem suam flagitiose deserunt: et tamen non desinunt suggestum occupare, unde Christum eiusque doctrinam et ecclesiae salutem scelerata perfidia doctorum nomine larvati prodant.

Vides, eximie vir, ut benevolentia erga me tua fretus non minus familiariter in sinum tuum quaecunque sentio deponere audeam, quam si interior longique temporis consuetudo tecum mihi intercederet. Atque hinc iudicium facere potes, quantam habuerim literis tuis fidem. Vale, eruditissime vir,

1380. 1) *literis* 10. *Martii scriptis.*

frater et symmysta mihi ex animo colende. Dominus te spiritu suo regere pergat, tuosque labores benedicat in ecclesiae suae aedificationem. Saluta reverenter meo nomine D. Erasmum *Sarcerium*, D. Ioachimum *Camerarium*, D. *Rheticum* [2]) et alios amicos. Collegae mei et reliqui fratres vobis plurimam salutem dicunt, vestri in precibus suis memores. Genevae, xiij. Calendas Iulii. 1550. D. *Philippi* ideo nullam feci mentionem, quia illi seorsim scribo. [3]) Si habes qui Argentoratum veniant, illuc tuto poteris literas tuas destinare. Aut Wendelinus *Richelius* typographus, aut Ioannes *Sturmius* libenter mihi reddendas curabit. Si tibi quispiam Augustae fidelis amicus erit, is Bernam commode mittere poterit ad *Musculum*. Inde ad me perferentur.

Ioannes Calvinus ex animo tuus.

1381.

CALVINUS MELANCHTHONI.

Severius eius mollitiem et timiditatem in negotio adiaphoristico increpat.

(Ex autographo Codicis Tronchiniani fol. 31, et inscriptione et subscriptione destituto. Edidit Beza, verum non integram, Genev. p. 89, Laus. p. 212, Hanov. p. 237, Chouet p. 120, Amst. p. 54. Ex hac editione truncata derivatae sunt versiones, gallica Colon. p. 131 et anglica Edinb. II. 256.)

S. Dicebat olim Satyricus ille: [1]) Si natura negat, facit indignatio versum. Mihi nunc longe secus accidit. Adeo enim me disertum non facit praesens dolor, ut fere elinguem potius reddat. Praeterquam enim quod me verborum facultas ad exprimendum animi affectum deficit, sola rei de qua scripturus sum cogitatione fractus prope obmutesco. Me itaque gemere potius quam loqui existimes velim. Quantopere Christi hostes exhilarent vestra cum Magdeburgensibus certamina, ex illorum ludibriis ac sannis plus satis notum est. Foedum certe ac detestabile, Deo primum et angelis, deinde toti ecclesiae spectaculum praebent. Hic, mi *Philippe*, etiam si nulla in te culpa haereret, prudentiae tamen atque aequitatis tuae foret, vel sanando malo remedium, vel mitigando levamen saltem aliquod excogitare. Sed ignosce, si ego non omni te prorsus culpa libero. Atque hinc coniecturam facere potes, quam gravia sint aliorum de te iudicia, et quam sinistri odiosique sermones. Patere interea, mi *Philippe*, ut in libera admonitione veri amici officio fungar: ac si paulo acrius tecum agam, ne quidquam ideo ex veteri mea in te benevolentia atque observantia imminutum putes. Etsi istud tibi novum vel insolens non erit, me rustica potius simplicitate offendere, quam adulatorie in ullius hominis gratiam loqui. Ego etiam, quia vicissim expertus sum, tibi nihil esse ingenuitate gratius, minus anxie laboro, ne moleste feras a me reprehendi, si quid iure displicet. Cupio equidem tua omnia sine exceptione et mihi probare et aliis. Sed ego te nunc apud te ipsum accuso, ne iis qui absentem damnant cogar subscribere.

Haec tuae defensionis summa est, modo retineatur doctrinae puritas, de rebus externis non esse pertinaciter dimicandum. Atqui si verum est, quod pro certo passim asseritur, tu res medias et indifferentes nimis longe extendis. Cultum Dei mille modis apud papistas adulteratum non ignoras. Corruptelas, quae minime tolerabiles erant, sustulimus. Nunc impii, ut de subacto evangelio triumphum agant, easdem iubent restituere. Si quis recusare non dubitet, hoccine pertinaciae adscribes? Id vero a tua modestia quam alienum sit novi. Tu si ad cedendum fuisti mollior, id tibi vitio a multis verti non est quod mireris. Adde quod eorum quae tu media facis quaedam cum Dei verbo manifeste pugnant. Nimis praecise fortassis quaedam alii urgent, atque ut in contentionibus fieri solet, odiose quaedam exagitant, quibus non inest tantum mali. Verum si quid in rebus divinis intelligo, tam multa papistis abs te concedi non oportuit: partim quia laxasti quae verbo suo Dominus adstringit, partim quia proterve evangelio insultandi materiam dedisti. Quum circumcisio adhuc licita esset, annon vides Paulum, quia versuti ac malitiosi aucupes insidias piorum libertati tendebant, illis profectam a Deo caeremoniam pertinaciter negare? Itaque ne ad momentum quidem se illis cessisse gloriatur, quo evangelii veritas integra maneret apud gentes. Hodie vero non de circumcisione nobis molesti sunt hostes: sed ne quid sincerum nobis relinquant, putidis suis fermentis et doctrinam et omnia pietatis exercitia inficiunt. Quod Magdeburgenses dicis tantum de linea veste rixas movere, quorsum pertineat non video. Lineae enim vestis usum cum multis

2) *Er. Sarcerius Annabergensis concionator aulicus principum Nassoviae, post introductum Interim his patronis relictis pastor factus est ad S. Thomae Lipsiae, multaque et varia edidit scripta. Obiit a.* 1559. — *Ioach. Camerarius Bambergensis, Melanchthoni maxime familiaris, prof. Lipsiensis a.* 1541 *ad* 1574; *historicis exegeticis et philologicis scriptis clarus, maxime notis in N. T. et vita Melanchthonis.* — *Georg. Ioach. Rhaeticus, quod nomen potius gentilitium quam ipsius a parentibus proprium putamus, Feldkirchensis, prof. Matheseos Witebergensis ob.* 1576.

3) *sequentem.*

1381. 1) *Iuvenal. I.* 79.

ineptiis, tam apud vos quam apud illos hactenus retentum fuisse arbitror. Sed profecto crassioribus te corruptelis manum dedisse, quae aperte ad vitiandam totius doctrinae puritatem et labefactandum ecclesiae statum tendunt, passim fremunt boni et religiosi homines. Si forte quod tibi aliquando dixi oblitus es, nunc in memoriam revoco: nimis carum esse nobis atramentum, si ea literis testari dubitemus, quae tot ex medio grege martyres quotidie sanguine suo obsignant. Atque ita quidem loquebar, quo tempore longius a telorum iactu abesse videbamur. Nunc quum nos in arenam Dominus protraxerit, eo virilius nos eniti decebat. Alia, ut nosti, tua est quam multorum conditio. Plus enim ignominiae ducis vel antesignani trepidatio, quam gregariorum militum fuga sustinet. Ergo ut aliorum timiditati parcatur, nisi aequabile invictae constantiae exemplum ostendas, vacillationem in tanto viro non ferendam esse omnes dicent. Itaque plures tu unus paululum cedendo querimonias et gemitus excitasti, quam centum mediocres aperta desertione. Quanquam autem certo persuasus sum, te mortis formidine nunquam compulsum fuisse, ut a recta linea vel minimum unguem deflecteres: fieri tamen potuisse suspicor, ut animum tuum alia timoris species percelleret. Scio enim, quantopere inhumani rigoris crimen horreas. Sed memineris oportet, non maiorem Christi servis famae quam vitae rationem esse habendam. Neque enim Paulo meliores sumus, qui per infamiam et probra secure perrexit. Nos censeri praefractos ac tumultuosos homines, quibus magis libeat in totius orbis exitium ruere, quam ad moderationem aliquam descendere, acerbum id quidem et durum est. Sed iampridem ad voces illas occalluisse aures tuae debuerant. Nec vero vel mihi tu ita male notus es, vel ego tibi adeo sum iniquus, ut te ab aura populari ambitiosorum more pendere arbitrer. Sed non dubito, quin te illae interdum punctiones debilitent. Quid? an prudentis et considerati hominis est, ecclesiam scindere ob res minutas et prope frivolas? Annon tolerabili aliquo incommodo pax redimenda? Cuius dementiae est, sic ad extremum tueri omnia, ut totius evangelii summa negligatur? Olim quum haec et similia ab astutis hominibus spargerentur, te plus iusto moveri solitum animadvertisse mihi videor, ac ingenue tibi aperio: ne quid vere divinam animi tui magnitudinem impediat, qua te alioqui abunde instructum esse scio. Huius meae vehementiae non obscura tibi ratio est, quod tecum mori centies malim, quam traditae abs te doctrinae videre te superstitem. Neque hoc dico, quasi vel periculum sit, ne unquam tuo ministerio patefacta Dei veritas intereat, vel tuae perseverantiae ullo modo diffidam: sed quia nunquam satis sollicite cavebis, ne quam captant impii cavillandi occasionem ex tua facilitate arripiant. Magdeburgensium[2]) vulnus nondum attigi. Qui protegere eos suis opibus et subsidiis iuvare debuerat, non modo perfide omni auxilio destituit, sed crudeliter illis est infestus.[3]) Tam scelerati furoris te minime approbatorem esse, non est quod apud me excuses. Imo non est quod testeris quam vehementer te crucient: sed quod dissimulas permulta quae corrigere non potes, vel non satis acriter et cordate resistis, id tuae humanitati non videri ipsis consentaneum nihil miror. Neque enim quam anxie pro fratribus in tali causa laborandum sit ignoras. Si tuarum id esse partium negas, ne ideo bonis viris satisfactum esse putes. Multa consulto praetereo in quibus vel malevoli vel nimium credili te reprehendunt. Quale est quod in eius ditionem ultro concesseris, quem multis nominibus fugere debueras. Verum quoniam idonea suscepti consilii ratio tibi forte constat, ego, ut iam dixi, a recitandis eiusmodi iudiciis supersedeo. Hoc interea aequissimo cuique displicet, dum beluina truculentia saevitur in fratres, *Philippum* hostilibus in castris tacentem sedere. Nec vero dubito quin multa exciderint Magdeburgensibus quae animum tuum exacerbarent. Verum quum initio eos ob evangelii doctrinam oblique peti satis intelligeres, tuarum esse partium existimabant nullam a tali causa disiunctionem unquam admittere. Quod vero se destitui impatienter tulerunt non miror. Nosti illud: quibus res sunt minus secundae omnia accipere in suam contumeliam. Nunc quum infelix contentio longius eruperit, magnoque in ecclesiae malo et bonorum omnium dolore grassetur, quaerendum nobis omnibus foret remedium. Si nullum superest, dabis[4]) veniam quod miserabiles istos quamvis irritos gemitus in sinum tuum exonero. Vale, clarissime vir et mihi semper ex animo observande. Dominus te spiritu suo regere pergat, virtute spiritus sui sustentet, praesidio suo tueatur. Amen. Saluta quaeso meo nomine amicos, si qui istic erunt. Hic plurimi sunt qui te reverenter salutant. Multi enim vitandae idololatriae causa ad nos in voluntarium exsilium ex Gallia profugiunt.[5])

2) *Quae sequuntur in codice cancellata, in edd. omissa sunt.*

3) *Mauritius Saxo.*

4) *haec rursus leguntur in editionibus.*

5) *Diem natalem facillime ex praecedenti epistola elicies ubi dicit Paceo se Melanchthoni seorsum scribere, postquam idem τῶν ἀδιαφόρων argumentum tractavit. Alioquin sane iam ad annum praecedentem referre posses quum controversia adiaphoristica iam m. Iunio* 1549 *Flacio autore exorta sit. Vide Bretschn. Annal. Tom. VII. opp. Mel. ad* 9. *Iunii et* 11. *Maii, Schmidt Mel. p.* 520. *Edd. Lausann. et Hanov. a.* 1551 *adscribunt.*

1382.

CALVINUS LASCO.

Negotium sibi ab eo commendatum cum Bullingero transegit qui se ei dicavit. Ecclesiae Christi ubique initia debilia meliora sperare minime vetant.

(Describimus hoc fragmentum ex Simleri Vol. 74 qui se illud ex MSS. Arch. Bern. sumpsisse affirmat, unde et reliqua sua Genevensia habet omnia. Verum neque ibi neque Genevae ullum eius vestigium relegere potuimus.)

Simul atque mandata tua D. Franciscus a *Burgundia* [1]) mihi exposuit, ipse optimus erit testis quid *Bullingero* nostro scripserim et quam validis rationibus eum permovere conatus sim, ut in causam sedulo incumberet. Epistolae exemplar tibi mittere statueram, sed postea exemplo tuo satius visum est rem sermoni committere. *Bullingerus* vero suis literis ostendit fidelem se operam daturum ut tuis votis satisfaciat. Ex eo nihil novi allatum. Cuperem inter omnes Christi ecclesias tantum esse consensionis in hoc mundo ut nobis angeli e coelo concinerent. Cuperem hostium ferociam, si retundi non potest, saltem compesci aliqua ex parte. Quid sperandum sit brevi forte ex *Bullingeri* literis scies. Te strenue istic pro more tuo in opere Domini versari gaudeo. Sed utinam sacramentorum usum aliquando ecclesiae tibi commissae impetrent. [2]) Quod multa obstent me non fugit. Spero tamen aliquid proximo regii senatus conventu effectum iri. Interim mihi ante oculos versantur certamina illa quibus teneram et recentem adhuc ecclesiam vexari necesse est. Hic ubi res longo temporis successu melius esse compositas decebat, parum agendo multum habemus negotii. Sed quia sub Christi vexillo nonnisi victores bellamus, tanto hoc praesidio confisos eniti nos ad triumphum convenit. — — —

1382. 1) *Hunc editores collectionis Parkerianae eundem fuisse putant atque Franc. Bourgoing ministrum Genevensem. Nos virum in Anglia degentem fuisse certissime scimus, et quidem fratrem Falesii. Cf.* 1399.

2) *Quum epistola haec Lasco, dum in Anglia commoraretur, missa videatur, hic locus forte natales eius prodit. Ecclesiae extraneorum Londinensis ex decreto* 24. *Iulii* 1550 *templum, libera concio et usus sacramentorum concessa fuerunt.* (*Strype Mem. of Cranmer I. p.* 341. *Micronii ep. ad Bullingerum* 23. *Aug. ap. Parker. II.* 566). *Iam quum Lasco m. Maio in Angliam redierit, hanc ad Iunium vergentem referre licebit. Omnino erravit Simlerus qui Aprilem* 1551 *adscribit.*

1383.

CALVINUS TEXTORI.

Epistola qua ei Commentarium in posteriorem ad Thessalonicenses dicavit.

(Ex editione principe Genev. ap. Gerardum 1551.)

Eximio viro Benedicto Textori medico.

Quum te in artis tuae scientia excellere iudicent qui sunt idonei eius rei cognitores, ego exactam fidem ac diligentiam, quam tum in curandis aegrotis tum in responsis dandis adhibere soles, pro summa virtute semper duxi. Sed in mea praesertim valetudine vel restituenda vel tuenda sic te sedulo intentum fuisse perspexi, ut facile constaret, non tam unius hominis abs te haberi rationem, quam commune ecclesiae bonum studio ac curae tibi esse. Putaret forte alius quispiam levius ideo esse officium quod non privatim sibi duntaxat impensum foret. Ego autem bis me potius tibi obstrictum esse sentio, quod, quum in obeundis amicitiae partibus nihil omnino praetermitteres, de ministerio quoque meo, quod mihi propria vita carius esse debet, fueris perinde sollicitus. Mortuae praeterea uxoris memoria, quantum tibi debeam, quotidie admonet, non modo quod ope tua saepius levata, semel ex gravi ac periculoso morbo restituta fuit, sed quod in postremo etiam, qui nobis eam eripuit, nihil in ipsa iuvanda ad industriam, laborem, studium reliqui feceris. Porro quia non aliam a me tibi mercedem solvi pateris, ut mutuum aliquod esset meae erga te benevolentiae testimonium, huic commentario nomen tuum inscribere volui. Genevae Calendis Iuliis M. D. L.

1384.

ZERKINTES CALVINO.

Literae commendatitiae.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 128.)

Pietate et eruditione clarissimo viro Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae praesuli vigilantissimo domino et amico in primis colendo suo.

Tabellarius hic filius est civis optimi et mihi, quum superstes esset, coniunctissimi. Matrem habet ad rem intentiorem, quae opum mediocritatem existimat non omnem in filii studia esse erogandam,

sed liberorum quos habet quatuor parem habendam rationem. Hic domi iacturam et temporis et studiorum Argentinae coeptorum quum faceret, maluit peregrinatione suscepta fortuito magistrum quaerere quam domi paternae haerere. Petiit a me literas commendatitias ad te, quas ei honeste denegare non potui, praefatus tamen te parum posse rationibus eius commodare, praesertim Lugdunum cogitantis. Si quid tamen consilii habes quod iuvenis industriam promovere queat, scio te non gravatim, quae tua est in bonos omnes pietas, communicaturum. Idque ut facias vehementer te rogo, virorum optime ac colendissime. Vale. Bernae festinanter. 7. Iulii 1550.

Tuus tuique amantissimus
Nicolaus Zerchintes.

1385.

CALVINUS NORMANDIO.

Dedicatio Tractatus de Scandalis.

(De editionibus huius Tractatus satis superque dictum in Prolegomenis Tomi VIII. Operum, ubi hanc ipsam praefationem nuncupatoriam typis editam reperies. Quam hoc loco simpliciter in censum revocare satis habuissemus, textu ipso non repetito, nisi aliquot annotationibus eandem illustrare nobis non abs re visum fuisset. Simul hac occasione oblata addere libet editores diarii cui titulus est: *Bulletin de la Société de l'histoire du protestantisme français* Tom. XV. p. 268 hanc epistolam gallice typis mandasse sub rubrica: *Documents inédits et originaux.* Verum neque inedita est, quippe quam ipsi ex impresso transscribere debuerint, neque authentica. Textus enim latinus ante gallicam versionem prodiit, ut ex subscriptione huius epistolae cum Crispini ad calcem editionis gallicae principis addita notitia collata facile efficies.)

Ioannes Calvinus viro multis dotibus eximio Laurentio Normandio [1]) S.

Quum tibi multis nominibus aliquam laborum meorum partem animo destinassem, hoc opusculum prae aliis eligendum censui, quod ad faciendam eius quam continet doctrinae fidem exemplum tuum non parvae confirmationis vice esse potest. Nam ex quo relicta patria [2]) huc ad nos voluntarius exsul migrasti, quot et quam violentis Satanae machinis fueris impetitus, nos quidem duo optimi sumus testes, sed alii quoque non ignorant. Mors patris quarto post discessum tuum mense nunciata est. [3]) Venire tibi in mentem necesse fuit, quod malevoli non tacebant, mortis causam dolori posse ascribi, ut tota invidia in te redundaret. Sequutum est paulo post [4]) acerbissimum vulnus, quod uxor tibi, qualem optimus quisque vir optaret, in medio aetatis flore erepta est. Hic quoque fieri aliter non potuit quin mentem hominis non stupidi percellerent variae tentationes. Iam auribus tuis insonabant improborum calumniae: fuisse infaustis ominibus e natali solo extractam, ut miserum spiritum in alieno prope orbe deponeret. Sed animum tuum propius hoc urgebat: aliquid habituros coloris, si consilium tuum tristi eventu a Domino maledictum esse iactarent. Omitto punctiones innumeras quas te intus sentire par fuit. Nam quum grave sit malum viduitas, tali vitae socia privari plus quam lugubre tibi fuit. Filiolae quoque postremo ad luctus cumulum funus accessit. Interea quoscunque potuit impetus aliunde effudit Satan, ut saucium iam pectus obruendo conficeret. Denique plus tibi molestiarum intra semestre tempus devorandum fuit quam nonnulli, quorum celebrata fuit animi magnitudo, tota vita pertulerint. Illa fuit scandalorum moles tibi Satanae astu in ipsis stadii carceribus opposita, quae te ad gradum reflectendum cogeret. Atqui invicta spiritus Dei virtute fretus documento aliis omnibus fuisti, nullum esse tam arduum difficileque obstaculum quod non eodem eluctari praesidio liceat. Et simul expertus es quibus suos ad resistendum armis instruere soleat Dominus, quoties ad certamen ipsos vocat. Memini, quum tibi primus indicarem patrem esse mortuum, et exemplum adducerem Abrahae, quem patris carnificem vocare poterant aetatis suae homines quod Thare domo abeuntem sequutus in medio itinere defecerat, te statim excipere: Quum testem facti tui et approbatorem haberes Deum, impiorum calumnias nihil morari: hoc dolere solum quod non pater additus tibi profectionis comes Abrahae te similem fecisset: te quidem non adeo lautum esse ac superbum ut vel Abrahae socius esse recusares, vel eam ignominiam fugeres quam Deus summa laude prosequitur. Caeterum uxor ipsa

---

1385. 1) *De hoc Laurentio de Normandie (quem cave cum Nissenio in Bezae Vita Calv. p.* 15 *e provincia Normandia oriundum credas) adeas Galiffii Genealog. II.* 527.

2) *et bonis quae possidebat tam Novioduni quam in vicinia oppidorum Chauny, Montdidier et Roes, quaeque anno demum* 1565 *intercedente regina Navarrae recuperavit.*

3) *Ioannes de Normandia Noviodunensis vergente autumno aut initio hyemis* 1549 *obiisse videtur quum filius Laurentius postridie Cal. Maias* 1549 *a senatu Genevensi receptus fuerit.*

4) *Versio gallica dicit:* au bout de deux mois. *Uxori nomen fuit Annae, filiae Eligii de la Vaquerie, viri nobilis cuius avus vel atavus sub Ludovico XI. parlamenti Parisiensis primus praeses fuerat, non parum laudis apud posteros meritus ob liberalem et fortem animum. Ex hac uxore suscepit Laurentius duos filios. Postea Idibus Sept.* 1550 *duxit alteram Annam, Leonis Colladoni filiam.*

prius obitus sui luctum quam nos relinqueret mirifice levavit ac mitigavit. Nulla enim medicina desiderari aptior potuit quam heroicae illae voces quas inter ultimos spiritus edebat: quum apprehensa manu mea gratias Deo ageret, cuius manu in eum locum esset adducta ubi tranquillo animo liceret mori: quum superioris vitae sortem animo deplorans bis se felicem esse clamaret, quia nuper ex maledicto Babylonis carcere extracta iam ex misero etiam corporis ergastulo exitura esset: quum ex vivo conscientiae sensu de peccatis suis, de aeternae mortis reatu, de tremendo Dei iudicio non muliebriter disserens magnifice Christi gratiam extolleret, eamque pari humilitate et fiducia velut sacram anchoram amplecteretur. Haec verba non modo clare et diserte sed insolita energia inter ultimos anhelitus fundentem sic me audisse recordor ut spectaculo adhuc interesse videar. Itaque quum te ex adverso intuerer in domanda animi moestitia praeclare luctantem, minus iam mirabar tot talibusque remediis adiutum virum esse fortem in dolore. Aliis recitandis supersedeo. Hoc tantum dico: quum perplexum ex immensa congerie scandalorum labyrinthum tibi fabricatus esset Satan, sic te omnia superasse ut non modo idoneus sis aliis monitor et hortator, sed etiam ut qui paulo sunt molliores tuo exemplo animati novam strenuitatem merito sumere debeant. Scilicet arx valde munita est, aequabilis animi moderatio: cuius singulare specimen quum aliis in rebus tum in hac praebuisti, quod quum in patria reliqueris quae alios ad ambitionem rapiunt, alios suis illecebris affixos tenent, nullo prorsus eorum desiderio tangeris: ut te non minus aequo sedatoque animo illis carere appareat quam facile semel renunciasti. Huius tuae pietatis sicuti ego fructum et oblectationem non vulgarem capio, ita non mirum si cupiam ad alios partem aliquam pervenire. Nam qui te nuper, quum in urbe ex qua natus sum regius esses praefectus et civium nostrorum magister,[5]) tanquam procul a Christo dissitum gemebam, nunc ex quo totus Christo addictus es vere meum esse duco, et quasi communi ecclesiae gremio amplector. Velim tamen ut libellus hic etiam apud eos quibus ignotus es qualecunque sit amoris in te mei documentum. Pignus enim ipse nullum flagitas. Multa quidem sunt inter nos iustae necessitudinis vincula, sed nulla sanguinis est propinquitas, nulla alia coniunctio, quae amorem nostrum superet.[6]) Adeoque frater unicus te sibi aequari non aegre patitur: quod mutuae compensationis vice se abs te peraeque amari sentit. Porro quod multorum votis serius prodit liber, utinam veteri proverbio, quod initio libri citavi, legitime excusare possem: Sat cito si sat bene. Sed vereor ne multos, qui partim ex argumenti amplitudine, partim ex longiore mora, magnum sibi nescio quid polliciti sunt, spei suae frustratio magis offendat, quum res copia, splendore, vehementia orationis, totis denique eloquentiae fulminibus apprime dignas, concise humiliter et ieiune perstringi videbunt. Quibus ego quid respondeam non habeo, nisi me rationem sequutum esse quam fore optimam arbitrabar. In quo ut mihi subscribant non postulo: modo veniam a se dissentienti dare non recusent. Vale, eximie vir et frater mihi in Domino coniunctissime. Genevae, vj. Idus Iulii, meo natali die. Anno M. D. L.

5) *Imo non solum* Lieutenant du Roy à Noyon et maire de la ville, *sed etiam* maitre des requêtes *et a Rege ad negotia publica tractanda adhibitus* (*Beza, Galiffe*).

6) *usque ad finem vitae duraturum. Normandium enim Noster constituit testamenti exsequutorem.*

1386.

VIRETUS FARELLO.

De diacono a Neocomensibus exoptato, de Genevensium lite cum Rege Galliae, de monstro quodam rumore publico celebrato.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Vireti fasc. IV. N. 9.)

Eximio Iesu Christi servo Guilelmo Farello ecclesiae Neocomensis pastori fidelissimo.

Neocomi.

S. Arbitror *Calvinum* suam ad te sententiam scripsisse super ea re de qua nuper nos consulebamus. Nam id se facturum literis ad me pollicitus est.[1]) Ego sane quid dem consilii non satis video. Video quo spectent hostium vestrorum consilia. Videte quid magis futurum sit in rem ecclesiae. Vix impetrabitis diaconum a talibus hominibus, sed Dominus dabit quod ipse noverit consultius. De Genevensi portento, de quo scribis ad me, nihil audivi penitus, quum tamen quotidie hinc inde ad nos commeant. Nugae sunt.[2]) De inimicitiis, quae metuebantur inter Regem et Genevenses, audio ni-

1386. 1) *Talis Nostri epistola non exstat, et hactenus quae hic leguntur obscurius dicta sunt. Fortasse referenda sunt ad Carmeli* (*N.* 1377) *negotium.*

2) *Patet hic agi de aliquo monstro cuius natales iste ex publico rumore celebraverat. Ipse enim Farellus margini haec adscripsit:* Ante annos 8. 1542. 38 oculos, tibias 9, aquilae caput pro capite, pennas pro brachiis.

hil esse amplius metuendum.[3] Successit res melius quam sperabatur. Audio bona cum omni pace omnia esse transacta. — — — — — Lausannae 19. Iulii 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1387.

CALVINUS VIRETO.

Rogat ut Genevam veniat aliquot dies rure cum amicis conversaturus.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 37. Exemplaria recentiora exstant Genev. in Cod. 111, fol. 244, Bernae in Arch. Epp. VI. p. 78 et Turici ap. Simlerum Vol. 73. Anglice versa legitur in edit. Edinb. II. 261.)

Eximio Christi servo Petro Vireto ecclesiae Lausannensis pastori.

S. Quum mihi nuper dixisset nescio quis brevi te huc venturum, perinde id arripui ac si te ex compacto obstrictum tenerem. Quod si in animo habes venire, etiam atque etiam rogo ut te sabbathi nobis sistas. Neque enim toto hoc anno posses opportunius. Die dominico[1] tu in urbe habebis mane concionem, ego Iussiacum proficiscar. A prandio subsequeris. Illinc ambo ad D. *Fallesium*.[2] Ab eo rursum in diversam partem transvolabimus, ubi apud D. *Insulanum* et *Pomerium*[3] rusticabimur, usque ad diem Iovis. Die Veneris, si voles Tornetum excurrere, vel ad Bellam rippam, me quoque habebis comitem. Neque est quod odium metuas.[4] Res enim sunt paululum mitigatae, ut audies. Vide ne fallas: multi certo hic te exspectant. Vale iterum atque iterum donec venias. Saluta fratres, et domi uxorem ac filiolas. Dominus Iesus vos omnes servet ac tueatur. Genevae 10. Calend. Aug. 1550.

Ioannes Calvinus tuus.

Literas ad *Zerkintem*[5] et *Hallerum* dabis D. *Vergerio*[6] ferendas.

1388.

CALVINUS FARELLO.

Agit de Vergerio et Bucero, de epistolis suis ad Melanchthonem et Protectorem missis, de quaestore gallico Genevae in vincula coniecto, de suis libris proxime edendis, denique de Carmelo.

(Ex autographo Cod. Genev. 107a, fol. 36 coll. cum Cod. Turretini 111, fol. 243, Epp. Bern. VI. p. 77. Simleri Vol. 73 et Vers. angl. II. 262.)

Eximio Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae fido pastori symmystae fratri et amico integerrimo.

S. Tametsi nullus pridem nuncius se mihi obtulit qui tuto et commode literas ad te meas perferret, me tamen, ut verum fatear, adeo longae cessationis[1] pudet. Verum et tu facile excusas, et ego vere hoc possum testari, me libenter fuisse aliquoties scripturum si otioso contigisset nuncii facultas.

Apud Tigurinos non expedit, meo iudicio, nos sollicite purgare, ne qua illis vana suspicio obrepat.[2] Si quid fidei habeant istis nebulonibus,[3] brevi sentiemus. Tunc facilis erit defensio. Interea foveamus nostrum consensum. Hic nunc habemus *Vergerium*, Iustinopolitanum episcopum, qui tamen mox se in Rhaetiam recipiet.[4] Puto *Viretum* de eo tibi

---

3) *Haec ex Ruchatio* V. 411 *illustrari possunt: Io. Bapt. Didaco quidam, Rotomagensis quaestor, Genevae in vincula coniectus fuerat rogatu famuli eius E. Genin. Quem suum hominem Rex imperiose liberari iussit, scilicet ab ipso repetundarum accusandum, additis minis nisi statim obtemperaretur. Bernenses legatos miserunt Genevam J. Frc. Naegelinum et Io. Steigerum qui rem placide componerent. Interim et Rex ipse et causae actor Geninus placati a postulatis suis destiterunt et post tres menses Didaco ille dimissus est.*

1387. 1) 27. *Iulii.*

2) *Vegiacum ad radices montis Saleve.*

3) *N.* 1374 *not.* 4. *Bonnet scribit Pommier et De Lisle. Quod se transvolaturum dicit hoc Anglus ita accipit ac si in alteram lacus ripam navigio transferri voluerit. Verum Bellerive prope Veigy sita est.*

4) *scil. ab iis qui ministros suspicionibus vexabant.*

5) *quibus respondebat ad N.* 1384.

6) *Halleri Ephem. p.* 89: 2. Iulii venit ad nos P. P. Vergerius. Illi stipendium Lausannae constitutum. Sed mox Lausanna relicta ad Rhaetos iterum concessit *cett. Videtur pestem tunc in istis regionibus grassantem reformidasse, Curio enim de eo ad Musculum scribit:* Neminem unquam vidi miserius formidare pestilentiam quam V. facit. *Cf. de Porta hist. ref. eccl. Rhaet.* I. 161. *Meyer, Locarno p.* 52. *Schmidt in ZS. für hist. Theol.* 1860 IV. 606.

1388. 1) *Nulla ad Farellum eius exstat epistola post N.* 1349.

2) *Haec paulo obscurius dicta quum evidenter Farelli quaedam ep. interciderit, ex qua elici potuisset quo pacto Turici Calvino purgatione opus esse poterat.*

3) *in those clouds of theirs!*

4) *Haec cum ep. ad Viretum N.* 1387 *componenda, unde colliges hanc nostram circa idem tempus scriptam fuisse. Anglus vertit:* He will *not* return to the Grisons.

scripsisse. Iter enim fecit Lausanna, et cum fratribus aliquot dies familiariter versatus est. Multa habet laude digna. Et spero in recto cursu fore constantem. Quia Tiguro sciebam transiisse, si quid audisset illic sinistri elicere conatus sum. Nihil tamen potui subolfacere. Ergo quiescamus, nisi maior detur occasio.

Qui ex Anglia veniunt recte illic esse narrant. De *Bucero* nihil accepi,[5]) nisi quod nimium mollis quibusdam videtur. Opinio de eo multorum animis infixa non facile evellitur. Hoc praeiudicio bonum virum gravari probabile est. An praeterea aliquid praebeat materiae nescio. Brevi aliquid audiemus. In Saxonia nihil adhuc mutatum est. Si forte libuerit quartam horae partem consumere in lectione epistolae ubi de caeremoniis tracto,[6]) exemplar hic reperies inclusum. Scripsi etiam *Melanchthoni*[7]) in eandem fere sententiam. Sed negligentia mea factum est ut nullum maneret apud me exemplar. Si libuerit etiam videre quibus de rebus nuper[8]) Angliae Protectorem monuerim, epistolam quoque illam adiunxi. Utinam per tempus liceret petere de his rebus consilium potius quam tibi ostendere quid iam egerim.

Quaestor regis Galliae qui in carcere tenebatur non amplius molestiam nobis facesset.[9]) Legati Bernensium eius causa nuper missi minus quam vellem, aliquid tamen, impetraverant quod regis animum placare utcunque posset. Quinque aut sex postea diebus veniunt humanissimae literae, quibus rex nostris agit gratias, et ut captivum dimittant blande rogat. Id factum est. Ergo hac cura, quae mihi somnum saepius excussit, iam sumus mira Dei bonitate exempti. Novum istud vectigal quod exigunt Bernates[10]) male nos torquet. Fixum est nostris non solvere. Iure volunt experiri. Adversa pars nihil nisi imperio. Ita subinde alia mala ex aliis oriuntur. Accedit et hoc incommodi quod meum consilium flagitantibus negare non audeo.

Hac hebdomade Genesin sum exorsus. Utinam auspicato. Interea Iesaias ad prelum vocatur. Typographi nunc in Paulo festinant. Sed vereor ne serius coeperint quam oportuerat. Nisi proximis nundinis[11]) exierit habebit alios comites. Nam hac hyeme, ut spero, liber de scandalis et epistolae catholicae imprimentur.[12])

Vale, frater integerrime et mihi semper in Domino colende. Saluta diligenter fratres omnes et familiam. Dominus vos tueatur omnes spirituque suo regat.[13]) Fratri nostro *Gaspari*,[14]) si quando ad te venerit, plurimam ex me salutem dices. Utinam consilium mihi in manu esset quod illi expedire literis possem. Verum satius multo est sermone: quod fore confido intra aliquot menses. Priusquam tuae literae allatae essent iam pestis apud vos remiserat. Itaque nihil respondi. Compatrem meum *Christophorum* et *Mirabilem* fefellisse miror, nisi forte hic Paterniaci occupatur in dirimendis litibus.[15])

5) *Epistolam N.* 1373 *nondum accepisse videtur.*
6) *Cuinam scriptae? An Paceo N.* 1380?
7) *N.* 1381.
8) *Hinc efficies fortasse nos perperam ep. N.* 1347 *ad m. Februarium retulisse. Verum nobis vero simile non videtur Nostrum quatuor totos menses elabi sivisse antequam patrono restitutionem gratularetur. Cf. etiam not.* 1.
9) *De hoc vide supra N.* 1386 *not.* 3. *Calvinus videtur suasisse ut ille sine conditione dimitteretur. Senatus id solum concedere voluit ut ad sex menses Regi traderetur ad rationes suas reddendas, postea autem remitteretur Genevam. Interea res placide composita fuit.*
10) *Agro Vadensi in suam ditionem redacto Bernenses novis subditis tributum solvendum imposuerant* (le centieme denier de tous les biens qu'on possédoit). *Hoc et a civibus Genevensibus exegerunt, qui in eorum finibus fundos habebant, ex. gr. apud S. Victoris. Quod quum recusarent praefecti Bernenses illas terras sequestri dederunt. Inde irae. Genevenses Basileensium mediationem invocarunt quam Bernenses recipere noluerunt. Tandem m. Decembri hi a suis postulatis destiterunt.* (*Ruchat* V. 410.)
11) in nine days hence (!!)
12) *Commentarius in Genesin anno demum* 1554 *prodiit, in Iesaiam a.* 1551; *prima editio epistolarum omnium eodem anno, paulinarum ap. Girardum, catholicarum apud Crispinum. Tractatus de scandalis gallice m. Dec.* 1550, *latine iam antea ut videtur, quum m. Martio insequente iam altera editio exierit.*
13) *Quae sequuntur a translatore anglico omissa sunt.*
14) *Ad haec cf. N.* 1377. *Carmelus speraverat se Neocomum vocari posse ut peste laborantibus adesset.*
15) *Plura huc pertinentia praebebit ep. ad Farellum infra N.* 1398. *Etiam Paterniaci Bernenses tributum exigebant, renitentibus Friburgensibus, de qua lite adeas Ruchatum* V. 407. *Caeterum huius epistolae natales facile definiuntur ex mentione legatorum Bernensium qui postridie Idus Iulias Genevam venerant, item Vergerii, denique etiam ex Farelli responso a. d. III. non. Aug. dato. Meyerus* (*Locarno* I. 55) *eam vigesimae secundae Iulii assignat, vel etiam vigesimae.*

1389.

CALVINUS RABOTTO.

Respondet ad epistolam nuper ab eo ipsi scriptam hortaturque ut constanter in sua fide permaneat et proficiat.

(Ex apographo Archiv. Thoman. Argent. de quo valet quod ad N. 1379 annotavimus. Anglice versa exstat Ed. Edinb. II. 264.)

Tametsi nos alter alteri de facie mutuo ignoti simus, quia tamen Christum in meo ministerio magistrum agnoscis, teque libenter ac placide subiicis eius doctrinae, haec mihi satis iusta causa est cur te vicissim pro fratre et condiscipulo amplectar. Caeterum quia ex literis tuis intelligo non ita multum

esse tempus ex quo tibi Dominus evangelii sui luce affulsit, non possum amorem erga te meum melius testari quam si ad quotidianos exercitus te horter atque incitem. Nam pietatis scintillas, quae in multis emicuerant, videmus statim evanescere quia flammam ipsi accendere negligunt: quin potius aut vanis mundi illecebris aut pravis carnis cupiditatibus exiguum illud lucis quod a spiritu Dei accensum est suffocant. Ne quid tibi simile contingat, primum danda est opera ut te serio in obsequium Domini addicas, deinde magis ac magis in sacra eius doctrina te confirmes. Sed quia hoc longius est argumentum quam ut literis comprehendi queat, satius est te ex fonte ipso haurire. Habes enim verbum Domini, in cuius lectione si te exerceas, ad summam vitae regendae nihil tibi deerit. Habes fideles commentarios qui tibi optimo erunt adiumento. Utinam aliquando ferret tua commoditas ut nos quoque inviseres. Nam profectionis, ut spero, te nunquam poeniteret. Ubicunque agas, vide ut Dominum sequaris neque a recto scopo unquam deflectas. Vale, eximie frater et mihi carissime. 9 Calend. Augusti 1550.

Ioannes Calvinus tuus.

1390.

MINISTRI LAUSANNENSES TURICENSIBUS.

Denuo causam colloquiorum suorum agunt apud eos et apud Bernenses eandem acturos se profitentur.

(Exemplar authenticum cum subscriptionibus autographis asservatur in Archivis Turic. Plut. VI. Vol. 105 olim Scrin. B. Epp. Vol. I. fol. 451. — Simleri Vol. 73.)

Clarissimis viris ac praestantissimis Iesu Christi servis Tigurinae ecclesiae pastoribus et professoribus fratribus et symmystis plurimum colendis [1])

Tiguri.

Gratia vobis et pax a Deo patre et Domino nostro Iesu Christo.

Quod paulo serius literas nostras [2]) accepistis, fratres in Domino carissimi, id non tam voluntate nostra est factum quam ipsa necessitate: quod, quum classis nostra in tria colloquia distincta sit quae nonnisi statis diebus conveniunt, fieri non potest quin mittendis ultro citroque literis, ut singulorum fratrum suffragiis probentur, longius temporis intervallum saepe impendatur quam velimus. Nos vero magnam vobis gratiam habemus quod multis seriisque negotiis occupati nobis tamen dignati estis aliquid temporis impertire. Etsi enim minime id quidem omne obtinuimus quod sperabamus, fore scilicet ut causa nostra cognita vel aequius aliquid a fratribus nostris impetraremus, vel certe ad ea nobis sigillatim responderetur quae nos ad hanc rem suscipiendam coegissent, mirifice tamen grata et iucunda fuit nobis illa ad concordiam et pacem exhortatio quam utrisque nostrum adhibendam esse iudicastis. Et nos libenter sequi et amplecti studebimus. Nec profecto nobis sumus conscii quidquam hac in re commissum, quo abalienari a nobis fratres nostri debuerint. Causam enim egimus non nostram sed ecclesiae, atque, nisi fallimur, tam moderate ut facile intelligere possent qualem conscientiam ad hanc rem afferremus. Sunt, fatemur, acerba quaedam literis inspersa: quae tamen ita nobis videmur temperasse ut non satis sciamus de quo conqueri merito debeant.

De ipsa vero causa quaedam rursus ad vos putavimus scribi oportere, non ut otio vestro abutamur, quod esse perexiguum et vos significatis et nos iam ante sciebamus: verum ut ad quaedam vobis respondeamus, quae vel nostrae, ut arbitramur, obscuritatis vitio non satis ipsi videmini percepisse, vel nos etiam, ut nimium tardi sumus, non satis ex literis vestris intelligere potuimus.

Primum enim aliud est non impedisse senatusconsultum quam id ipsum suasisse. Suasisse vero fratres nostros, atque etiam acerbam illam interminationem adiecisse, non tantum dicimus, sed mandati ipsius lectione convinci potest. Itaque res ista nec tam parva fuit ut non debuerimus commoveri, nec adeo negligenda ut ad eam nihil responderetur.

Sed haec age perpetua oblivione sepeliamus. Quod autem ex divi Pauli sententia putatis colloquia esse nobis restituta, illud ipsum est de quo vellemus inter nos ut conveniret. Nec enim melius quisquam iudex huius causae esse vel potest vel debet spiritu illo Domini per apostolos loquentis. Id est de quo laboramus ut quod nobis Paulus concedit non eripiatur. Duo, inquit, aut tres loquantur, caeteri diiudicent. Id vero si ita interpretamini quasi caeteri tacere iubeantur, quorsum addit Paulus: Quod si revelatum fuerit alii assidenti prior taceat, potestis enim sigillatim omnes prophetare? Quid igitur? Nimirum quia prophetiae dono Corinthii abutebantur, et saepe idcirco accidebat ut, quum ecclesia convenerat, quisque pro suo arbitrio se venditaret, et scriptum locum aliquem ita ut occurrerat interpretaretur: quod in synagoga quoque consuetum fuisse ex cap. Lucae quarto coniici potest, ubi refertur, Christo in synagogam

---

1390. 1) *Inscriptio manum Vireti prodit.*
2) *N.* 1315 *conf.* 1363.

ingresso, quamvis nec scriba esset nec Pharisaeus, nec ab hominibus inter legis doctores cooptatus, librum Esaiae porrectum fuisse, ex quo ipse postea eum locum qui aperto libro occurrerat fuit interpretatus. Item Actorum 13. ubi commemorantur Paulus et Barnabas in synagogam ingressi. Post lectionem autem legis et prophetarum, inquit Lucas mandata dederunt principes synagogae ad eos dicentes: Viri fratres, si est vobis in animo sermone exhortari populum, dicite. Itaque quum hanc consuetudinem in ecclesia Corinthiensi multi ad inanem ostentationem transtulissent, magnaque inde confusio oriretur, sublata pene omni conveniendi utilitate, iubet Paulus duos aut tres tantum loqui, id est, certum locum aliquem aut quaestionem tractare in conventu, caeteros autem ad normam scripturae exigere, si quae ab iis minus recte dicta sint vel praetermissa. Qua in re, ne qua rursus turba oriretur, eam regulam adhibuit qua caveretur ecclesiae et sua spiritui libertas, ut aequum erat, relinqueretur. Voluit enim in ea diiudicatione eos demum loqui quibus aliquid esset revelatum, hoc est, quibus spiritus Domini aliquid suggereret quod ad rem de qua ageretur pertineret. Voluit denique spiritum prophetiae non includi in certis hominibus, sed liberum esse cuique suo ordine prophetare, in diiudicando quod a duobus aut tribus dictum esset: dummodo ad aedificationem et caritatem ecclesiae id demum proferret quod spiritus Domini suaderet. Hanc esse germanam Pauli sententiam arbitramur, et tu quoque (nisi non intelligimus), doctissime *Bullingere*, in tuis ad Pauli epistolas commentariis sentire videris. Videamus nunc, quaeso, eane consuetudo Pauli sententiae respondeat quae nuper fuit instituta, an potius ea quae abrogata fuit. Permittit apostolus duos aut tres loqui. Nobis unus satis est, et fuit semper. Caeteri diiudicare, et ii quibus est aliquid revelatum id ipsum iubentur in medium proferre. Quid ea re est aequius? Licebat itaque nobis olim id omne, et si quis vel ineptum quidpiam, vel falsum, vel inutile attulisset, admonebatur: liberum tamen erat cuique dicere quod ad ecclesiae aedificationem et eam rem de qua controversia erat facere videretur. Nunc autem, postquam unus est loquutus, duo loquuntur linguis: quod munus, praeterquam quod a prophetia distinctum est, in solo nostro colloquio obtinere potest, in quo constituti sunt qui linguas doceant. Dimittitur deinde omnis multitudo ministris exceptis, qui de moribus et doctrina eius qui eo die est loquutus inter se colloquuntur. Ubi haec libertas, quae a D. Paulo non sublata sed tantum est coercita, ut ad caritatem omnia referrentur? Ubi illa *συζήτησις* cuius causa convenire solet ecclesia? Quid si enim cuipiam ex turba dimissa Dominus aliquid revelarat? Quid si infirmus quispiam vel ambiguum vel falsum etiam aliquid audiit, de quo si licuisset cogitarat interrogare? Quid si multi sunt quibus non sit satisfactum? Atque ut quae haec sit multitudo intelligatis, multos in turba latere hic scimus, re ipsa scilicet experti, qui, sive eruditionem sive pietatem spectes, docere non minus possint quam doceri, et nonnullis quoque ministris sint anteponendi. At omnes etiam occasiones contentionis iubemur vitare. Merito certe, sed non idcirco tamen veluti alligandus Domini spiritus. Quid si enim hi ipsi, quibus nunc conceditur loqui, vel indocti fuerint vel impii, an tunc etiam tacendum videbitur?

Videtis, opinor, ista quorsum tendant: nimirum id nos cupere nobis restitui quod spiritus Domini concessit, ut sua cuique in Domino prophetandi libertas relinquatur, dummodo decenter et ordine fiant omnia, nec quidquid vel absurdum, vel inutile, vel impium, vel minus appositum dicatur in iis diiudicandis quae ab eo fuerint dicta qui fuerit loquutus, id est, locum aliquem scripturae ipse inprimis explicaverit et caeteris proposuerit diiudicandum. Hoc ius est quod nobis magno quum ecclesiae tum nostro incommodo ereptum esse conquerimur et reddi tandem postulamus. Antea nullae in nostris ecclesiis exortae sunt contentiones: eo segregato qui earum autor fuit[3]) nullas esse orituras etsi nullo modo possumus polliceri, at certe operam omnem dabimus ne nasci possint, et si invitis nobis emerserint ut statim exstinguantur. Iudiciorum autem dissensionem impedire melius non possumus, quam si cuique potestas fiat modeste et in loco sententiam animi sui declarandi, ut quemadmodum ignis ex silicis attritu, sic etiam ex rationum comparatione, citra omnem tamen contentionem, veritas elucescat.

Quae quum ita se habeant petimus a vobis etiam atque etiam ne, si causam nostram fratribus nostris Bernensibus iterum studuerimus probare, vel pertinacia vel contemptu autoritatis vestrae (quae summa semper erit apud nos, ut esse debet) id a nobis fieri existimetis. Testis est Deus nihil hic a nobis cogitari, nihil quaeri, quod ad ipsius gloriae et dignitatis amplificationem non videatur magnopere pertinere. Qua quidem de re non scriptis, ut adhuc fecimus, sed coram missis ad fratres nostros legatis agere decrevimus, idque tam comiter tamque moderate ut ne vocem quidem ullam ipsos speremus audituros qua merito offendi possint. Illud enim conamur vel ut causa nostra probetur, vel ut ad ea nobis respondeatur, quae nos in hanc disceptationem non temere certo coniecerunt, in qua diiudicanda nullius boni doctique autoritatem, nedum singulare illud vestrum iudicium cum summa

3) *Zebedaeo puta.*

pietate coniunctum, sumus repudiaturi. Deus pacis et concordiae nos omnes coniungat et corroboret in Domino Iesu, ut adversus certos et imminentes Satanae insultus fortes et invicti nobile illud certamen certemus cui amplissimum immortalitatis praemium Dominus ab aeterno praeparavit. Valete.

Decretae sunt hae literae in totius Lausannensis dioecesecos synodo Viviaci habita xiv° Cal. Iulii, scriptae vero Lausannae et a singulis colloquiis rursus approbatae tertio Calend. Augusti 1550.

Ioannes a Thornaco iuratus colloquii Aquileiae.
Franciscus Sampaulinus iuratus colloquii Viviacensis.
Augustinus Marloratus iuratus colloquii Lausannensis.
Petrus Viretus decanus classis Lausannensis, totius classis nomine.

1391.

HOTOMANUS CALVINO.

Commendat Capellum Parisiensem ex Italia redeuntem et fide evangelica imbuendum.

(Ex autographo Cod. Goth. 405, fol. 127.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ministro ecclesiae Genevensis primario

Genevae.

Capellum Parisiensem, *Capelli* regis advocati filium [1]) qui nunc ex Italia revertit, vehementer rogavi ut aliquot dies Genevae moraretur teque inviseret. Id ille tum sua sponte tum meis precibus adductus facturum se recepit. Quare peto abs te, pro tua in me benevolentia, ut illi unius horulae tempus impertias, et eum audire ne recuses disputantem de rebus iis quarum facile esse puto certum, et minime dubiam disceptationem ab eo referri ex hac collatione et communicatione quam tecum habiturum spero. Videtur de sacramento et sanctorum invocatione nonnihil addubitare: sed fratrem habet amicissimum meum Patavii, cuius utinam et religionem et pietatem amplecteretur. Est uterque sane doctus ut fert illorum aetas, et graece et latine, sed hic minus diligenter ad hoc tempus exquisisse videtur ea quae antiquissima haberi oportebat. Eum tibi ergo, mi domine, etiam atque etiam commendo. Nec puto quidquam esse facilius quam eum doceri. Velim D. *Badvellum* [2]) aut praepositum, [3]) quos hic exspectamus, non dedignari hunc suo colloquio. Vale, mi domine. Ex hospitio D. *Vergerii*, qui mihi mandavit ut salutem tibi ascriberem. [4])

Deditissimus tibi
Franciscus Hotomanus.

Ex tuis literis existimo te nondum de reditu nostro audivisse. Atqui iam pridem redii, nec moram interponi ullam fratres passi sunt quin mihi onus imponerent *Bezae* lectiones, quod mihi durius est quam illae agrestes deambulationes. [5])

1391. 1) *Iacobus Cappel, advocatus Regis in parlamento Parisiensi, a.* 1541 *fato functus, inter alios liberos tres reliquit filios. Quorum natu maximus hoc anno* 1550 *vigesimum primum vitae annum agebat. Is fuit Iacobus sieur du Tilloy (cui tamen Haagius etiam Ioannis nomen tribuit) qui peragrata Italia et Germania parlamento Rhedonensi a consiliis fuit et filium genuit Iacobum scriptis exegeticis clarum. Fratres eius fuere Ludovicus de Moriambert et Angelus du Luat. Quisnam horum fratrum hic dicatur, maior Iacobus an minor Ludovicus, difficilius est dictu. Alter enim eorum, ut ex hac epistola patet, eo tempore nondum ad sacra evangelica transierat.*

1392.

VIRETUS CALVINO.

Nonnullis de rebus exteris praemissis naeniam canit de statu rerum plus quam ambiguo, qui nil nisi luctas et taedia gignit et praesagit. Nebulonem quendam nuper Lausannensibus commendatum severe notat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111 a, fol. 185.)

Eximio Iesu Christi servo Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae amantissimo

Genevae.

S. Quum nuper tuae literae sunt allatae aberam domo. Peregrinabar enim apud Viviacenses

2) *Hunc ergo iam Genevae fuisse ex hoc loco cave tibi persuadeas. Haagius eum anno demum* 1553 *Nemausum reliquisse perhibet. Sed cf. N.* 1412.

3) *Quid hoc sibi velit, nescimus. Vide an legendum sit:* Praepositum *ita ut aliquis gallice* Prévost *dictus hic designetur.*

4) *Scripta ergo est haec ep. ante eius discessum.*

5) *Bezam a Lausanna absentem fuisse m. Augusto, Vergerium abiisse m. Iulio vergente, aliunde scimus. Sic facile definitur tempus scriptae huius epistolae.*

et Aquileenses [1]) qui te omnes amantissime salutant. Quum domum sum reversus praeterierat tempus quod mihi praefixeras. [2]) Differetur ergo mea apud vos profectio in tempus aliud commodius. Invidiam illam, a qua scribis mihi posthac minus metuendum, desii pridem metuere. Mitto ad te literas *Farelli*, [3]) ex quibus cognosces de statu Monbelgardensium [4]), et quid a nobis ipse in eorum subsidium requirere videatur. Dominus illis adsit propitius. *Farelli* literis adiunxi etiam exemplar tuarum literarum ad *Protectorem* Anglum quas ad me remisit, et literas *Garnerii*. [5]) Ubi has perlegeris remitte. Valde nobis omnibus placuerunt tuae ad *Protectorem* literae. Dominus te diu servet incolumem, ut diu possis istam evangelii lucem quam in te accendit quam longissime spargere.

Beza et *Merlinus* proximo die dominico hinc Bernam sunt profecturi, ad eam obeundam legationem quae ipsis est a classe commissa. Dominus bene vertat. Multa habent in mandatis. [6]) De capitibus synodalibus arbitror te audivisse quid hactenus factum sit. Ad quosdam praefectos scriptum est ut de iis cum ministris transigerent. Ad alios ne verbum quidem. Eodem sunt in statu haec omnia quo prius. Res nostrae non omnino, quod ministros et professores spectat, malo sunt loco, nec scholasticae: nisi quod semper nobis luctandum est cum perversis quorundam scholasticorum ingeniis, quibus iam facile modus impositus fuisset, si apud eos aliqua haberetur severioris disciplinae ratio apud quos summa esse debuit. Res nostrae urbanae parum feliciter procedunt. [7]) Parum convenit civibus cum praefecto et eius ministris. Ut nobis cum utrisque conveniat, nihil scribo.

Difficile est nobis omnino Dei et hominum simul amicitiam retinere. Ego in maximis versor angustiis. Fatisco sub onere, atque eo magis quo minus affulget spei melioris. Nescio quomodo diuturna mea patientia irritari incipit, nimis diu tentata et laesa. Unum solum est quod me reficit, pax domestica et collegarum et professorum mutuus amor et consensus, et scholae profectus. Si haec deessent, aut non viverem, aut mihi alio esset emigrandum. Maximo enim taedio afficior istorum morum et ingeniorum quibuscum mihi perpetuo frustra confligendum est.

Heri hinc egressus est quidam a *Fabro* collega vestro *Valerio* collegae commendatus. Is non ita pridem huc se receperat quum ab urbe abessem. Quo fit ut mihi totus, de homine atque etiam nomine, ignotus sit. Abiit festinantissime quia sibi, nisi fallor, de vita metuebat. Si verum est quod tentasse dicitur, indignus est qui vivat, dignior quem humus absorbeat. Suspicionem criminis valde augent accusatoris probitas et fides et hominis tam repentina et attonita fuga. Huius admoneto *Fabrum*, ut sibi ab huiusmodi portentis caveat: vosque omnes advigilate ne tetrum aliquem sui foetorem vobis relinquat.

Uxor et filiolae ac tota familia recte valent, tibique salutem multam precantur. Filiola tua est admodum miti suavi et quieto ingenio et forma amabili. Quum ad nos veneris eius te aspectus exhilarabit. Saluta amicos. Nostri te omnes salutant officiosissime. Vale. Lausannae Calendis Augusti 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1392. 1) *Ministri ibi erant Io. de Tournay olim Paterniacensis et Franc. Sampaulinus.*
2) *N.* 1387.
3) *deperditas.*
4) *ministrorum ob Interim dimissorum et nunc penuria laborantium. Cf. N.* 1395.
5) *Qui fortasse scripserat de consilio suo Argentinae relinquendae propter Interim. cf. N.* 1362.
6) *Cf. quae Hallerus ad Bullingerum scribit infra N.* 1400. *Caeterum totum hoc comma usque ad verba:* nihil scribo, *in codice uncis inclusum est, scil. ab eo qui reliqua tantum edi posse putabat.*
7) *Teste Ruchatio* (*V.* 413) *Viretus et Valerius iam anno* 1549 *exeunte severiorem disciplinam exerceri a senatu Lausannensi voluerant, eumque in finem scripto tradito de contemptu verbi et ministrorum, de imminuta auditorum frequentia, papistica gliscente superstitione, corruptione morum, et neglecta consistorii autoritate questi erant. Senatus quidem promulgatis edictis iis satisfecit, sed Bernenses ea abrogari iusserunt* (3. *Iunii*) *utpote ipsorum autoritate non sancita. Etiam bona pauperum melius administrari volebat Viretus.*

1393.

VIRETUS GUALTHERO.

Praemissa homilia de Antichristi moliminibus et restituenda disciplina, commendat ei librum quendam suum de quo eius iudicium legere cupit.

(Ex autographo Codicis bibl. civicae Turic. MSS. F. 41 olim VI. fol. 67. — Simler. Vol. 73.)

Ornatissimo viro D. Rodulpho Gualthero Tigurinae ecclesiae pastori fratri et symmystae amantissimo.

Tiguri.

S. Laetissima fuerunt quae de Britannia nunciasti. Acceperat *Calvinus* literas quae cum tuis consentiebant de prospero in ea insula evangelii successu. Non est profecto hoc vulgare Dei munus in tanta hostium ecclesiae potentia et multitudine fieri tantam ecclesiae accessionem. Haec est manus Domini quae potentissimos et periculosissimos evertit.

coniurationes.[1]) Quid adversus nos Antichristus moliatur non est obscurum. Armemus nos igitur adversus tantam potentiam Christi brachio, fide, poenitentia, precibus, pietate, vitae sanctimonia, animorum consensione, puritate doctrinae, zelo et constantia. Memores simus fratrum afflictorum, perinde ac si res nostra ageretur, ut vere agitur. Studeamus restituendae Christi disciplinae,[2]) ne pro christianismo invehatur atheismus, ut fere fit a multis, et ne christiana libertas in effraenatam cuiusque licentiam abripiatur. Pauci sunt qui lubentes cervices Christi iugo submittant. Quare metuendum est, ne Antichristi iugum inviti subire cogantur. Magna est ubique caecitas. Non expendit occidentalis ecclesia quid orientali acciderit. Nihil movetur Samaria Sodomae et Gomorrhae quod in prospectu habet excidio. Nihilo fit prudentior Iuda sororis Samariae plagis nec emendatior. Nemo est qui Iosephi afficiatur contritione. Magna ubique supinitas, magnus torpor et totalis veternus, in quo excitando nos oportet esse vigilantissimos et acerrimos.

De meo libro nolim te admodum esse sollicitum.[3]) Quanquam enim tuum iudicium magni facio, nolim tamen in meam gratiam te avocari a melioribus studiis. Scio enim te non otiari. Quam ob rem nolim te meis legendis ineptiis occupari. Misi ad te librum illum quia intellexi te aliquando delectari gallica lectione et exercitatione. Tu igitur ita mihi hanc operam praestes ut nihil de seriis tuis studiis decedat. Si aliquando ea de re ad me scripseris gratissimum facies: sin minus, nulla tamen ex parte nostra debilitabitur vetus amicitia. Nolim enim plus ab amicis hac in re quam a me exigi. Salutant te nostri omnes officiosissime. Scribimus ad vos communes literas, quas vobis spero non futuras molestas. Vale et me, ut facis, ama. Lausannae 4 Non. Augusti 1550.

Tuus Petrus Viretus.

Saluta D. *Bullingerum* et reliquos collegas et symmystas meo nomine.

1393. 1) *sic.*

2) *In quo studio deinceps totus erat, usque ad χαταστροφήν.*

3) *Ambigi potest de quonam libro hic agat. Illum qui inscribitur:* Du ministere *etc. et quem Gualtherus latine edituxum se receperat vix autor ineptias dixisset. Ergo potius cogitandum videtur de libello quem Schmidtius a.* 1550 *editum perhibet sub titulo:* Petit traité de la différence des superstitions et idolatries des payens anciens et des Chrestiens papistes. *Qui fortassis ille ipse est qui a.* 1551 *prodiit:* De la source et de la difference et convenance de la vieille et nouvelle idolatrie *etc.*

1394.

FARELLUS CALVINO.

Praeter multa alia obiter delibata praesertim de Calvini laboribus literariis agit, quibus omnia fausta precatur et quibuscum sua ipsius ita componit ut haec mirum quantum inferiora, adeoque nullius momenti esse affirmet.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 93, coll. cum Cod. 116, fol. 17; Epp. Bern. Tom. VI. p. 98 et Simleri Vol. 73.)

Servo Domini Iesu Christi admodum eximio Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis instaurandae pietati prorsus addicto et potenter incumbenti et fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Primus consul,[1]) etsi me bis adierit, tamen merito esset obiurgandus. Nam non nisi pransus ad me venit, et mox abiit, et rursus statim redit cum fratre. Unde factum est ut tuis respondere non potuerim, et nunc non satis otii, nec satis commodus nuncius. Ut a calce tamen tuarum incipiam, *Christophorum* conveni. Rogo in quo fefelleri? Respondit se ignorare. Veritus ne idem ex *Mirabili* audirem, non feci illi verbum.[2]) Proinde si vis me aliquid amplius, fac intelligam. Quae ferebantur de bello iam parato[3]), quantum intelligo, non prorsus sunt frustra iactata: tamen ego nihil minus unquam dubitavi aut credidi verum. Gaudeo itaque multo magis de felici successu quam timueram aliquid sinistri. Sane tandem deberent sapere et intelligere quam proclive ipsis sit omnia in se vertere: quum nihil non habeant inimicum aut parum amicum, se suaque Deo committere debent et in sancto timore versari. Sed vereor quod omnibus hodie paene contigit eis adsit: securi[4]) non curant quidquid aliis contigerit et sibi ipsis immineat. Tam negligentes sunt omnes ad placandum numen, ut vix de eo cogitent, et interea Dominus fovet suam ecclesiam. Spero et quod timetur ob vectigal[5]) per Dominum componendum.

Christus faxit ut sancta Geneseos enarratione novae subinde, non tantum istic sed passim quoque, creentur creaturae, fiatque omnium rerum nova et lucida facies. Et tuus Iesaias efficiat ut caro omnis

---

1394. 1) *An Genevensis? Qui eo anno fuit Amblardus Corne, tertia vice syndicus.*

2) *Quid haec sibi velint patebit ex N.* 1398. *Ipse Farellus Calvini verba non intellexisse videtur.*

3) *Apographa praebent:* pacato. *Loquitur de dissidio Genevensium et Regis, in causa Didaci.*

4) sicuti *apogr.*

5) *N.* 1388 *not.* 10.

gloriam Domini videat inundetque* cognitio Domini, floreat quoque Hierusalem,* [6]) reges et quidquid est incumbat filiis in hanc advehendis, et misera angustata et deserta iam omnia habeat, et pereat quidquid huic est contrarium. Faxit Christus ut quanto insignior est et minus pro dignitate illustratus, tanto tu id praestes magis, ut Dominus tibi in aliis adstitit. Nisi hoc tibi Deus dedisset ut breviter dilucide et quantum aperte tractares quae aggrederis, quid posses mare illud offendiculorum exhaurire? Habuerunt omnia saecula sua, sed nulla possunt nostris componi. Sane opus est valde necessarium ut caveant sibi omnes. Non mirum, si tam accurate non imbecilliores modo, ne se caecos caecis committant, admonet Christus, verum etiam eximios apostolos. Sed quid est quod turbet magis et offendat, quam offendiculum? Et omnia habes paene circa te tam plena offendiculis, quibus lupi tam graves terram replent, ut mirum sit eam non fatiscere.

Audio *Morandum* praefecti sui vices aliquando gerere, et alios item: esse quoque qui per tres septimanas nullas habuerint conciones. An *Zebedaeus* sit, non tam vicinus sum ut possim certo statuere. Dominum precor ut offendicula tollat, ut ecclesiam suam purget. Nisi tam esset necessarium hoc opus, cuperem potius te incumbere in sacris commentariis, et, ut feliciter es orsus in gentium apostolo, quo nihil orbi potest offerri necessarius neque commodius aliquid ut revocentur omnia ad puritatem et in ea conserventur, ita gratulor te perfecisse, ut tandem totus in lucem veniat. Valde allubescit quod de Catholicis promittis. Adaugeat tibi Dominus dona, vires, successum et omnia in sui nominis gloriam et omnium aedificationem.

Quantum gaudeo de *Vergerio* id abs te audire quod scribis, tantum opto illi successum. *Viretus* ne gry quidem de eo scripsit: sed variis occupationibus eius adscribo et praeterea sunt qui acceptas non reddunt literas. Scripsit aliquando multa de Rege praedicari, quae si vera sunt non erit adeo infensus suis titulis quibus gloriatur, quum in contrarium totus visus sit ferri.

Quod recepisti te facturum ad aliquot menses, utinam hebdamodae essent, vel potius dies. Sed quid? Fac ut praestes. [7]) *Casparem* non vidi a literis tuis acceptis, nec satis novi quid velit. [8]) *Tossanus* iussit ut te salutarem suo nomine. Ecclesia [9]) est in gravi discrimine, si unquam antea. *Ferdinandus* graviter urget ob ducatum Wirtembergensem. [10]) *Caesar* comitatum [11]) habere vult. Utrique Dominus det piam mentem, aut digna fatis, [12]) idque ocyus. Nostris an secunda aspirabit aura, non satis possum iudicare. Res putabatur absoluta, sed callidiores efficiunt ut vix inchoatum videatur aliquid cuius finis credebatur. Nos nostra, hoc est, verbum curamus. Tractent fabrilia fabri. Quibus si bene cesserit non erit ingratum: sin minus, ferendum erit.

Sed potest aliquid esse me ineptius, qui non video te petentem ut legere sustineam quae ad *Paceum* et rursus quae ad *Protectorem* scripsisti, [13]) quum nihil potuerim gratius neque avidius legere, qui haec tibi obtrudo [14]) quasi aliud non habeas quam ut meis pungaris carduis. Sed quid facias mecum nisi ut boni consulas, tam ineptum et intempestivum [15]) amicum ferens, quum sibi de te omnia polliceatur nec putet aliquid amori derogaturum. Et ut magis rideas non solum te his obtundentem, audi: ad missam me accingo, [16]) et si mihi esset pastorale, sperarem me celebraturum solemnius quam ex missali. Vellem enim sacram, ut est digna, tractare. Utinam eo in loco ab omnibus habeatur quo merita est. De portento ad te paucis scripsi. Fertur aliud multo gratius de pluto tritico e coelo. Pontificii narrabant, ob restitutam missam datum a Deo approbatore missarum. Nunc audio pressis urbibus quas impius tyrannus [17]) ob evangelium fame volebat perdere. Vana omnia putabam, sed nunc non tam iudico impossibile, etsi nondum statuo certum esse. Si ita res habet, mirum neutrum tyrannum posse sapere, hunc tali beneficio non permoveri, et alterum ob manum Domini qua suos ictos sensit milites. Sed oportet eos vivos in stagnum ignis cum bestia deturbari.

Vale bene et perge quam optime. Dominus Iesus felicia et fausta tibi reddat omnia in evangelii illustrationem, ut optas, et tecum qui te in Domino amant. Saluta omnes, ut omnes salvos opto, collegas, *Normandium*, *Vernonium*. [18]) Collega te salutat. Neocomi 3. Augusti 1550.

Farellus tuus totus.

6) *Vocabula asteriscis notata quum minus distincte scripta sint, apographa ea omittunt et Simlerus textum ita constituit*: videat quo cognitio Dei floreat quoque. *Centones sunt Iesaiani.*

7) *Scribendo scil. quod promisisti.*

8) *Vide N.* 1377.

9) *Monsbelgardensis.*

10) *Ducem Ulricum ob fidem bello Smalcaldico violatam ditione sua eiici volebat ex sententia camerae. Quae causa demum a.* 1552 *diremta est, ter centies mille florenis a duce solutis.*

11) *Monsbelgardensem, quod idem de Ferdinando asserit Pfister, (Hz. Christoph, p.* 191).

12) *sic. autogr. Caeteri:* factis.

13) *N.* 1347 *et* 1380.

14) obtundo *apogr.*

15) importunum *ibid.*

16) *N.* 1398 *not* 5.

17) ipsius tyrannis *apogr.*

18) *Cf. N.* 1342 *not.* 17. 1398.

1395.

VIRETUS FARELLO.

De legatione Bezae Bernensi et stipe in subsidium ministrorum Monbelgardensium colligenda.

(Ex autographo Bibliothecae pastorum Neocomensium, Epp. Vireti fasc. IV. N. 10.)

Insigni Christi servo Guilielmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo.

Neocomi.

— — — — — — — — — — — — — — — —

De rebus nostris nescio plane quid scribam. Nostri cives habent Bernae legationem pro controversia quam habent cum praefecto. Dominus bene vertat. Nostri hodie urbe egressi sunt, *Beza* et *Merlinus*.[1]) Dominus det felicem successum. Admonui *Calvinum* eorum quae nuper ad me scripsisti. Audio res Monbelgardensium in spe esse meliore. De colligenda stipe in eorum subsidium probo consilium. Attigi ea de re nonnihil in nostro colloquio. Quid *Calvinus* sentiat exspecto. Ipse sibi non deerit et fratribus. Minus invidiosum foret si vestrum aliquis id curaret apud nos et reliquas classes, quam si ego in nostra classis[2]) et nostra classis ad hanc rem exteras sollicitet. Scis qua laboramus apud multos invidia. De nostra classe bene spero, saltem de bona parte fratrum, si recte res instituatur. Ubi nostri legati redierint faciam te de eventu legationis certiorem. — — — — — Lausannae 3 nonas Aug. 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1395. 1) *De his et sequentibus cf. N.* 1392.
2) *sic.*

1396.

HALLERUS CALVINO.

Quo modo Vergerius Bernae exceptus fuerit et quid ei concessum sit exponit. Tum ecclesiae et reipublicae statum non ex omni parte laetum paucis delineat.

(Ex autographo Cod. Genev. 114, fol. 31.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae vigilantissimo pastori domino et amico suo venerando.

S. Quamvis literae tuae, praestantissime D. *Calvine*, quibus D. *Vergerium* nobis commendabas,[1]) post actam iam illius causam ad me allatae sint non caruerunt tamen sua utilitate. Fuerunt enim mihi gratissimae quum tuo tum illius nomine. Tuo, quod non desinis ita frequentibus literis bonum tuae erga nos mentis declarare affectum: pro qua re gratias tibi, sicut aequum est, habemus et agimus maximas. Dominus eam benevolentiam non inter nos modo sed et ecclesias atque respublicas nostras conciliet, conservet et foveat sacro suo afflatu. Illius vero, quod tu nostro de illo iudicio tuum etiam adiecisti calculum: ita enim non propter illum modo sed et propter te, cui ut audimus Wormatiae[2]) notus fuit superioribus annis, eum complectimur libentius. Factum est etiam ut tanto maior illi adhibeatur iam fides, quum non modo nostris commendationibus sed et tuis testimoniis sit suffultus. Etenim non deerant hic quidam (ut eiusmodi crasso et importuno hominum genere abundamus) qui initio parum fidei ei haberent. Suspicabantur subesse nescio quid fuci et proditionis: illum forte a pontifice sic instructum nostra explorare velle consilia et secreta. Quibus tamen, licet non exiguae autoritatis viri ita sentirent, restitimus et causam illius egimus[3]) ipsi publice sic ut benevolum et commodum satis a senatu reportaverit responsum, quo et optime contentus fuit. Quum etiam sentirem dubium hoc inesse quorundam (ut dixi) pectoribus, mox epistolam illius de electione novi pontificis[4]) in linguam nostram verti[5]) et imprimendam curavi, sicque omne dubium de illo sustuli. Habet autem hoc a Dominis promissum ut, sive Lausannae sive alibi sub Dominorum nostrorum imperio illi manere placeat, deligat sibi locum quem velit: Dominos ipsi non defuturos quoad se reformationi nostrae conformem praestiterit.[6])

Haec de illo. Quod vero in prioribus tuis petis, a me cognoscere ecclesiae nostrae statum, quid obsecro scribam? Scio acri tuo te iudicio melius perspicere quomodo ecclesiae nostrae per urbem et agrum habeant quam ego describere possim. Deinde requireret haec materia non familiares modo literas sed totum quasi opus et volumen. Schisma, quod aliquando fuit, utcunque cessavit. Ministri sunt

1396. 1) *quae non exstant: scribi debuerunt vergente Iunio quum Vergerius postridie Cal. Iulias Bernam venerit.* (*N.* 1387 *not.* 6.)
2) *Ibi Vergerius aderat a.* 1540 *ex aula Francisci veniens* (*Sleid.* II. 203, *Sixt*, *Verg.* 73, *Meyer*, *Locarno* I. 39.)
3) *Ipsum Hallerum pro Vergerio apud senatum intercessisse ostendit Meyerus p.* 55 *ex epistola quadam illius ad Bullingerum d.* 26. *Iulii scripta.*
4) Al S. Re d'Inghilterra Eduardo VI. della creazione del nuovo Papa Iulio III. e cio che di lui sperare si possa. 1550.
5) *Eodem anno germanice.*
6) *Vergerius agro Bernensi mox relicto iam ante Idus Aug. Turici fuit totum mensem Pellicani hospitio usus.*

concordes admodum: si quid in quoquam desideratur, alibi hoc quam in publico suggestu corripitur. Studia literarum utcunque florent. *Musculus* certe doctissime legit quotidie, una tecum in libro Geneseos procedendo. Audio enim vos illum librum eodem orsos esse tempore. Res publica agit suo more. Ministri per agrum multi frigent et foeda interdum ponunt scandala. Praefecti passim quaerunt sua compendia. Populus epicureismum addiscit. Scelera multa aut non aut leviter puniuntur. Interea non desunt ex omnibus ordinibus boni viri, propter quos adhuc non desino bene sperare. Nos interea amara taedia et odia devoramus, multisque curis et laboribus interdum tantum non deficimus. Quomodo his omnibus succurri malis possit, maturo et cordato opus esset consilio: quale ut nobis suppedites etiam atque etiam rogo. Vale, colendissime et venerande frater, et ora pro nobis Dominum sedulo. Faciamus idem pro te, ut Dominus tuis sanctis et fidelibus plantationibus et rigationibus uberrimum subministret incrementum. Amen. Salutat te D. *Musculus*. Tu meo nomine D. *Gallasium* et reliquos fratres plurimum salutabis. Bernae 8. Augusti 1550.

Tuus ex animo
Ioann. Hallerus.

1397.

BULLINGERUS CURIONI.

Pertinet ad controversiam de ubiquitate corporis Christi eiusque praesentia in coena.

(Ex autographo Cod. Basil. G. I, 66 fol. 68. — Simler. Vol. 73.)

Clarissimo viro D. Coelio Secundo Curioni fratri suo et amico singulari

Basel.

S. D. Serius ad tuas literas [1]) respondeo, carissime et colendissime mi *Coeli*. Nam propter negotia mea non potui citius. Neque vero existimabam responsione vel operosa vel celeri fore opus. Nec dubito quin breve hoc scriptum meum tibi non ingratum sit futurum.

Placet nobis quod diserte fateris coelum non tantum conditionis sed et loci esse nomen, ideoque Christum Dominum nostrum ascendisse non tantum dignitatis gradu sed etiam locorum intervallo. Nego Christum ita ascendisse ut descendit. Cupio scripta nostra sic temperari ut etiam simpliciores intelligant obscuriora. Tu vero obiicis: quid diceres sic magistrum sequutus dixissem: Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo. Ego nihil, mi *Coeli*, dixissem aliud quam quod beatus Augustinus iam dudum dixit (de Doctrina christiana): Scripturas sese exponendas proponere: expositores autem earum ita loqui debere, non ut simili autoritate se exponendos proponant, sed ut nullo negotio vel a simplicissimis intelligantur.

Recte refers ad fidem et ipsam [2]) Christi praesentiam: recte dicis fidem non alibi divinitatem, alibi humanitatem, sed Christum deum et hominem uno contineri [3]) intuitu. Neque nos aliter sentimus sed interim proprietates naturarum seorsim confitemur manere, nimirum inconfusas. Christus enim ubique est secundum divinitatem: secundum humanitatem non est ubique. Nam in coelo est corpus Christi, in terris non est. Id quod fusius exposui sermone 6 Decadis huius quam tibi mitto. Dixit sane Dominus: Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Quibus tu adiiciis: Ecce ego, inquit, non modo spiritu meo sed totus quantus quantus sum in propria, ut nostri dicunt, persona. Ego vero quid vestri personam vocent, eius linguae peritis excutiendum penitius relinquo. Mihi interim videtur loquutio illa satis esse periculosa. Nam si quis clare loqui velit, dicet Christum ecclesiae suae praesentem esse eo modo quo potest esse praesens. et in ea substantia in qua salutaris est eius praesentia. Utcunque non [4]) dixerit: spiritu meo vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, fidei tamen mysterium ita interpretari iubet locum. Certum enim est carne Christum nobiscum non esse praesentem. Quumque opponatur spiritui corpus et tu dicas non tantum spiritu praesentem esse ecclesiae Christum, vide ne versuti te adigant ad confessionem quam nolis confiteri, utique Christum alia ratione quam spirituali, nimirum corporali, adesse ecclesiae. [5])

Caeterum quum totum negotium concludis et fateris Christum spiritualiter cum ecclesia sua coniunctum esse et ecclesiae spiritualiter adesse, nobis quidem satisfacis. Sed vide interim ne alii propter insertas loquutiones insolentiores dicant tua sibi ipsis repugnare. Ex nobis certo nullum est tibi periculum. Neque ego scripta ad te epistola tecum certare aut disputare volui, sed admonere duntaxat pro officio caritatis, ac hodie mallem quaedam omissa in tuis quam inserta. Sed quia factum,

---

1397. 1) *d.* 22. *Iunii datas, a nobis non receptas.*

2) spiritum *S.*
3) contueri?
4) vero *S.*
5) *Iam Patavii Curio prae caeteris christianae doctrinae capitibus naturam regni Christi meditationibus suis inquirendam sibi elegerat. Quarum fructus fuit liber:* De amplitudine beati regni Dei dialogi sive libri duo 1554. (*Cf. Schelhorn Amoen. lit.* XII. 592 *ss. Schmidt ZS. f. hist. Th.* 1860 *p.* 614.)

quod dici solet, infectum esse nequit, tui candoris erit hoc meum officium boni consulere et circumspecte agere in omnibus. Vale. Salutat te D. *Gualtherus* affinis meus carissimus. Salva sit tota tua familia quam et domus mea salvere iubet. Augusti 13. Anno 1550.

Tuus Bullingerus.

1398.

CALVINUS FARELLO.

Nonnulla habet de suis lucubrationibus, maxime libello de scandalis. Porro eum hortatur ut pro sua virili evangelii hostes et ipse aggrediatur. Item ut ad Bucerum scribat. Haec epistola simul Liberteto destinata est.

(Ex Codice Gothano 404, fol. 10. Prior pars epistolae Vernonii amanuensis manu scripta, posterior ipsius Calvini. Edidit Bretschneiderus p. 31. Anglice exstat in ed. Edinb. II. 265.)

Insigni Christi servo Guillelmo Farello Neocomensis ecclesiae pastori fratri integerrimo.

S. Quo literas tuas [1]) pretio munerer [2]) non habeo: nisi quod simul ac Dominus dederit ut meus in Genesim commentarius ad finem usque tertii capitis perveniat, gustum operis tibi dare statui: primum, si dignus erit labor qui te oblectet, ut fructum hunc praecerpas: deinde, ut in reliquo contextu, si quid erit cuius me censueris monendum esse, iudicio tuo dirigar.

Libellus de scandalis pro immensa argumenti [3]) copia non modo brevis sed etiam conscisus [4]) erit. Ad hanc porro clausulam omnia referentur: non esse cur scandalorum praetextu evangelium infament odiosumque reddant improbi: infirmos autem debere munitos esse, ut quidquid scandalorum obiicit Satan fidei constantia superent: si quis a recta via avertitur, vel impingit, vel deficit, sic culpam sustinere ut excusatione careat. Simul tamen ostendo quam horribilis Dei ultio maneat scandalorum autores.

Tu interea secundis auspiciis monstrum illud aggredere: [5]) quod te iam fecisse confido. Si quid de *Henrico* bonae spei tibi *Viretus* fecit vanum est. Quotidie volitant huiusmodi rumores. Ergo non plus illis habeamus fidei quam merentur. Hoc tibi certo argumento sit nihil ex bestiae ferocia mitigatum esse, quod magis indies premuntur fratres nostri: tantum abest ut quidquam levationis sentiant. Alter Leo [6]) magnum nescio quid moliri dicitur. Ergo rogandus Deus ut amborum rabiem frangat, vel saltem, sicuti hactenus, mutuo collisu vires eorum atterat, quo minus ad nocendum sint potentes. Periculum, unde nos explicuit Dominus, me non latebat. Nec vero per factionem perditorum stetit quin misera urbs quasi devota in exitium rueret. Sed quia de remedio semper bene speravi nihil me valde terrebat.

Vectigalium [7]) causa ne quid mihi invidiae creet timendum. Nam scient, me et *Normandium* in consilium fuisse adhibitos. Hoc tamen oneris subire malo quam sinere ut se perdant quibus consulere debeo. Amice ut transigerent impetrare non potui. Restabat ut illis optimam viam ostenderem.

Mi *Christophore*, quum te initio literarum fidei non stetisse fatearis, miror cur statim, [8]) in quo fefelleris, venire tibi in mentem neges. Annon tu et *Mirabilis* hic futuri eratis ad pentecosten? [9]) De filiola scribam commatri prima quaque occasione. Hesternus dies totus fuit nescio quibus nugis absumptus.

Ad te iterum redeo, mi *Farelle*. *Buceri* literas an *Vireto* miseris nescio. Caeterum ex illis colligis bonum virum iam morositate nimia laborare. [10]) Scripturus sum brevi ad eum placide. De Tigurinis erit posthac silentium. Video enim me nihil proficere aliud nisi quod eius animus magis exulceratur. Quoniam tuas valde desiderat, cuperem meis accedere. [11]) Nam in eo verum est Terentianum illud: Quibus res sunt minus secundae eos omnia trahere in suam contumeliam. [12]) Neque

---

1398. 1) *N.* 1394 *ubi Farellus Calvini lucubrationes exegeticas laudibus extollit.*
2) numero *Br.*
3) the immense fulness of the proof.
4) *sic.*

5) *Ad quamnam Farelli lucubrationem hic alludat, pro tempore nobis non liquet (cf. infra N.* 1401, *not.* 10), *verum omnino haec ad sequentia pertinere, adeoque ad res Galliae, cuius rex notatur, certissimum est. Versio anglica ad praecedentia trahit.*
6) *Carolus imperator.*
7) *Abhinc Calvinus manu propria. De vectigalibus vide supra N.* 1388, *not.* 10.
8) statum *Br.*
9) *Sic expediuntur quae N.* 1388 *obscurius dicta erant, quaeque Anglus non intellexit:* confessing that you are not standing firm in the faith, I am astonished at your refusing to think about the state into which you have fallen.
10) *Alludere videtur ad quaedam a Bucero in Consensu minus probata.*
11) I should like him to approve of mine. *Imo cupit Farellum simul scribere.*
12) the infortunate abuse everybody. — *Legitur in Adelphis, Act.* IV. *Sc.* 4.

enim dissimulat quin se negligi putet a veteribus amicis dum rarius scribunt. Nec forte in *Sturmio* fallitur, cuius amicitiae tantum olim detulit ut plurimis in unius gratiam iniurius foret.[13])

Valete ambo, fratres mihi carissimi. Dominus vobis semper adsit, vos gubernet ac tueatur. Amen. Genevae 14 calendas Septemb. Septimo die tardius quam putabam. *Laternario* enim dare nolui quum iam haberem paratas. Sed quum frustra conatus essem reconciliare uxori ambos a me dimisi non sine gravi offensione.

Ioannes Calvinus vester.

Normendius[14]) vos plurimum salutat. Idem faciunt et reliqui amici. Hic nunc quosdam habemus minime amicos: Marescallum *Marchiae*, Ducem *Nemorensem*,[15]) et cohortem eius farinae nimis magnam. Verum[16]) ante prandium discedent.

1399.

UTENHOVIUS CALVINO.

Multus est in describendo statu ecclesiae peregrinorum Londinensis. Tum etiam probat Calvini consilium Regi librum aliquem nuncupandi et quid ibi dicendum sit docet. Porro agit de Hoperi controversia cum episcopis, Lascum laudat, et alia quaedam privata negotia attingit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 183 et 186, scil. duobus foliis quibus inscripta est epistola ex negligentia bibliopegi separatis.)

Eruditione pietateque inter caeteros conspicuo viro D. Ioanni Calvino.

Genevae.

S. P. Fasciculus ille literarum tuarum[1]) 13. huius mensis die mihi primum fuit redditus, in quo binae ad me conclusae fuerunt literae quarum antiquiores, nonis Martii, alterae vero in Aprili datae fuerunt: quae quidem ipsae merito mihi fuerunt gratissimae, verum quod adeo sero mihi fuerint redditae supra modum dolui, eo quod illae ante has nundinas Francofordianas meam responsionem omnino postulare viderentur. Si maturius mihi fuissent redditae per cursores celeri pede iam dudum meas accepisses literas: verum quando ita successit res ferenda est aequanimiter. Alias si quid occurrat forte quod accelerationem aliquam postulet, etiam atque etiam vide cui tuas committas literas. Adeo enim parum tuto hodie frequenter committuntur omnia, ut interdum vix media pars eorum quae passim transmittuntur fideliter perferatur: aut si perferatur, serius et maximis cum incommodis incommoditatibusque hominum perferatur.

Verum ut ad rem veniam, non est sane quod diu cuncteris in scribendo ad *Regem*[2]) qui haud dubie tui est amantissimus, ac scriptis tuis inprimis oblectatur, si quis alius in toto regno: quanquam omnes hic fere (de piis loquor) tui nominis sint studiosissimi, cuiusque rei ego sum certissimus. Neque est ita diu quod, quum D. *Bredamus*[3]) nuper *Regem* salutaret diceretque se Geneva rediisse, *Rex* eum primo verbo interrogavit quanam Calvinus esset valetudine, idque maximo cum affectu animi, adeo ut singularem illius animi in te propensionem vel ex eo uno videre licuerit. Porro an commentarios tuos in epistolas canonicas illi inscripseris nescio: hoc saltem scio, munus hoc ei gratum fore. Si vero ipsi eos non dedicaveris, poteris commentarios in Isaiam,[4]) quos te iam audio parturire primitias tuas in vetus testamentum, ei dedicare, opus haud dubie principe dignissimum, quod multo gratissimum fore nihil est ambigendum. D. *Bulingerus* nuper inscripsit ei decades aliquot,[5]) misitque ei exemplar unum cum privatis literis: venit autem liber ille *Regi* multo gratissimus, qui mox iussit vicissim munus aliquod pecuniarium parari ac transmitti *Bulingero*. Verum D. *Hoperus* ne gry quidem ab eo voluit accipere, aiens sibi ab ipso *Bulingero* omnino vetitum esse ne quidquam eo nomine a *Rege* acciperet. Quod quum audiret *Rex* declaravit eum *Bulingeri* animum sibi apprime pla-

---

13) *An et haec amicitia apud Nostrum frigescere coeperat? In margine hic Farelli manu adscriptum legitur:* De Floriano facile sibi patitur imponi.

14) *Hinc alia manus quae Bretschneidero visa est eadem ac supra, nobis non ita.*

15) *qui fuit ex competitoribus haeredum iura sibi vindicantibus post obitum Franc. de Longueville, comitis Neocomensis.*

16) Brevi *Br. Angl.*

1399 1) *deperditarum.*

2) *Quod demum fecit commentario in Iesaiam Regi dedicato, d.* 25. *Dec.*

3) *Quum Fallesius ὁ πάνυ dynastes in Bredamo fuerit, in hoc altero Bredamo eius fratrem agnoscimus, alias Franciscum de Burgundia dictum. Cf. N.* 1419. *Religionis causa in Angliam se recepisse videtur.*

4) *Utrumque commentarium Regi inscripsit.*

5) *Plura praebent literae Hoperi ad Bullingerum d. d.* 29. *Iunii, et Micronii ad eundem d. d.* 20. *Maii (Zurich letters* I. 88, 560). *Decades illae, scil. tertia et pars quartae, Regi* 25. *Apr. a Marchione Northamptonio traditae sunt, quum antea a consilio secreto quod dicebatur libri foris advecti examinari debuerint.*

cere, agens gratias pro munere accepto, rogans ipsum *Bulingerum* totamque ecclesiam Tigurinam, ut pro eo successuque regni sui Dominum Deum sollicitaret, omnia studia sua ipsi addicens, et si quando vacaret se ad ipsum *Bulingerum* scripturum esse. Hinc tu tibi certo promittere potes, nihil minus gratum ipsi futurum esse quidquid abs te proficiscatur. Si quid autem *Regi* destinaveris unquam, cura hoc fideliter ad me deferri. Dabo operam ut splendide sine ullis tuis impensis compingatur, ac mox ipsi prorsus tradendum curavero una cum privatis tuis ad eum literis.

Quod vero abs me tibi scribendi argumentum dari postulas, facis pro tuo candore: quasi vero hic Minerva suis opera indigeat. Quoniam autem illud abs me petis, dicam aliquid. Inter caetera poteris laudare eius institutum meritisque laudibus efferre, animare quoque eum ad prosequendum factum, promovendumque magis ac magis, quo deposita omnimoda superstitione, quae adhuc est reliqua in sacramentorum administratione, cantibus ecclesiasticis, usu vestium, et aliis plerisque rebus, revocet puritatem apostolicam. Et quia hoc regnum proclive est ad seditionem, atque in multis sui partibus detrectat religionem (quod non usque adeo mirandum est dum crassam populi ignorantiam, in qua hactenus detentus fuit ac etiamnum adhuc detinetur, perpendimus) admonendus tibi erit ut pios per totum regnum instituat episcopos (cessante enim prophetia necesse est dissipari populum, ut ait sapiens noster [6]) depositis prorsus impiis omnibus: qui utinam tantum cessarent a concionando fideliter, ac non etiam venena sua populo obtruderent publice ac etiam privatim, quibus miser populus capitur indignis modis, ne quid addam praeterea gravius. Adhuc consultum esset, meo quidem iudicio, iuvenilem illum animum ex verbo Dei animari, excitarique ad omnimodam constantiam, ne quo modo cedat malis, quin potius contra eat audentior. Fieri enim posset ut impii homines aliquando proponerent ei invidiam principum longe potentissimorum, ac ipse etiam Satan eo stratagemate eum posset adoriri. Quamobrem hic erit tibi animandus, et adversus eiusmodi insultus armandus, ne ullo metu frangatur consterneturve. Si quoque commendares ei causam peregrinorum, non videreris abs re esse facturus: ut interim alia omittam quae tua prudentia facile excogitaverit.

Caeterum Petrus *Guercius* [7]) iam promisit brevem et spontaneam solutionem, idque circa hunc Octobrem proximum: quare volui ab omni iuris violentia abstinere. An vero fidem servaturus sit nescio. Interim non deero officio meo in admonendo homine, et procurationem ipsam apud me asservavero. Quae certe quantum hic esset profutura haud scio, etiam si ex ea agere maxime velimus. Spero tamen ea nihil nobis opus fore.

Porro de Germanica et item Gallica nobis hic opera clarissimi viri D. Io. *a Lasco* impetrata nihil opus est multa scribere, quum nihil addubitem quin tu istic iam dudum intellexeris. Hoc tantum dicam, nos praeter opinionem impetrasse nonnulla, imo plura nobis hic esse permissa quam ipsi postulaverimus. [8]) Inprimis vero commune templum [9]) utimur Augustinianis dicatum, quod iam a *Rege* templum Iesu vocitatum est. Utrique nationi donatum est: quod regiis impensis reparatur. In quo verbum pure populo proponere ac sacramenta ex institutione Christi Domini sine superstitione aliqua administrare licet. Disciplina quoque ecclesiastica ex verbo Dei nobis est permissa. Praeterea quod non postulatum est, nullum nobis est negotium cum episcopis ullis, ne cum Londinensi quidem: quod tamen ipse fert indignissime. Quin imo illi ac reliquis episcopis et archiepiscopis regni, nec non praetori, vicecomitibus ac aldermannis seu iudicibus Londinensibus mandatum est ac severe iniunctum ne quo modo se ingerant nostris ecclesiis, sed sinant nos nostro more agere et administrare, etiamsi in caeremoniis et ritibus ecclesiasticis ab Anglicanis dissentiamus. Quatuor sunt a *Rege* instituti verbi ministri, duo in Gallicana ecclesia, nimirum Richardus *Vanvilius* [10]) et Franciscus *Rivius,* [11]) duo itidem in Germanica, Martinus *Mycronius,* [12]) qui olim convixit D. *Phalesio*, et hactenus ab eo tempore

6) *Proverb.* 29, 18.
7) N. 1313.

8) *Profugos Gallos, Belgas et Germanos, illos quidem ob persequutiones hos propter Interim extorres, Londini Lascus et Utenhovius in ecclesias congregaverant. Quibus patrocinatus Cranmerus d.* 24. *Iul.* 1550 *decretum impetravit quo aedes Augustinorum iis concedebantur. Cf. Utenhovii librum:* Simplex et fidelis narratio de instituta ac demum dissipata Belgarum aliorumque peregrinorum in Anglia ecclesia etc. Bas. Oporin. 1560. 8. (*Strype, Mem.* I. *c.* 22. *Ed.* 1851, *p.* 338. *Bartels, Lasco p.* 35.) *Aliam Gallorum ecclesiam constituit Val. Pollanus in Glastonbury* (*Strype p.* 349.)

9) *sic.*

10) *R. Vanville, qui et Richard François dicebatur* (*Zurich letters* I. 339) *olim Augustinianus, a* 1533 *inter primos, quum apud Bituriges commoraretur, evangelium amplexus est, cum Capunculo, Marlorato, Loqueto etc. Postea cum ecclesia peregrinorum a regina Maria expulsus in Germaniam se contulit et Francofurti ministerio functus est usque ad mortem* (*Hist. ecclés.* I. 56 *sqq.*)

11) *F. Martoret du Rivier, al. a Rivo, Riparius* (*quem cave cum Fr. de la Riviere s. Perucello confundas*) *olim monachus* (*Ruchat.* IV. 398) *tum minister in S. Blaise et Moudon. Quando in Angliam venerit nescimus, etiam de ulterioribus eius fatis non omnino nobis constat.*

12) *Micronius Flandrus, post expulsionem Emdae in Frisia Lasci fidus Achates, obiit ibi peste abreptus* 1559. *Plura scripsit contra Mennonem et Westphalum.*

D. *Hopero*, et quidam alius. Superintendentem, ut vocant, seu speculatorem a *Rege* constitutum habemus D. *a Lasco*, qui utrique ecclesiae est praefectus. Ministrorum, seniorum et diaconorum electio erit penes ecclesias libera, sed ministri electi ac item superintendens sistendi erunt coram *Rege* ipso ut confirmentur. Haec est summa literarum regiarum quas habemus autenticissimas. Non est parum haud dubie, nos a iugo episcoporum liberatos esse: unde Dominus Deus sit benedictus in saecula. Amen.

Quanto vero hic perfruamur gaudio ex familiaritate D. *a Lasco* vix queam dicere, quamque ille sit utilis huic regno ac etiam gratus, mirum est dictu. *Rex* iam de suo aerario assignavit ei annuam pensionem centum librarum seu 300 ducatorum. Scripsit imo iam aliquid ad meam postulationem de vitandis superstitionibus,[13]) in quo perstringit D. *Bucerum* in suo consilio. Illud ego iam verto in linguam gallicam, ut excudatur cum plerisque aliis aliorum doctiorum hominum consiliis in eandem sententiam. Si habuissem aliud exemplar, illud iam tibi misissem: verum in aliud tempus erit differendum.

D. *Hoperus* iam electus episcopus Glocestriensis[14]) habet negotium cum episcopis qui visi sunt favere veritati, pro consecratione quam vocant episcopali, quam ipse superstitiose non vult ullo modo subire: contra sese opponunt episcopi ac reluctantur quanto possunt studio, non obstante *Regis* ac consiliariorum pro ipso *Hopero* ad eos rescripto. Illi iactant senatus seu parlamenti decretum, illudque non nisi novo parlamento immutandum esse. Utraque pars iam ex iussu magistratus rationes suas scripto commisit *Regi*que ac consiliariis tradidit, et sic sub iudice adhuc lis est. Quid tandem sit futurum nescimus. Dominus Deus largiatur consiliariis ipsis ac *Regi*, sua sponte alioqui ad amplexandam puritatem satis propenso, ut recte iudicent rem praesentem eamque extemplo exsequantur. Multum enim interest an ante parlamentum hoc confirmetur *Hoperus* an non confirmetur. Quod probe norunt episcopi, qui admodum metuunt suae gloriae. Sciunt enim ipsum omnia, quatenus posset, velle revocare ad pristinam illam faciem primitivae ecclesiae, eiusque exemplum sibi admodum multis in rebus noxium fore. Ac proinde remorantur successum eius quantum possunt. Contra proceres regni, faventes evangelicae veritati, iuvant eius partes quantum possunt, cuperentque eum promotum ante ipsum parlamentum, quo et ipse in eo sua suffragia habeat. Dominus Deus adsit ei eiusque ardenti zelo piisque conatibus (omnes enim omnium hominum totius regni oculi in eum unum sunt coniecti), quo nihil unquam dicat faciatve quod non ad divini nominis gloriam faciat. Si quando Dominus finem huic controversiae imposuerit, indicabo. *Hoperus* vero iussit te sibi per me officiosissime salutari, cui iamiam aperui quidnam tibi de dedicandis *Regi* tuis commentariis scripsissem, neque potuit meum hic consilium non probare.

Martinus noster *Mycronius* te quoque iussit salvere. D. *a Lasco* etiam te salutat. Saluta mihi quaeso D. *Paludanum*,[15]) D. *Raymundum*, D. *a Sancto-Andrea*, D. *Maldonadum*, Nicolaum *Ferreum* ac fratrem tuum D. *Antonium*, meique quaeso memineris in precibus tuis ad Dominum, omnemque abs me expertam * vicissitudinem. Mitto iam una cum meis D. *Bernardini* ad te literas.[16]) Vale, vir multo ornatissime ac praeceptor observande in Domino. Amen. Londini 23. Augusti 1550.

Tuus vere frater ex animo
Io. Utenhovius.

Parce mendis et lituris: non enim licuit rescribere.

13) *Exhibet hoc scriptum Kuyperus in Opp. Lasci Tom. I. p.* 63 *sub titulo:* De fugiendis papatus illicitis sacris. *Editor tamen hoc Praef. p.* 67 *ad annum* 1546 *refert.*

14) *Strype, Memor. L. II. c.* 17 *p.* 305 *ss. Cf. Utenhovii ep. ad Calvinum Non. Febr.* 1551.

1400.

HALLERUS BULLINGERO.

Dissidium inter Bernenses et Genevenses de vectigalibus. Legati horum de colloquiis reclamantium re infecta dimissi, et merito quidem, quum et confessionem et inquisitionem instaurare gestiant.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Tom. 32, fol. 225. — Simler. Vol. 73. Abest inscriptio.)

— — — — — — — — — — — — — — —

Dissidium inter nostros et Genevenses[1]) me valde torquet. Audio enim Genevates indignissime ferre constitutionem et exactionem nostrorum. *Der Handel ist vffgschlagen zů recht vff den* 2. Novembris.[2]) *Wie ich aber hör wirt man allein darumm rechten ob min Hern schuldig syend jnnen hierumm des rechten zů sin, dann si vermeynen si syend si*

15) *Genevae tunc temporis florebant familiae De la Palud et Des Marets.*

16) *Ochinus cum Vermilio in Angliam vocatus a Cranmero Lambethi degebat, et cum eodem inde rediit.* (*Strype, l. l. p.* 283. *Zurich letters I.* 334, *Schelhorn, Ergoetz.* 3, 1000.)

1400. 1) *propter vectigalia de quibus supra N.* 1388 *et* 1394.

2) *hunc diem dixerant arbitri Basileenses.*

nit schuldig, diewyl si allein irem gepiett die taell [3]) *vffglegt habind.* Genevenses *meinind si syind nüt schuldig.* Ita Satan subinde serit dissidia inter evangelicos, quos non conveniebat modo, sed et necesse erat esse coniunctissimos et unitissimos.

Audimus hic causam Wedischvilensem [4]) transactam. Cupimus scire quibus conditionibus. Si quid habes certi, scribe.

Lausannenses [5]) nihil hic impetrarunt. Remisimus eos ad senatum, cuius autoritate mutata sunt colloquia, non ut ipsi dicunt abrogata, ut, si placeat ei, eiusdem autoritate pristinae formae restituantur. Senatus indignissime tulit eorum instantiam reque infecta dimisit eos. *Viretus* in suis ad me literis non obscure se prodit: non posse constare disciplinam ecclesiasticam, nisi privatae fiant inquisitiones fidei. Ita non confessionem modo habebimus iterum privatam, sacerdotalem et auricularem, sed et novae haereticae pravitatis inquisitores. Vide quid ab his hominibus exspectandum, nisi coerceantur. Iam Genevae instituta est illa inquisitio. [6]) Sed videbimus, quod valde metuo, alios quam boni illi viri exspectant fructus. Dominus det nobis spiritum humilitatis, ne plus de nobis et ministerio nostro praesumamus quam conveniat. Bernae 24. Aug. 1550.

T. Ioan. Hallerus.

1401.

FARELLUS CALVINO.

Inter plura quae pro more contortius quam lucidius tractat, hoc saltem conspicuum est, quod occasione epistolae Calvino suadente ad Bucerum scriptae, eius stilum laudibus extollit ultra quam ab amico aliquis velit, suum ipsius vituperat et parvi pendit.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 94 cuius exemplaria recentiora exstant Cod. 116, fol. 18, Epp. Bern. VI. p. 99, et Simleri Vol. 73.)

Servo Domini Iesu operi divino intentissimo Ioanni Calvino ecclesiae Genevensis pastori, ut donis Dei cumulatissimo ita quam fidelissimo dispensatori, fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Feci quod iussisti. [1]) Quin vereor me nihil minus fecisse. Difficile mihi est aggredi aliquid, sed difficillimum fuit invenire. Hoc solum habeo quod mihi nunquam satisfacio, et dolet quod non satis quid scribam, et ad quos, perpendo. Recte admonebas, et utinam id caverem, ut scio in eo me peccare: me rationem non habere eorum ad quos scribo, et potissimum dum ad *Bucerum* scriberem, non secus quam ego illi par essem, imo sane ita ac si inferiorem convenirem. Exemplo luculento docuisti tuis ad *Paceum* [2]) literis, quid mihi facto sit opus. Sed caput meum crassius est, et paene occallui in contrarium, et tamdiu Farellus fui ut sperari nihil minus a me possit quam ut alius sim in scribendo. Figuras meas profligare non possum, barbarismum et soloecismum, et lucem nullam admittit meus sermo, neque rebus neque personis satis convenit: et tamen scribendum est. Habes itaque ad *Bucerum* literas. Te quaeso ne eas legas, sed otioso alicui tradas. Nam quid te meis ineptiis onerares, in quibus ego me paene confeci? et si aliquid relaxamenti habes audi aliqua et non omnia, et castigando me, quum praesens tibi non sim corpore, debitas sumito poenas de literis: et mihi rem quam gratissimam feceris si me pro dignitate increpueris. Placet mihi consilium tuum de silentio eorum quibus ita iratus est pius alioqui vir. Sane et id mihi contingit quoties occurrit *Conzeni* memoria. Quam horreo illam furiam quae nullam habuit ecclesiae rationem, sed odio nostri diabolum evexisset. Deus mitiget et sopiat hos affectus. Nam ubi vestiuntur praetextu gloriae Dei, quam volumus illustratam et alii obductam, mirum quam sint acres et modum saepe non habeant. Adeo difficile est hominem exuere, ut caro sese ementiatur spiritualem esse, et sane id in meis literis non parum displicet. Vereor *Sultzerum* camino oleum addere: [3]) nam non adeo visus est favere Consensioni, et nisi totus fallor quae scribebat *Myconius* nonnihil inde prodire verisimile est. Habuerunt enim exemplar statim. Sed Dominus omnia tandem componet. Te quaeso si auditis nonnullis iudices meas literas, ut sunt indignae lectu, lacerandas, ita facito. Quum aggredior tuas literas subito venit in mentem id Ludovici XI, ex quo fuit Carolus VIII, parum utilis regno et imprudentior, quod egit cum rustico, a quo donatus fuerat rapis aliquot in calatho, cui reposuit non parum auri. Ita tu cogitas quid meis ineptiis reponas: verum etsi nihil sit quod respondeas, et tu, si commutationem tam parum aequam faceres, magis esses quam Glaucus ridendus. Sed quum tibi nihil decedat, et mihi plurimum sit accessurum non modo accepto quod offers,

---

3) *tributa. Lectio non est sollicitanda.*
4) *nobis incognitam.*
5) *legati Beza et Merlinus. N.* 1392.
6) *consistorium.*

1401. 1) *Fortassis haec conferenda cum N.* 1398, *not.* 5. *Verosimilius tamen dicit se suadente Calvino* (*Not.* 11 *ibid.*) *ad Bucerum scripsisse.*

2) *N.* 1380. — *Simlerus perperam in margine Melanchthonem significari asserit.*
3) *quippe qui indies magis ad lutheranismum inclinarit.*

imo te ultro rogo et flagito ut facias, liceatque videre initium creationis, et id unde magnus ille theologus suam orsus est theologiam dextre a te exponi.[4]) Qui Mosen suo afflavit spiritu ita te illustret, ut quanto lux evangelii et tuum ministerium, Mosis nondum ferre potentibus pleniorem lucem et ministerium hoc tam absolutum, ideo minus efficax et minus clarum, superat, tanto tua enarratio superet vi et luce, et tam feliciter id praestes quam Paulus in voce, in semine solum indicans illic Christum promissum. Quam mihi placet quod mare illud offendiculorum ita contrahas, imo sicces, ut sicco et inoffenso pede intrare possint qui te audierint, etiamsi fluctus omnium offendiculorum ingruant et contegere[5]) imo absorbere adnitantur. Mira est ista verbi virga, qua ictum mare sese aperit, et ita via patet in eius medio, ac si nullae essent aquae. Sunt sane et videntur, et ingens est miraculum quod non perdant transeuntes, sed nocere non possunt. Ego tam mihi exciderem, ut putarem aquae guttas numerandas et aquas exhauriendas: sed tu virga viam paras.

Divinavi utcunque quid scribat *Vergerius.*[6]) Desiderat aliquid sed non aperit: tamen spem facit id a Domino perficiendum. Cuperem ea latine et gallice edi. Sed si ingenia Conzenica supersunt acetum erit infusum nitro. Tamen expedire puto ut pii orent pro conservatione ecclesiae et agant gratias. Moriantur Martes, rumpantur et crepent medii foeteantque[7]) in campis quibus male grata sunt haec. Quid moremur istos Epicureos Carolistas, quorum corda tangat Christus ut certius sapiant et doceant, sintque non fontes sine aqua, neque nubes volitantes sine pluvia, sed veri sint ministri. Ecclesiam suam Christus repurget.

Ferunt *Caesarem* cum filio et fratre Saxoniam petiisse. Fabulam puto quod narratur de D. *Audemario*,[8]) urbe inexpugnabili a *Gallo* intercepta, et *Gallum* causari, *Caesarem* non stetisse conventis quum *Rogniacum* comitem regina *Maria* tuendum susceperit cum arce quam ille erexerat in qua oppugnabatur a *Nivernense* comite. Saxum illud e monte excisum sine manibus tam potenter impetat portenta et tam gravia terrae onera, et quidquid gloriae et illustrationi evangelii sese obiicit, ut praeter ipsum et quidquid gloriae illius studet nihil hic videamus et sentiamus.

De *Nemorensi* duce[9]) aliqui hic sibi pollicentur bene, de altero spes deplorata. Sed potens est Dominus, quod in corpore Abrahami et uxoris effecit, praeter omnem spem efficere in cordibus lapideis.

Egregie falleris quod credis me iam confecisse monstrum missarium.[10]) Quam procul sum a gratia quam tibi Dominus dedit. Absolvis tu quidem, et exactissime, priusquam credaris manum admovisse, et tu ais me iam confecisse id de quo ne unam quidem lineam adhuc duxi. Dicebam quod me accingerem, et sane aliqua scripsi de coena, nihil prorsus de missa. Sed quando finem faciam coenae, tum sequetur missae initium. Pergo lentissime, non festino tarde sed lentissimus tarde repo. Faxit Dominus ne pro maturo putris sit foetus.

Sed plus satis tibi molestus fui. Vale quam optime, et valetudinem tuam propter Christum et caritatem, qua nobis, imo ecclesiae, iunctus es, cura quam diligentissime, ut te diutius fruantur boni et aedificentur omnes: quod faxit Christus. Collega te salutat et culpam agnoscit. Cupimus collegas salvos. *Normandium* ex animo salutamus, *Vernonium* salvere etiam cupimus, et id taedii devorare ut has et ad *Bucerum* legat ac referat tantum quae oportet. Si pergam alios addere quos omnes cupio salvos, et me et ecclesiam eorum precibus commendo, quando finiam? Iterum vale. 6. Calen. Septembris 1550.

Tuus totus in Domino
Farellus.

Si per *Philippum* tentes aliquid apud *Bucerum*, aut alium quem noveris posse, remoram puto quam indicavi non patietur, ut bene audiant ii quibus est infensus. De duce,[11]) de quo *Bucerus* scribit non est quod attingam. Quid enim non egeris pro gloria Domini?

---

4) *Longae hae ambages et sesquipedalia verba simpliciter dicere debent, eum cupere Calvini commentarium in Genesin videre.*

5) congerere *apogr.*

6) *Plurimos libellos hoc anno edidit, decem ad minimum quos recenset Sixtus in eius vita: inter alios:* Epistola nella quale sono descritte molte cose della città e della chiesa di Geneva. *Verum ad quemnam potissimum hic Farellus alludat non liquet.*

7) fateanturque *apogr.*

8) *Quae hic satis obscure narrantur, vel potius attinguntur, fortassis lucem aliquam accipere possunt ex Thuani relatione l. VI.* (*Vers. Gall. Basil. I.* 529.)

9) *N.* 1398, *not.* 15. *Quem alterum dicat, non assequimur. Etiam Maria Lotharingia ducissa de Longueville, vidua regis Scotiae haereditatis iura exercere praesumebat* (*Ruchat, V.* 421).

10) *Ibid. not.* 5. — *Anno* 1553 *demum edidit:* De la saincte cene de N. S. Iesus et de son Testament confirmé par sa mort et sa passion. *Tum etiam citatur eius* Declaration de la messe, *de qua apud Schmidtium et Kirchhoferum silentium altissimum, cuiusque natales Haagius ignorare fatetur.*

11) *An Somerseto?*

1402.

BULLINGERUS CALVINO.

Mittit ei novam sermonum decadem, simul de peste in Rhaetia crudeliter saeviente, deque comitiis Augustanis rebusque Germanicis recentissima tradit.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. p. 95, Laus. p. 211, Hanov. p. 237, Chouet p. 128, Amst. p. 58.)

S. D. Didici a N.[1]) nostro te, *Calvine* colendissime et carissime, recte valere, quo nomine tibi gratulor, optoque ut sit diuturnum. Nos quoque recte valemus hic omnes Deo gratia. Curiae intra 9. septimanas exstinxit pestis 1100 homines. Mirum est in tam angusto oppido et brevissimo tempore tot esse sublatos. Cum his migravit et D. Ioan. *Blasius.*[2]) Decubuit et D. Ioan. *Commander,*[3]) sed revaluit per Christum. In vicinia Curiae plurimi moriuntur. Nos adhuc liberi sumus ab illa lue. *Caesar* Augustae cupit modis omnibus emulgere ex principibus et ordinibus Imperii consensum in continuationem concilii Tridentini;[4]) item auxilium contra rebelles. Urget et alia quaedam capita, nec audio esse quemquam qui ei se opponat. 14. Augusti milites Hispani domum, ut vocant, concionum sacrarum pone aedem S. Ulrichi diripuerunt. Capti sunt ex iis aliquot, sed plurimi arbitrantur ex carcere impune dimittendos. Ferociunt papistae et minantur extrema. Aiunt *Caesarem* totum in eo esse ut Magdeburgum[5]) omnibus rebellibus faciat exemplum. Caeterum ignorat vivere et viribus pollere eum qui custodit Israelem. Nostrum erit in hisce turbis ardentes Domino preces offerre, et pro periclitantibus et pro nobis ipsis: deinde et constanter facere nostrum officium dicendo et scribendo. Mitto tuae pietati quartam Decadem[6]) quam hac aestate conscripsi, non ut putem te illa indigere, sed ut benevolentiam erga te meam testarer. Salutant te fratres. Salvus sit D. Nic. *Gallasius* cum omnibus bonis. Vale cum tuis omnibus. Tiguri, 30. Augusti 1550.

1402. 1) *Sub hoc siglo latere videtur Vergerius, quem iam ante Idus huius mensis Lausanna et Geneva relicta Turici adfuisse scimus.* (*Meyer, Locarno I.* 56.)

2) *Io. Blasius, Monasteriensis ex Engadina, inter primos fuit Rhaetos qui evangelio adhaeserunt restaurato. Minister fuit primum in Malans, postea Curiae, composuitque nonnullos dialogos germanice scriptos contra episcopum eius dioeceseos. Obiit d.* 18. *Iulii et successorem habuit cel. Phil. Gallitium.* (*Vide De Porta I.* 260 *et passim.*)

3) *Io. Comander* (*ita enim nomen scribendum, germ. Dorffmann*) *pastor ad S. Martini Curiensis, inde ab a.* 1524 *usque ad mortem* 1557, *inter Rhaetiae reformatores facile princeps, maxime ex iis partibus clarus quas egit collegarum antesignanus in disputatione Ilantii habita. Vitam transegit controversiis agitatam cum pontificiis et Anabaptistis, eiusque plurimae exstant epp. ad Vadianum et Bullingerum, ex quibus hausit De Porta l. l. passim.*

4) *Comitia auspicatus erat d.* 26. *Iulii v. Sleid. III.* 210. *Salig, Aug. Conf. I.* 658. *Fuit praecipue Mauritius qui per legatos Imperatori restitit, enixe flagitans ut concilium liberum fieret antequam principes illud agnoscerent.*

5) *civitas interdicto publico promulgato exterminata fuit, quod vocant, i. e. communi iure exempta, et primum Georgius Megalopolitanus eius ditionem vastavit, postea Mauritius Saxo per totum annum urbem obsedit* (*Sleid. III.* 212 *ss. Hortleder, II.* 915 *etc.*).

1403.

BADUELLUS CALVINO.

Iam ingravescentibus periculis serio cogitat de migratione.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 28.)

Doctissimo viro atque humanissimo homini D. Carolo Fasello amico singulari

Hieropoli.

Libenter ex isto audivi quemadmodum et tu in dolore capitis tui tamen satis belle haberes, et ecclesia vestra maiore hominum piorum multitudine quotidie abundaret ac floreret. Dominus pro sua singulari misericordia eam regat, augeat, conservet, fortunet, nosque qui hoc in loco versamur, quasi in quodam exsilio, ac inter osores pacis vivimus, ad hunc sanctissimum coetum quamprimum aggreget, atque ita congreget, ut uno et corde et ore omnes ipsius nomen pure invocare celebrareque possimus. Nam post eas literas quas a me novissimas per hunc accepisti, huiusmodi pericula sunt consequuta quae literis committere non audeo: ita sunt omnia suspiciosa et exulcerata. Ea iste commodius explanabit omnia quam ego possim scribere. Hoc tamen sic habeto, tantam esse factam consternationem praesertim locupletum, ut qui sunt firmi ac constantes in pietate veroque timore Dei *σκάνδαλα* ipsis ac monstra quaedam esse videantur. Itaque quum non liceat diutius statum pium locumque tueri, ne per eos quidem qui rebus quietis ac tranquillis se amicos sociosque nostros ostendebant, cogito magno cum studio ac desiderio, tanquam avis vaga atque pavida, nidum naturalem salutaremque, in quo me ac pullos meos cum ipsorum matre col-

6) *Cf. N.* 1355.

locare possim, formidolosissimoque tempore in gremium ipsius ecclesiae, communis parentis nostrae, ita nos recipere, ut tuti tectique sub Domini alis lateamus. Nam huius quidem nostrae conditionis miserae, avique de loco in locum transmigranti comparatae, me monuit sententia quaedam Solomonis hisce diebus in coena a discipulis meis recitata: [1]) Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir derelinquens locum suum. Nam quae ratio vitae potest esse alia hominis exsulis, idololatriam omni studio fugientis? Exemplum est insigne in Davide qui, quum ex patria veraque ecclesia expulsus ac profugus alienis in locis versaretur, saepe illud summa cum molestia audivit: Migra de monte in montem sicut avis. Itaque quum eadem sit nostra sors, quos in hac Antichristi servitute rapaces infestant aves, quid aliud facere possumus quam id quod ante ad te scripsi, ut cum maximis desideriis ac suspiriis ad tabernacula Domini amabilissima animos ac oculos nostros convertamus, in illisque domicilium nostrum constituamus. A te, mi *Carole*, per Iesum Christum communem redemptorem nostraeque autorem amicitiae maximopere peto ut hanc sollicitudinem nostram tuo et consilio et studio et amore in precibus vestris adiuves. Nam nobis quidem propositum est istuc ad vos accedere. Sed sunt aliquae in commutandis vendendisque rebus nostris difficultates, quas tamen Dominus vestras nostrasque exaudiens preces explicabit. Eius gratia sit tecum. [2])

Tuus Appius Claudius.

1404.

MOIBANUS [1]) CALVINO.

Laudat eius industriam literariam maxime in explananda scriptura sacra et plura eius generis videre cupit.

(Ex apographo Codicis Vratisl. XII. f. 499. — Edidit Gillet, Crato II. 453.)

Saepius, mi *Calvine*, cogitavi quomodo rationem aliquam invenirem ad te scribendi. [2]) Nam magno intervallo dissiti sumus. Habeo et quaero semper consuetudinem doctorum virorum. Scripta tua perplacent. Institutionem tuam lego et relego, et ne videar *κολακεύειν*, excipiuntur tua magnorum hominum plausu. Polonia [3]) ita incumbit tuis scriptis, ut nihil videatur illis receptius. Certe, ut ex animo dicam, non video hoc tempore qui se animosius opponat belluae. Habes antagonistas quibuscum fortiter depugnas. Certatur nunc pro Helena, [4]) non illa graeca, scis. Dominus sit tecum, ut fortis sis in bello. Nos interim in nostra urbe quid agimus? De Interim pugnamus. Tu contra totum regnum Satanae te totum opponis. Video quam diligenter verseris in explicatione Paulinorum scriptorum, quae nihil aliud agunt nisi ut destruant sedem illam adversarii. Cuperem videre catalogum tuarum lucubrationum: nam rarius ad nos importantur talia. Peto ut omnes epistolas Pauli una cum annotationibus tuis cures in unum volumen imprimi. Desidero propter meam tenuitatem in Paulinis explicationibus annotationes diligentiores in exponendis hebraismis. Nam Paulus etsi graece scripserit, tamen pro more suae gentis utitur phrasibus hebraicis. Recte facis, mi *Calvine*, quod horas tuas in tam utilia studia collocas. In Erasmo multa sunt, ut erat theologus sui temporis aulicus, quae requirunt *τὸ πληροφορεῖν*. Sed alii iudicent. In multis Pauli sententiam non videtur assequutus. Diu Psalterium tuum quaesivi. Vidi quidem semel, quod ex hebraico vertisti in latinum. [5]) Quid nunc facias aut in manibus habeas scire velim. Saltem velim te inprimis ecclesiae utilia proponere. Vale in Christo. Vratislaviae prima Septembr. A. L.

Ambrosius Moibanus Th. D.

1403. 1) *Prov.* 27, 8.

2) *Ex coniectura annum et mensem definire conamur, scil. aestivum aliquem a.* 1550. *Scripta omnino nobis videtur post* 1378 *et ante* 1412.

1404. 1) *Fuit hic Ambrosius Moibanus Io. Hessi socius in reformanda Vratislaviensi ecclesia. Natus a.* 1494, *Reuchlini discipulus in hebraicis, postea Vitebergensium apud quos doctor theologiae creatus fuit, diuque pastor Vratislaviae, obiit* 1554 *mense Ianuario.*

2) *Fortasse hanc asportavit eius filius Ioannes medicus, qui paedagogus filiorum cuiusdam nobilis Norimbergensis factus eo fere tempore Patavium invisit (Adami Vit. med. p.* 54. *Gillet I.* 75).

3) *Calvini fama per eas regiones indies magis increbuit, praesertim ex quo Commentarium in Ep. ad Hebraeos Regi dicaverat.*

4) *Barbara Radzivil, post mortem prioris uxoris Sigismundi Augusti Elisabethae Austriacae, clam huic nupserat: quod matrimonium demum mortuo patre novus rex publicavit. Inde magnatum utriusque confessionis contra potentissimam Radziviliorum familiam oppositio, quanquam protestantes potius novae reginae partes amplecti debuissent utpote suae causae faventis. Archiepiscopus tamen Dzierzgowski, pontificiorum coryphaeus, qui regis divortium procurare voluerat, hoc ipso anno coactus est uxorem eius diademate regio ornare.*

5) *Quid haec sibi velint non assequimur. Commentarius Calvini in Psalmos a. demum* 1557 *prodiit, antea non nisi unum psalmum* (87) *latine ediderat cum notis ad calcem quatuor homiliarum* 1552. *An sola fama deceptus Calvino tribuit psalmos gallicos ligato sermone editos?*

1405.

SACHINUS [1]) CALVINO.

Promittit suam operam in negotio quodam difficili tractando.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 14.)

A Monseigneur Despeville mon bon seigneur et amy.

Quod ex communi voto res de qua scribis non succedit, id vero permolestum nobis esse scito. Praestitimus id demum quod in nobis erat, nihilque hic praetermissum quod operam, consilium, curam, atque adeo industriam nostram desideraret, ut vel ex hoc ipso nuncio plenius intelliges. Nos sane, ut par est, ultro in hanc causam ita propensi sumus ut nulla nobis cohortatione sit opus: tametsi ista tua, nec ea quidem levis, commendatio stimulos efficaces iamiam currentibus addiderit. Si enim homo homini deus in re plerumque levi, aut et profana, esse soleat, quanto magis in tam gravi sanctoque negotio nos id officii serio fratribus praestare convenit? In summa ubi a suprema N. curia redierit is qui illuc tum librariam sarcinam tum literarum fasciculum intempestive, ne dicam improbe, detulit, dabimus operam ut vos eorum omnium quae tum hic tum illic gesta fuerint efficiamini certiores, si ita facto fuerit opus: nisi tamen nostras literas huius nuncii reditu antevertere vobis visum fuerit. Interim huic negotio, quantum in nobis erit, invigilabimus. Superest ut Dominum ex animo precemur ut omnes improborum conatus enervet, consilia iniqua dissipet, ac omnia tandem in suam unius gloriam vertat. Bene vale. vir mihi in Christo plurimum observande. D. a *Normandia* etiam atque etiam salutatum velim. Domi xxiij[a] Septembris 1550.

Ex animo tuus
Cl. D. Sach.

1405. 1) *Familia nobilium De Sachins, seigneurs de la Mylatiere, in Sabaudia sedebat, in villa sua Aneriana quam dicebant. Haec ad N.* 414 *et* 727 *annotari debuissent. Caeterum non liquet quid hic tractetur. Si huc traxeris quae in altera proxime sequente eiusdem autoris dicuntur, videbis quosdam protestantes cum literis et libris deprehensos Camberiaci in vincula coniectos fuisse.*

1406.

FARELLUS VIRETO.

Rogat ut Neocomi proxime adsit. Invehitur in quendam ministrum qui nescio quo modo histrionem egisse videtur. Sensus epistolae non minus suum medicum poscit atque ipse textus.

(Ex autographo passim mutilo et lacerato Bibliothecae pastorum Neocomensium. Epp. Farelli fasc. IV. N. 2. Inscriptionem praefixit oscitans aliquis sciolus talem: *Vigilantissimis ecclesiae Christi pastoribus dominis Calvino Farello et Vireto fratribus colendissimis.*)

S. Recte feceris si octava Octobris, si prius non potes, fueris hic, ut tractemus quae sunt in aedificationem ecclesiarum, quibus Dominus ben[*ignus sit*]. Decrevi quae audivi de histrionibus perditissimis ad *Hallerum* scribere. Faxit Christus ut quo scribo animo excipiantur omnia. Ma[*lo enim*] satisfacere religioni quae me tenet, ne quid omittam quod prodesse possit ecclesiis, et male audire palam faciendo quae opor[*tuerit, quam*] tacendo iudicium incurrere accusante conscientia. Parum mihi placet *Sonerius*, qui spectator tantae foeditatis partes tam impias, si n[*on*] tuebatur, tamen non damnabat. Quam male miser novit quid sit ecclesia, et quid deceat aut dedeceat tam augustum ministerium. Cuperem te omnia exactius nosse, ut veniens posses hic, si qui sint conveniendi, commonstrare quam alienum sit a pastore hist[*rum*] esse et histrionem. Petrus non reputat expedire ut ipse et reliqui qui ministrant in verbo curam suscipiant pauperum ac mensis ministrent, quum functionem verbi cura tam insignis impediat. Quid histris et histrionibus diceret si sibi adiungi vellent Petrum? Serio agere debet Christianus et tueri et agere personam quam habet vere, et non fictam sumere, quum hypocrisis * tam malea udiat et omnis hypocrita. Quid agendum est pastori Christiano? Venter nobis vicinus tantum non insanit, ut ex hoc audies. Christus illi meliorem det mentem: sed quum proditorem tuum tam carum habeat, nihil mirum si me non amet, neque te, ut de *Calvino* taceam, qui ventris iudicio mentis parum habet et eruditionis. Sed canem ita latrantem compescat Dominus.

Cuperem te expendere, de vidua cuius vir viriliter pro Christo Chamberiaci obiit, [1]) num quod dicebam commodum esset, et si mecum facis ad *Norman-*

1406. 1) *Haec satis dubia. In hist. Martyrum fol.* 202 *mentio fit cuiusdam Io. Lambert iuvenis Genevensis Camberiaci exusti, et duorum aliorum, Godeau de Chinon en Touraine, et Beraudin de Loudun, qui m. Aprili* 1550 *ibidem simili modo perierunt.*

dium scribas. Nam viduae consultum vellem: sed quid magis optem, tu scis. Gallus periisse dicitur. Repurget Dominus terram et lucem suam passim affulgere faciat.

Quum perditus venter neminem iusta et recta vocatione intrasse, neque quidquam aedificationis sequutum affirmet, verum peius omnia q[*uam*] prius habere dicat, videre potes cum collegis num expediat vos scribere ad miserum, quum a vobis ad nos literas accepe[*rit*] ut nostro coetui adiungeretur, et hoc nomine nobis commendaretur. Quid fiat ut t[*am mal*]e de [*no*]bis loquat[*ur, hinc*] argumentum sumere potestis, siquidem plus satis narrat unde materiam accep[*erit* . . . . . magis et tu et fratres agite. Hodie me convenit *Gelinus*: dixit se iussum esse abs te ut . . . . . d m . . . . . Columbarii tibi indicerem. Nondum intellexi venisse, quod sane mirum est. Fieri non potest quin ante octavam s[*equentis*] mensis venerit, et non comittas quin veniat. Vale bene, cum coniuge Maria et Marta. Collegam iube salvum esse et [*omnes qui*] tecum laborant. Audio *Mirabilem Ionam* revocasse: aegre admodum feram si non redeat. *Calvinum*, ubi scribes, iubeto quam officiosissime salvere. Servet eum nobis Dominus. Collega te salutat. Neocomi 4. Calen. Octobres 1550.

Farellus tuus totus.

1407.

SACHINUS CALVINO.

Agit de duobus viris Chamberiaci in vincula coniectis, quibus liberandis omnem curam se adhibiturum promittit.

(Ex autographo Cod. Genev. 112, fol. 13.)

D. Io. Calvino fratri et amico nobis plurimum in Domino observando.

Hodie rescivimus eos de quibus paulo ante scripseras [1]) Chamberiacum duobus abhinc diebus esse deductos, ut tu quoque multo melius ex amici cuiusdam literis quas ad te mittimus intelliges. Porro alter eorum, quum hic aliquoties interrogatus esset, timidius respondit, se hac demum causa Galliam repetere quod ab ea quam profitemini religione abhorreret, neque sibi esse in animo istuc in posterum redeundi. Nec tamen hac arte est liberatus. Eo profecto loci rem deductam esse videmus ut eorum suffragia, qui ea in curia autoritate valent, vobis studiose sint ambienda: si quos tamen pios illic agnoscatis. Nos vero, ut nullum non moveamus lapidem, secundo praesidi, viro probo et arctissima iam olim nobis amicitia coniuncto, hac de re diligentissime perscribemus. Quem quidem eo benigniorem futurum speramus quod ob absentiam prioris illius praesidis nunc primas illic tenet. Quum autem nemo istinc iam proficiscatur per quem rescribere liceat, ne quid ignoraretis quod vos intelligere e re vestra esset, hunc ad vos tabellarium mittendum curavimus: quo certius statuatis quidnam hoc in negotio sit agendum. Hoc unum nobis displicet quod eorum iuvandorum, quos maxime cupiebamus, amplior sese non obtulit facultas. Faxit Christus ut huic fabulae laeta tandem catastrophe contingat. Bene vale, vir in Domino nobis carissime. E domo nostra Aner. 9ª Octobris 1550. Raptim.

Tuus ex animo
Cl. D. Sach.

1408.

CALVINUS WOLFIO.

Excusat se quod fratri eius Genevae conditionem invenire non potuerit.

(Ex autographo Bibl. civic. Turic. MSS. F. 38, olim, III. fol. 27. — Simler. Vol. 73.)

Eximio viro et fideli Christi servo D. Ioanni Wolphio in ecclesia Tigurina verbi ministro fratri et symmystae carissimo.

S. Si par animo facultas mihi suppeteret, re ipsa expertus esset frater tuus [1]) quantopere cupiam omnia veri amici officia tibi ac D. *Hallero* impendere. Ipse certe, ut confido, per me non stetisse agnovit, quominus tibi satisfieret. Verum in hac urbe duos tantum restiarios habemus, qui vix tenuem ac sordidum victum sibi conficiunt. Apud typographos locum post mensem habere poterat. Sed illi non visum est tam diu exspectare, praesertim quum spes aliqua Lausannae, ut dixit, oblata

1407. 1) *Calvini epistola non exstat, verum nisi omnia nos fallunt de iis ipsis loquitur quos iam supra N.* 1405 *designaverat.*

1408. 1) *Typographus Turicensis. Ipse Ioannes professor et pastor ad B. V.* (*N.* 1298.)

foret. Quod si illic non assequitur quod sperat, mea illi sedulitas non deerit. Atque utinam et hic et aliis in rebus tibi comprobare meum erga te et vos omnes studium possim. Longiore excusatione opus esse non arbitror. Vale, frater mihi in Domino carissime. Salutabis reverenter meo nomine D. *Bullingerum* et reliquos symmystas. Dominus vos omnes tueatur. Quoniam pestem intelligimus istic grassari, nos de vobis, ut par est, solliciti sumus. Genevae 10. Octob. 1550.

Ioannes Calvinus tuus.

1409.

MICRONIUS BULLINGERO.

Agit de statu ecclesiae peregrinorum Londinensis, deque controversia Hoperi cum episcopis circa vestes pontificales, denique de Lasci et Buceri disceptatione circa coenam dominicam.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. — Edita latine in Epp. Tigurinis Cantabr. 1848. a Societate Parkeriana N. 264 pag. 370.)

Vigilantissimo ecclesiae Christi antistiti D. Henrico Bullingero

Tiguri.

S. P. Literas tuas humanitatis plenas accepi, pastor vigilantissime, quibus inter alia quereris non redditas omnes quas ad te dedi. Si nos non fefellissent homines, studium meum intellexisses ad ecclesiae anglicanae statum vobis significandum. — — — — Est illa meliori in loco quam fuit unquam. Impetravimus hic diligentia D. *a Lasco* superintendentis nostri ecclesiam extraneorum[1]) (quae in gallicam et germanicam partita est) ab omni superstitione liberam. Templum, quod rex eiusque senatus extraneis assignavit, purgatur et reparatur. Caeterum quum templi reparatio in longum tempus protraheretur, singulari Dei beneficio nobis Germanis templum quoddam cessit quorundam civium Londinensium gratia, in quo licet nobis concionari usque dum alterum templum absolvitur. Ego fratrum votis constitutus ecclesiastes durissimam provinciam invitus suscepi. Sed divinae vocationi non temere est reluctandum. Incepimus in hoc nostro templo concionari Septembris 21: et nunc adeo frequens coit Germanorum concio ut templum non capiat. Hunc felicem ecclesiae nostrae quum viderem successum, de ordine constituendo deliberatum est inter nostrates. Itaque huius mensis 5 die quatuor presbyteros iuxta ordinationem apostolicam ordinavimus, qui adsint ministro: non quidem in ministerio verbi, sed ad conservationem doctrinae et morum in ecclesia. Horum e numero est clarissimus vir D. Ioannes *Utenhovius*. Inaugurati sunt precibus publicis et impositione manuum. Die autem huius 12 quatuor itidem diaconos creavimus, qui pauperum exsulumque Christi curam gerant. Eadem prorsus fuit caeremonia quam in suis diaconis adhibebant apostoli. Multitudo credentium augetur indies, laus Deo! Si beneficio Dei ita per annos aliquot continuare dabitur, nostram Belgicam ignitis iaculis oppugnabimus et expugnabimus, spero, ut fugato vel fracto saltem Antichristo ibi regnet salvator noster.

De negotio D. *Hoperi* non est quod scribam copiose, quum ex eius literis, quas se brevi missurum dicit, certiora habere queas. Hoc tantum adiiciam, episcopos reliquos magnum illi facessere negotium. Est quidem D. *Hoperus* Glocestriae episcopus electus et iuratus, verum non, ut loquuntur, consecratus. Nam episcopi a sua consecrandi praescripta forma ne latum quidem unguem volunt discedere. At ea plane superstitiosa est: utque ipsi toti in hoc sunt ut *Hoperus* illorum subdatur caeremoniis, ita hic totus eas oppugnat, et ad apostolicas caeremonias omnia revocat. Nata est hinc gravissima disputatio de usu vestium in ecclesia. Episcopi duplici nomine vestes in ecclesia peculiares defendunt: primo quod res sint *ἀδιάφορα*, * deinde quod regia maiestas praescripserit, penes quam stat tollere vel praescribere in ecclesia res medias. Hic rursum negat *Hoperus* res esse medias, utpote quae dignitatem sacerdotii Christi obscurent, hypocrisin, superstitionem alant etc. Scripsit hac de re copiosissimas literas *Hoperus* ad comitem *Warwicum*: sed hic respondet, in rebus mediis parendum regi, offendiculum infirmorum vitandum exemplo Pauli voventis, rasi, et circumcidentis Timotheum. Respondit ei *Hoperus*, sed quid promoverit nondum video: imo huius mensis die tertio alias literas ad totum concilium eadem de re dedit, ad quas nondum responsum est. Pendemus inter spem metumque medii, imo principes in partes episcoporum declinare videntur. Faxit Deus ut hic falsus sim vates! Episcopi pugnant pro sua gloriola, quam praeferunt Christo.

D. *a Lasco*, vir ea integritate humanitate pietate et eruditione ut non facile dici aut scribi queat, iudicium suum de vestra cum Genevensibus concordia ante aliquot menses misit.[2]) Adfuit superiori

1409. 1) *De hac vide Utenhovium N.* 1399.

2) *Talis Lasci elucubratio in Opp. a Kuypero editis non legitur, quem omnino ad haec conferas in Praef. Tom. I. p.* 55 *sq.*

mense D. *Bucero*. Convenit inter eos de omnibus, excepto praesentiae corporalis in coena argumento. Conscripsit *Bucerus* capita suae sententiae de coena Domini. Ea reliquit D. *a Lasco* examinanda, in quae vir bonus et doctus annotationes adscribit, et opinionem *Buceri* fortissime confutat. Ubi absolverit remittet *Bucero* sua capita cum annotationibus. Precor Deum ut mentem illi aperire dignetur.

Πρόσκαιρος Musculi exstat gallice, [3]) cui multorum bonorum virorum iudicia eiusdem argumenti accesserunt, ut *Oecolampadii*, *Zwinglii*, ecclesiae Tigurinae, D. *a Lasco*, *Calvini*, etc. omnia hic elaborata. — — — — — — Octobris 13 anno 1550 Londini.

Tui studiosissimus et observantissimus
Martinus Micronius

Literas istas ante octiduum scriptas non obsignavi quod facile cogitarem obventura interim quae digna essent ut ad vos scriberentur. Et sane ita accidit. Nam deprehendimus totum senatum regium inclinatum ad partes episcoporum contra D. *Hoperum* in ista de vestibus controversia. Ad haec privilegium ecclesiae nostrae germanicae summo in periculo versatur. Sollicitando ac suadendo effecerunt episcopi apud senatum ut nobis liber sacramentorum usus non permittatur sed adstringamur caeremoniis anglicis quae omnibus pietatis studiosis sunt intolerabiles. Haec res maximum dolorem parit D. *a Lasco* et omnibus piis. Hoc vobis significare volui ut negotium nostrae ecclesiae commendare Deo dignaremini. — Bene vale. Octobr. 20.

Idem qui supra.

1410.

HALLERUS BULLINGERO.

Describit ex alterius epistola quaedam de Calvino, huius constantiam in disciplina exercenda illustrantia.

(Excerptum ex autographo Archiv. Turic. Plut. VI. Vol. 154, olim Scrin. B. Epp. Vol. 32, fol. 229. — Simler. Vol. 73. Inscriptio desideratur.)

Lausannenses multo iam tempore tacent. De *Calvino* audi factum mirabile, quod Antonius *Schorus* [1]) vir doctissimus qui ex Heidelberga pulsus Lausannam venit ibique moratur et magno applausu legit, ad Theobaldum *Nigrum* Argentinensis ecclesiae ministrum [2]) hisce verbis scribit: S. Oblitus sum quae ad te scribenda putavi de *Calvino*, ex quo tu de ecclesiarum et ministrorum nostrorum constantia et animo coniicias. Die Martis, quum multum *Calvinus* de idololatria dixisset, noluit de suggestu descendere nisi idololatra quidam dives, qui venit de S. Claudio, deposito puero quem ad baptismum attulisset, templum exivisset et munus alii commendasset. Magna id contentione est effectum, quia ex optimis Genevensium civibus erat, ut hodie nominantur boni viri. Haec ille. Hoc factum [3]) tanquam Ambrosiana celebratur constantia.

Farellus in frequentibus suis ad me scriptis nunquam non honestissimam tui facit mentionem, et rogat semper ut quoties ad te scribam toties suo te nomine salutem. — — — — — — Bernae 22. Octobris 1550.

Tui studiosissimus
Ioan. Hallerus.

1411.

CALVINUS MINISTRIS DURANDO ET NINAUX.

Invitat eos ad conventum collegarum ut iis praesentibus de permutatione stationum agatur.

(In Commentariis venerabilis ministerii Genevensis Vol. A. p. 95 leguntur haec:)

24. doctobre 1550.

Le vendredi les freres estantz assembles en congregation ordonnerent quon escriroit a Mes *Durand* et *Nynault* minis-

3) *De hoc Musculi libello v. ad N.* 1294. *Kuyperus l. l. p.* 69 *titulum affert hunc:* Les conseils et advis de plusieurs excellens et savans personnages sur le fait des temporiseurs. Et comment le fidele se doit maintenir entre les papistes. Gen. 1556. 12. *In quo etiam Lasci liber de fugiendis papistarum illicitis sacris. Quam fortasse novam editionem libri hic a Micronio laudati dixeris.*

1410. 1) *Ant. Schorus Hochstratensis Brabantinus philologus et prof. artium in Gymnasio Heidelbergensi comoediam composuerat a scholasticis publice actam, in qua mulier quaedam Eusebia dicta, h. e. Religio, frustra apud proceres et divites quaesito hospitio, ad pauperes et rusticos se recipere coacta repraesentabatur. Quum Imperator ab Electore severam de autore poenam sumendam exigeret, hic fuga sibi consuluit, et Lausannae receptus ibi iam a.* 1552 *obiit. Exstant eius scripta varia philologica (Struve, pfälz. KG. p.* 37). *Cf. N.* 1368.

2) *ad veteres S. Petri aedes, unde ob Interim expulsus, demum a.* 1560 *iam senex denuo munus auspicatus est.*

3) *de quo alibi nihil legisse meminimus.*

tres d'Armoy et de Draillant[1]) afin quil se trouvassent au vendredi suyvant en la congregation pour adviser sur le changement de leurs personnes en dautres paroisses suyvant ce que Messieurs nous avoient requis.

La teneur des lettres qui ont este envoyees a chacun diceux:

Quoniam die Veneris proximo[2]) de statu ecclesiae tibi commissae nobis tractandum in conventu erit, censuimus te vocandum, ut consultationi, si ita visum tibi fuerit, intersis. Nam et tua interest te prius esse admonitum quid simus acturi, et ad commune exemplum pertinet. Quod tibi diem indicavimus, id argumento sit, moderate et quo decet ordine hoc negotium gubernari. Tua igitur culpa erit si quid te absente secus quam optares transigitur. Vale, frater in Domino carissime. Dominus te spiritu suo regat in ecclesiae aedificationem. Genevae 24. Octob. 1550.

Ioannes Calvinus
omnium nomine.

Lesdicts *Durand* et *Nynault* ne comparurent point, mais *Durand* apporta quelques lettres a Messieurs.[3])

1412.

BADUELLUS CALVINO.

Mulieres ei quasdam commendat Genevam proficiscentes, ipse si Deo placet tandem aliquando sequuturus.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 18.)

A Monsieur Monsieur Charles Passel.

Mulieres quae tibi has literas sunt redditurae non solum cives meae sunt, verum etiam vicinae, ea familiaritate ac necessitudine mihi coniunctae qua nulla gravior aut sanctior esse potest. Ea coniunctio amicitiae nostrae est christiana, quam communio Iesu Christi eiusque spiritus inter nos peperit. Mutua autem caritas et summa morum puritas et sanctitas in omni vitae consuetudine perspecta eam maximopere confirmavit. Itaque sic eas diligo in spiritu ut, si sorores essent germanae et illae piae, non possent mihi esse cariores. Ex eo te iam intelligere arbitror si hoc tempore quo ipsae ad te proficiscuntur, ut te ecclesiamque vestram videant consolationemque aliquam accipiant, ego habeam iustam causam ad te scribendi easque tibi commendandi. Quanquam sunt ipsae quidem per se dignissimae singulari tuo et studio et solatio, tamen nullo modo committendum fuit ut feminae mihi tam familiares ac necessariae ad te amicissimum sine meis literis profectae esse dicerentur. Adiunxissem eis comitem sanctissimi itineris uxorem meam, nisi uterus foetu paulo gravior ac partui iam vicinior impedisset. Lubentissime vero ego eas comitatus fuissem, nisi aut mea me professio quotidianaque docendi ratio detineret, aut me iam non ad visendum vos sed ad transmigrandum habitandumque vobiscum, et vivendum et moriendum, compararem. Itaque hoc tempore per Christum Iesum communem dominum ac servatorem maiorem in modum a te peto atque oro ut has sorores nostras ea benevolentia caritateque accipias qua omnes sanctas mulieres atque homines Deum metuentes et accipere et amplecti et consolari soles, omnique pia diligentia efficias ut eum solatii fructum in patriam ad suos reversae referant qui ex tam sancta *ὁδοιπορίας*[1]) est exspectandus. Summus autem ac praestantissimus est fructus ut ad nos reversae Dominum Iesum Christum constanter confiteantur, atque Antichristum eiusque totam synagogam impiam et sceleratam ita detestentur ut ad vos redire velint, atque in sinu amplexuque amabilissimae vestrae ecclesiae perpetuo vivere ac conquiescere. Nam ea est hic apud nos vis tenebrarum et magnitudo corruptionis ac oppressionis ut locus piis nullus plane esse videatur. Exeundum est igitur de medio istorum eundumque eum in locum in quo domus Dei constituta habitatioque sanctorum omni laude Dei ac Christi et gaudio solatioque piorum celebratur. Hoc in genere plurimum valuit gratia Domini et vestra consolatio superioribus mensibus declarata et praestita *Archidiacono* civi nostro, qui ita a vobis dimissus ad nos rediit, ut eius reversio multos ad timorem Dei excitarit, discessio vero ex his locis ab eo suscepta et transmigratio plures excitatura videatur.

Quid ego tibi de me scribam, qui etsi nunquam ecclesiam vestram viderim tamen spiritus communione ita sum cum ea coniunctus, ut mihi aut pro-

---

1411. 1) *Armoy et Draillans étaient des enclaves du bailliage de Thonon, et Genève en était patron. Durand-Charroux était pasteur depuis* 1543, *Pierre Ninaux depuis le* 8. *Sept.* 1545.

2) 31. *Oct.*

3) *Dans les Registres du Conseil d'état nous ne trouvons, relativement à cette affaire, que cette seule note au* 30. *Oct. Vol.* 45, *fol.* 117*:* Icy M. Calvin ministre a adverty comment luy et les aultres de leur congregation auroient adverty les ministres dArmoy et Draillian de se trouver icy a la congregation et ce pour suyvre a ce leur est commande de adviser sus la mutation desdicts ministres et touteffoys il a entendu comment quil ne font semblant dy venir combien que ledict dArmoy soit icy: pourquoy il supplie y avoir bon advys.

1412. 1) *sic.*

pediem ad vos sit abeundum aut hic moriendum pro nomine Domini, qui me dilexit moriens pro me. Utrum autem sit melius, Dominus pro sua sapientia viderit. Ego certe ad utrumque sum paratus, vosque per Christum maximopere rogo ut precibus vestris me adiuvetis, ac Dominum oretis ut quod coepit in me confirmet et perficiat, meque ita sibi adiungat ut nulla vis me ab eo possit divellere. Librum de quo ad te ante scripsi mittam his nundinis ad *Gryphium* Lugdunum.[2] Simul atque impressus erit mittam ad te. Bene vale in Domino, frater carissime. Nemausi pridie Cal. Novemb.[3]

Tuus App. Claud.

1413.

PACEUS CALVINO.

A laudibus Calvini suo et aliorum nomine exorsus quaedam refert de turbis bellicis circa Magdeburgum, tum maxime controversiam adiaphoristicam recolligit et Calvini sententiam de ea audire cupit, quamvis dudum cognitam.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 35.)

Viro Dei summo et merito suo maximo immortali aeternaque memoria et celebratione dignissimo domino D. Ioanni Calvino non Genevensis modo sed omnium ubique ecclesiarum Iesu Christi crucifixi terrarum prophetae ac interpreti doctorique uni omnium doctissimo fortissimoque domino praeceptori amico et tanquam fratri in Christo aeterna veneratione colendissimo suo caett.

S. Primum, ut debeo, gratias tibi ago, ceu praeceptori doctorique in Christo, et fratri atque amico nunc adeo, quam mirificas maxime et immortales, quod pro humanitate pietateque adeo tua non tantum in amore mutuo ita responderis, sed literis etiam familiariter docte graviterque et amicissime perscriptis de rebus multis gravissimisque ita nobiscum veluti colloquutus sis. Crede mihi, lectis tuis literis non me solum sed alios quoque *τοὺς γνησίους καὶ ἀνυποκρίτους ἐν τῷ Χριστῷ συναδέλφους αὐτοκασιγνήτους* exsiluisse gaudio: in quibus D. Philippus *Melanchthon* ipse, quum mihi tuas ad se recitasset atque ego vicissim ad me tuas[1]) darem legendas, quique cum ipso Wittenberga in his nundinis huc ad nos venerant,[2]) quorum etiam fuit Laelius *Socinus*,[3]) Georgius *Maior*,[4]) Paulus *Eberus*,[5]) D. *Scotus*[6]) professor Francoforti publicus, aliique praeter istos nostros, quos ex te, uti mandaras, diligenter officioseque salutaveram omnes: dici non potest quantis te laudibus celebrarent, quam te in oculis ferrent, quantum eruditioni, humanitati, pietatique tuae deferrent. Vera loquor, neque ad gratiam quidquam, sed ut res ipsa se habet omnino, et audivisse ex aliis te quoque opinor quomodo D. *Philippus ὁ μελ. ὁ . . . . . τατος*[7]) non privatim modo sed publice saepissime etiam in praelectionibus suis et auditorio frequentissime commendare te tuaque omnia studiosis soleat. Utinam propius nos esses ut congredi coram nonnunquam liceret. Sed sarciamus literis quod possumus. Equidem si scirem quid potissimum scribi a me desideres, ad id me potissimum accommodarem, neque, si modo sint quibus recte dem, occasionem ullam unquam omitterem per literas ultro citroque, *καὶ πάντα μὲν περὶ πάντων* confabulandi, veluti[8]) controversia illa, quam et tu et amici Tigurini uno veluti ore ita pertractant, necdum apud nos sopita est tota. Et verendum ne, si bellum isthuc[9]) saxonicum recrudescat, maximas nobis turbas vel sola sit datura.

Quum haec scriberem bona spes erat opera ducis *Augusti* nostri[10]) principumque Anhaltinorum, e quibus *Wolfgangus* cum *Augusto* ingressi erant Parthenopolin,[11]) componi aliquo modo et pacificari posse omnia. Dux elector *Mauritius* milites et exercitum, quem a Brunswigo propius Magdeburgum adduxerat D. *Georgius* Megalopyrgensis, in fidem suam et imperium suscepit nomine Caesaris, ut fertur, et statuum Imperii, a quibus et Bremensis et Magdeburgensis citati sunt Augustam: inque ipso citationis tempore dieque, priusquam redderentur literae imperiales, accidit ut agricolae, quorum vi-

---

2) *Erant hae* Annotationes in M. T. Ciceronis orationes pro Milone et pro Marcello. *Prodierunt demum a.* 1552.

3) *De anno nihil est quod dubites. Uxorem gravidam vidisti et partui vicinam. Quam Ianuario vel Februario* 1551 *peperisse leges suo loco, ipso patre iam Lugduni commorante.*

1413. 1) *N.* 1380 *et* 1381.

2) *Melanchthonem d.* 18. *Octobris Lipsiae fuisse constat.*

3) *quem scimus m. Iulio Wittenbergae fuisse: quousque ibi remanserit incertum.*

4) *Lutheri et Melanchthonis olim discipulus nunc collega. Obiit* 1574.

5) *ex Franconia oriundus, Melanchthoni familiaris, prof. Wittenbergensis, postea Bugenhagenii successor in ministerio. Obiit* 1569 *superintendens generalis eccl.*

6) *N.* 1368.

7) *Vox dubia.*

8) *Vocabulum, satis quidem distincte scriptum, in autographo praecedentibus iunctum videtur; verum etiam sequentibus iunctum phrasin non sanat.*

9) *sic. — Bellum quod mĕtuebat anno demum* 1552 *exortum est*

10) *Mauritii fratris et mox successoris.*

11) *Magdeburgum.*

cos et praedia invaserant milites isti, implorato auxilio senatus Magdeburgensis, eruptionem facerent, cumque curribus falcatis et levis armaturae apparatu et bombardis (*feltgeschütz* nostri vocant) magnaque manu quater aut quinquies plures quam istorum erant, sed collectitio milite signa cum veteranis illis et exercitatissimis conferentes, dissuadente frustra comite a *Mansfelt* Alberto aliisque peritioribus, fugatis captisque reliquis caesi sunt ad 2200, rusticani ex maiore parte homines et, ut senatus Magdeburgensis edito libello testatur, non ultra 200 tamen ex ipsorum civibus et militibus stipendiariis. [12]) Sed tamen quae et quanta fuerit trepidatio nemo facile nisi qui adfuerit credat. Dissimulantur tamen ab ipsis in urbe quantum potest et elevantur incommoda omnia. Et ut antea implorantur auxilia nomine evangelii, propter quod potissimum pati se dicunt, negantibus omnino aliis, ut audivisti opinor. An autem bellum aut pax futura sit, intra paucos dies resciemus, teque nisi tibi molestum fuerit certiorem faciemus.

De actis comitiorum [13]) constare tibi non minus puto, magisque quam nobis fortasse. Restare putantur certamina multo maiora quam sint *ταῦτα τὰ ἀδιαφορικά*. Et iam nunc proponuntur a quibusdam magnis in republica atque etiam in ecclesia theseis et hypotheseis tales: Quum monarchae velint omnino haereseis et schismata in Imperio sublata publice et repressa posthac omnia, si impetrari forte possit ut salva nobis doctrina salutis et articulis dogmatum praecipuis omnibus, anne in ritibus et ordine ecclesiae sequenda sint saecula Augustini, Hilarii, Cypriani, Irenaei etc., aut si permitteretur vobis Chrysostomi aut Basilii ratio, ac liturgiae formulae incorruptiores? Nam quae vulgo feruntur non minus alicubi habent additionum. Vereor et pernovi ex collatione vetustissimorum manuscriptorum exemplarium quam vel Ambrosiana vel Gregoriana nostraque sint, ne quantum possit salvis ut ferunt dogmatibus ad antiquissima illa et primitivae ecclesiae accomodanda potius, quam relinquendae nobis, omnibus ac singulis ecclesiae lupisque manifestariis prodendae. [14]) Non volunt autem videri nostrates certe quidem in his deliberationibus quasi in gratiam papistarum ista facturi sint plane, sed tantum in gratiam nostrarum ecclesiarum, ne illae sine causis necessariis dissipentur et a nobis relinquantur. Et nunc maxime illa tantum urgent, de quibus in scriptoribus ecclesiasticis veteribus contra nos reperiunt testimonia nonnulla. Quamvis sint etiam, multique illi quidem et magni, ut dixi, viri, qui contra etiam iactitent, in dogmatibus Augustini se malle Ambrosiique etc. verbis ac sententiis uti quam *Lutheri*, aut tuis, aut *Philippi*, aut *Brentii* etc., ut de peccato in renatis, libero arbitrio, iustificatione: quae omnia tamen qui rectissime commodissimeque sentire volunt videri, formulasque illas in colloquio Wormatiensi Hagenoensi et Ratisponensi circiter annum 1540 *Luthero* ipsi atque etiam *Eccio* non improbatas, amplectendas censent. Et quum de dogmatibus principalibus inter doctos et moderatos consensionem, ut ipsi putant, tolerabilem per omnia facile sint inventuri, ut in ecclesiis nostris quemadmodum hactenus *ἀκολύτως*, [15]) quod ad substantiam rerum et sermones *τοὺς ὑγιαίνοντας* attinet, *ὀρθοτομοῦμεν*, manendum nobis potius in statione censent, et formulas ac ordinem rituum pro superiorum et ecclesiae voluntate ad pacem et concordiam cum aliis ecclesiis omnibus sarciendam. [16]) Ac in omni summa summarum neque praesentem neque mutatam rationem ferre posse diutius ullo modo contendunt, ut posthabitis et reiectis omnibus in universum tam graecae quam latinae ecclesiae antiquissimis ordinationibus quaeque natio aut regio novam et singularem excogitet aut retineat: sed aut Basiliana graeca, aut Ambrosiana Gregorianave aiunt potius latina, et Isidori arabica sequenda, ni schismatici omnino ut minimum, nedum haeretici aut novatores certo et temere ab orthodoxis catholicisque omnibus omnium saeculorum variantes atque ordinis perturbatores audire condemnarique a Caesare cum suo Interim et concilio Tridentino malint.

Heic heic, mi frater et praeceptor in Christo colendissime *Calvine*, explica te totum quaeso nobis, ut in proximis literis *περὶ τῶν ἀδιαφόρων* quam clarissime copiosissimeque *ἀφοριστικῶς τε καὶ συλλογιστικῶς ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίων φαλερῶν τε ῥηθορικοτέρων*. [17]) Etsi nos cum certis quibusdam, rarioribus tamen quotidie magis magisque, fratribus Germanis fortiter et in faciem illis disputando publice in academia concionandoque restitimus hactenus, sunt tamen inter nos imbecilles quidam minusque firmi, quibus illi fucum faciunt autoritate et consensu illo, ut aiunt, catholico omnium retro saeculorum ad ipsos paene usque apostolos, a quibus omnibus dissentire non possint sine sectarum nomine et accusatione et condemnatione accedente

12) *De hoc proelio quod factum est d 22. Sept. cf. Sleid. III. 213. Ranke, V. 141. Caeterum aliqua difficultas circa temporum rationem inde oritur quod dicit se scribere dum adhuc bona spes erat pacis i. e. ante has turbas modo narratas, et tamen iam mentionem facit Melanchthonis post Idus Oct. demum Lipsiae commorati.*

13) *quae 26. Iulii inchoata nunc etiam agebantur.*

14) *Si tu quid lucis desideraveris huic loco intelligendo necessariae, ne quaeso a nobis requiras.*

15) *sic.*

16) *Etiam haec confusa satis confusum ingenium produnt.*

17) *sic.*

et accessuro praesertim imperii totius romani conciliique ut ferunt oecumenici legitimique calculo et suffragio.

Sed longior sum tibique molestior quam equidem instituerim initio aut voluerim. Et in recensendis adversariorum voculis a te diluendis verbosior quam vel tuae vel meae alioqui ferant rationes. Sed tamen quia audiuntur illa et circumstrepunt apud nos quotidie, magisque sine dubio statim a comitiis Augustanis et sub concilium praesertim Tridentinum iactabuntur ad seductionem et perditionem multarum, ut veremur, animarum, sententiam tuam, mihi quidem iam olim ex scriptis tuis publicis non ignotam, repeti tamen in privatis etiam ad me literis ad multorum consolationem percupio. Ac vicissim tibi ecclesiae nostrae universae, omniumque nostrum studium, operam, fidem, diligentiam, animo libenti prolixoque spondeo atque recipio. Ora Dominum pro nobis vicissim, frater, tuosque ac nostros omnes reverenter ac perquam officiosissime saluta. Datis ocyssime in ipso nundinarum nostrarum autumnalium [18]) strepitu 1550.

Humanitati tuae aeternum deditus
addictusque ex animo
Valentinus Pacaeus
minister et professor Christi crucifixi indignus.

Iacob *ὁ Ἀαρών* noster multa mihi retulit de ordine ecclesiae vestrae *καὶ περὶ τῶν ὅλων*, quae si latine possunt haberi, gratissimum mihi faceres si ad nundinas proximas per hunc ipsum *Aarona* transmittas. Pervelim etiam catalogum nos posse habere editionum tuarum omnium, itemque quid daturus sis nobis brevi et posthac.

1414.

VECHELDTUS [1]) CALVINO.

Commendat aliquos ex Italia redeuntes et Genevam quoque invisuros. Ipse sperat fore ut eos olim sequi possit.

(Ex autographo Cod. Genev. 110, fol. 107.)

Vitae innocentia pietate et in Christi ecclesiam fide probatissimo et clarissimo viro D. Ioanni Calvino domino et amico suo observandissimo.

S. Si quid hic esset quod te scire oportere existimarem, vir amplissime, domine observandissime, scriberem id ad te, quum libenter tum pro mea in te observantia, pluribus etiam verbis diligenter. Nunc omnino eiusmodi res sunt nostrae ut quid tibi literis significem plane non habeam. Deinde, quod ad me attinet, eos quoque mihi videor nactus homines qui illa ad te multo commodius sint perlaturi, quam ipse ullis literis tibi queam explicare. Romam usque ex Germania Italiam videndi studio nuper progressi quum ad nos rediissent, autor illis fui ut omnino illac reverterentur, operaeque pretium facturi, si ecclesiam Dei, apud vos longe alia ratione quam Romae triumphantem, adspexerint. Viri sunt docti et in vera pietate optime instituti. Quare si ad vos usque pervenerint, ut pro solita tua humanitate in colloquium eos admittas, et id etiam meo nomine lubentius ut facias plurimum te rogo. De *Melanthone*, quem non diu est quod reliquerunt, et de aliis Germaniae rebus poterunt te *κατὰ λεπτὸν* de singulis facere certiorem. Ego literarum brevitatem deprecatus tibi me cupio perpetuo esse commendatum, et idem quoque amicis nostris *Gallasio, Budeo,* [2]) *Tria* [3]) et magistro Lugdunensibus, cum D. *Normandio* probari optarim, quibus si salutem impartiri meo nomine dignatus fueris, gratissimum mihi feceris. Quod restat, precor Deum opt. max. ut te cum coetu tuo quam diutissime incolumem servet, et ut vos ita aliquando rursus aspiciam pro divina sua bonitate faxit. Spero enim, quamprimum mihi prae patriae turbis licuerit, ex hac me Babilone subducturum et in recessu vos iterum invisurum. Vale. Bononiae 4. Idus Novemb. 1550.

D. T. addictissimus
Herman. Vecheldt.

1415.

CALVINUS FARELLO.

Multa et varia habet de rebus anglicanis ex Utenhovio, de suis ipsius lucubrationibus, inter quas recognitio bibliorum gallicorum, de quodam sibi commendato quem uxori conciliare debuerat, de Vergerio, Stephano caett.

18) *Etiam ex aliis huius epistolae locis efficies nullo negotio eam post Idus Octobres scriptam fuisse.*

1414. 1) *De hoc viro vide ad N.* 1233. *Epistolam hanc Calvino non ipsi quibus commissa erat tradiderunt, quum consilio mutato Geneva non transierint, vide N.* 1420.

2) *utri? Ludovico an Ioanni?*

3) *Guilelmo Trie de Varennes qui sororem Budeorum duxerat (Galiffe, Not. IV.* 380). *Forma tamen nominis satis singularis in latino. Hic Lugduno Genevam venerat, sicut et Hotomanus qui fortasse sub nomine magistri latet.*

(Ex autographo Cod. Genev. 107[a], fol. 38. — Exstat praeterea in Cod. 111, fol. 245, in Epp. Bern. VI. p. 86 et apud Simlerum Vol. 73. — Anglice versa legitur in edit. Edinb. II. 268.)

Eximio Christi ministro Guillelmo Farello ecclesiae Neocomensis fido pastori fratri et symmystae integerrimo.

S. Quod ad statum regni anglicani [1]) pertinet, hoc tantum *Hugoni* mandaveram ut tibi narraret, laetos illic esse evangelii successus. [2]) Gallis et Germanis esse permissum ut in sacramentis puram ac simplicem habeant rationem quam nos sequimur. *Regem* ipsum ita esse erga religionem affectum, ut aliquod etiam mei studium ostenderet. Verum quia ex literis *Utenhovii* melius id totum intelliges, plura non addam.

Cum altero fratre nihil propemodum sermonis habui. Nam quum simul egressi essemus ex templo, incidi forte in syndicum *Corneum*, cum quo dum progredior bonus ille vir elapsus est, neque ad me postea rediit. Vereor ne in contumeliam suam acceperit quod syndico a me fuit posthabitus. Sed eius facilis apud te erit excusatio, vel potius nulla esse debet.

Nunc in Angliam redeo. Hauries [3]) ex eodem fonte alia quaedam. In quibus unum istud mihi, ut verum fatear, minime probatur: Ioannem *a Lasco* tantum posse, quem vereor ne aulici venti huc illuc agitent quum ad minimas auras flectatur. *Regem* ipsum hactenus stimulare ausus non sum, quum me subinde nonnulli hortati essent. Nunc illi Iesaiam dicare institui. Sed quia mixtus est alterius labor, [4]) epistolae canonicae, quae simul exibunt, auctarii loco opportune, ut mihi visum est, accedent. Utrumque ergo opus eius nomini inscribam.

Tu vero Acta et Genesim, foetus vixdum in utero conceptos, quid commemoras? In Actis quam lente progrediar, fateri pudet. Et ex tertia parte, quae absoluta est, longum fore volumen prospicio. [5]) Genesim ad tempus omittere necesse fuit. His quatuor mensibus Novi Testamenti correctio me occupavit. Nunc ad bonam Veteris Testamenti partem invitus trahor. Typographos nostros in tempore admonueram, ut idoneos ac mei dissimiles ad hanc provinciam obeundam sibi deligerent. Quum meo consilio non paruerint, ignaviae suae poenas mihi iniungunt. Effeci quidem ut Ludovicus *Budaeus* [6]) Davidem, Solomonem et historiam Iob sibi sumat. Sed labore suo tantum me sublevabit, non prorsus eximet molestia. Apocrypha in *Bezam* reieci. Qui facerem? Multi sibi biblia postulant. Nullum pridem exemplar invenitur. Nemo est qui onus suscipiat. Ita ad bovem redeunt ephippia. [7]) Aliquid etiam temporis in gallica versione libelli de Scandalis consumptum est. [8])

Tametsi nugis istis frustra te obtundo: nec vero, si mihi ratio reddenda sit cur ita ineptiam, possum dicere. Hoc vero affirmo, non absque pudore me illam legisse epistolae tuae [9]) partem ubi diligentia mea laudatur, quum mihi et pigritiae et tarditatis sim probe conscius. Faxit Dominus ut paulatim pendo semper aliquid proficiam. [10])

Bono viro, [11]) qui tuas mihi literas attulit, opera mea non deesset in reconcilianda ei uxore, si quid spei ostenderetur. Et certe ea in re nimium mihi parcis. Nam quod tibi antehac scripsi non recusandi laboris causa factum est. Nunc sibi cum uxore bene convenire dicit. Cras autem novas rixas exspecto. Nam illa mire garrula est et procax, deinde parum morigera. Maritus adeo morosus ut ne umbram quidem suam ferat. Itaque minutissima quaeque colligit in quibus uxorem reprehendat. Praeterea ex eo est hominum genere qui sibi plus aequo sapiunt. Quo magis ipse sibi placet ac intus plaudit, eo fastidiosius ab ea respuitur. Sic habe, eos non posse simul habitare quin perpetuo litigent.

A *Bucero* nihil pridem literarum accepi. Quid agat *Vergerius* nescio, nisi quod Tiguro mihi scripsit, certis rationibus se fuisse impeditum ne ad ecclesiam

---

1415. 1) the circumstances of the king.

2) *Utenhovii epistolam N.* 1399 *non ita pridem accepisse videtur.*

3) *Quae hic ad Lascum pertinent in autographo cancellata sunt, quod Beza prelo destinasse videtur.*

4) as I thought there would be room enough for an overplus. — *Iste scil. ignorabat Commentarium in Iesaiam non fuisse genuinum Calvini opus, sed a Gallasio ex eius praelectionibus concinnatum. Dedicatio in Iesaiam scripta fuit d.* 24. *Dec. altera d.* 24. *Ian. Utrumque volumen hoc mense prodiit.*

5) the third part . . . . will make a large volume. *Imo ex ea quam iam absolvit parte, ne opus totum in nimiam molem excrescat timere se dicit. Acta prodierunt a.* 1552, *Genesis a.* 1554.

6) *prof. l. hebr. Genevensis, Ioannis frater. Psalterium eius gallice versum ex hebraeo prodiit a.* 1550 *separatim.*

7) *Locus hic satis magni momenti est ad illustrandam historiam bibliorum Genevensium, verum et hic non satis affert lucis. Calvinum versionem N. T. revidisse vides, et ex V. T. libros historicos et prophetas conieceris. Sed quando hic labor prelum reliquerit nescimus. Prodierunt quidem biblia gallica a.* 1551 *ap. Crispinum et Tournesium Genevae, sed neutrum exemplar hucusque nancisci potuimus. Verum teste Le Long, satis dubiae fidei autore, iam a.* 1550 *exiisse alia dicuntur, cui notitiae Calvini ipsius affirmatio repugnare videtur, quippe qui pridem nulla Genevae inveniri asserat. Exemplar Tournesii Lugdunense anni* 1551, *quod ipsi possidemus, Calvini praefationem non continet.*

8) *Autorem ipsum et solum hanc versionem procurasse ex hoc loco efficere si quis voluerit, contradicere non praesumimus: verum res non omni dubio eximitur.*

9) *N.* 1401.

10) to be in some manner useful. *Imo ut laborando ipse prodeam.*

11) *Hoc totum comma omisit translator.*

suam tam cito rediret. [12]) Solum timeo ne satagat, ut inquieta gentis illius ingenia nosti.

Robertus *Stephanus* nunc totus est noster. [13]) Brevi audiemus quanta Lutetiae tonitrua excitaverit eius discessus. Certe umbratiles philosophi prorsus insanient.

Prima veris temperies, si Dominus permiserit, viam mihi ad vos aperiet: quando, ut sperabam, et maxime optabam, proximis vindemiis non veni. Collegae omnes mei, *Normandius* cum socero, [14]) *Budaeus* alter qui hic est (nam *Ioannes* in Galliam profectus est ut socrum [15]) adducat) *Trierius*, [16]) alter *Colladonius*, te ex animo et quam possunt amantissime te * salutant. Idem faciunt alii permulti. Tu compatri meo *Christophoro*, *Fatono*, *Michaeli* et familiae tuae plurimam ex me salutem dices. *Mirabilem* quoque nolo praeteritum. Mare scandalorum a me libando absorptum esse ne mireris: scito me timuisse ne, si exhaurire vellem, me prorsus deglutiret. Dominus te diu servet incolumem, semperque laboribus tuis benedicat. Genevae 10. Novemb. 1550.

Ioannes Calvinus tuus.

1416.

UTENHOVIUS CALVINO.

Pecuniam a Garsio nondum recuperare potuit. Denuo agitur de dedicatione Regi Eduardo nuncupanda. Inter res anglicanas quas obiter attingit, prolixiora facit verba de controversia Hoperi et episcoporum circa vestes sacerdotales.

(Ex autographo Cod. Gothani 404, fol. 777.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino ministro verbi fidelissimo ac praeceptori observando.

Genevae.

S. P. Postremae tuae [1]) ipsis Idibus Augusti primum mihi fuerunt redditae, quibus ego, atque adeo prioribus, paucis post diebus respondi fusissime: [2]) neque dubito, quantum coniectura consequi possum quin meas per nundinatorem aliquem Francofordianum iam dudum acceperis. A Petro *Garsio* [3]) nihil adhuc accepi pecuniarum. Ille vero iam denuo praesente *Vanvilio* fidem dedit, se eam mihi numeraturum esse praesentibus ministris ecclesiae gallicanae quum primum ipse volem: nondum tamen occasio aliqua commoda potuit obtingere qua pecuniam hanc ab eo acciperem. Interim tamen iube creditorem ipsum bono esse animo. Dabo enim operam ut brevi quidquid ei debetur a *Garsio* mihi numeretur ac etiam isthuc prima commoditate transmittatur. Illud vero mihi videtur omnium tutissimum, ut ad nundinas proximas istaec pecunia Francofordiae assignetur, quod ut fiat omnino curabo favente Domino. Mittam autem quae huc pertinebunt ad Adrianum *Edingum* qui ibi alit familiam. Vos vicissim date operam ut aliquis Genevensis nundinator eum accedat, ut resciat a quo pecunia haec recipienda erit: tametsi verosimiliter existimem per *Burcherum* institorem Richardi *Hillaei* numeratum iri, [nisi malitis me huic grammatophoro eam in reditu suo numerare]. [4])

Scripseram tibi nuper, D. *Hopero* ac mihi videri consultum ut Esaiam, primitias tuas in Vetus Testamentum, inscriberes *Regi*. Quod an feceris nescio. Descripseram quoque quaedam, uti rogaveras, capita, quorum in epistola, saltem privata, eum admonere esset operae pretium. Inter ea autem ne committito, quaeso, quin praedices insignem eius pietatem, quam in datione peregrinorum ecclesiae, quae in omnimoda puritate ex verbo Dei consistit, declaravit. Ubi non abs re fuerit, factum hoc atque adeo ecclesiam ipsam eiusque necessitatem utilitatemque paucis efferre, ut interim et aliquid in laudem D. *a Lasco* illius ecclesiae episcopi, si ita videbitur, adferatur. Adeo enim sunt hic multi qui nostrae huic invident felicitati, ut metuendum sit, nisi Dominus impia quorundam studia ac conatus impediat, hanc nostram libertatem nobis tandem ademptum iri. Ne committe etiam quin eum horteris ad puram religionem accipiendam, profligata prorsus omni commixtione ac superstitione. Multa

12) *Cf. N.* 1387 *not.* 6. *Si Meyero l. l. fides habenda, dudum Turico discessit et haec eius epistola minime recens.*

13) *Fata Stephanorum Genevensia relata invenies ap. Sénebier, hist. litt. p.* 355 *ss. Haag, France prost. s. v. Estienne, et Ed. Reuss, in Herzogii Encycl. s. v. Stephanus. Causas cur Lutetiam reliquerit, scil. Sorbonistarum persequutiones, ipse exposuit in libro:* Les Censures des Theologiens de Paris par lesquelles ils avoyent faulsement condamné les Bibles imprimees par R. Estienne imprimeur du Roy, avec la response d'iceluy R. E. Traduictes du latin en françois. MDLII. 8. (*Gaullieur*). *Genevam venisse videtur m. Novembre, et iam a. d. III Idus huius mensis Senatus de eo egit deque matrimonio eius cum secunda uxore Margareta Des Champs dicta Du Chemin.*

14) *N.* 1365, *not.* 2.

15) *Matrem Ionvillaei, Magdalenam Imbault, sacris pontificiis fervide addictam* (*N.* 1358, *not.* 1. 2). *Nomen mariti eius fuit Rogerin de Jouan Sr. de Ionvilliers.*

16) *N.* 1414, *not.* 3.

1416. 1) *nobis deperditae, sicut et priores illae de quibus proxime scribit.*

2) *N.* 1399 *ubi plura reperies quae hic denuo attinguntur.*

3) *Nomen aliter enunciatur N.* 1313 *et loco modo laudato not.* 6.

4) *Haec in margine.*

enim adhuc nobis hic desiderantur ad absolutam in religione reformationem.

[Observavimus *Hoperus*, *Micronius* et ego, quaedam in libro reformationis anglicanae ecclesiae quae parum piis omnibus probari possunt, quorum catalogum legas in chartula adiecta. Ea autem esse multo verissima, nihil dubita.] [5])

Porro D. *Hoperus* habet grave certamen cum episcopis qui columnae anglicanae ecclesiae esse videntur, idque ideo quod in inauguratione seu consecratione, ut vocant, episcopatus sui detrectet vestes. [6]) Et certe ipse nullo prorsus modo episcopatum ipsum a R. M. dum offerretur volebat admittere nisi liberum ei esset ab usu vestium abstinere. Hanc autem libertatem a senatu atque adeo duce *Somerseti* impetraverat repugnantibus episcopis. Episcopi autem metuentes suo ministerio, vel saltem rationem aliquam suae existimationis habentes, quum autores sanctae scilicet huius constitutionis de ferendis vestibus fuerint, factum tulerunt indignissime, variisque argumentis apud magistratum contenderunt nihil particulare contra legem communem esse admittendum, nisi senatusconsulto seu parlamento novo immutetur, ac praesertim in casu praesenti, ubi vestes bona conscientia a christiano homine, ut ipsi opinantur, admitti possunt. Huc attulerunt episcopi multa quae nunc non est narrandi locus. Et quum pii ac sancti homines a magistratu haberentur, sicuti sane multis argumentis speciem aliquam pietatis declararunt (quanquam a vera pietate suae ipsorum gloriae nimium studiosi longe absunt), specie quadam recti magistratui imposuerunt, inque suas partes pertraxerunt, adeo ut fere magistratus totus *Hoperum* videatur velle adigere ad vestes in inauguratione admittendas. Ille vero contra persistit, neque ullis episcoporum minis aut senatus persuasionibus ab instituto dimovetur, aiens homini christiano et ex verbo Dei de impietate usus vestium in ministerio ecclesiae edocto non licere eis ullo pacto uti. Rationes seu argumenta quibus hic est usus *Hoperus* potissimum sunt varia offendicula, superstitio ac scissio unitatis, et inprimis obscuratio dignitatis sacerdotii Christi domini, quae omnia secum trahunt vestes ministeriales. Quae omnia episcopi ipsi parvi faciunt. Et dicunt vestes hic politice tantum esse institutas a R. M. pro decore et ordine. Ille autem contra dicit multa quidem licere magistratui, verum potestatem datam non ad destructionem aut contra veritatem, sed pro veritate, omniaque ad ordinem et aedificationem, hoc est, augmentum pietatis in ecclesia esse instituenda, formamque inaugurationis ministrorum non esse politicam, sed ex verbo Dei ac observatione apostolorum petendam esse. Eo tandem res devenit ut dicant episcopi eum esse rebellem, inobedientem legibus regiis, eiusque exemplo factum iri ut populus studia * in contraria currat et *Regis* mandata pariter aversetur ac detractet, [7]) quum tamen nullus episcoporum omnium ita unquam sedulo populum ad obedientiam *Regi* praestandam sit adhortatus ac ipse unus. Sed quid? Fieri non poterat quin tanta intemperies tandem suboriretur: adeo enim episcoporum animi ex admiranda *Hoperi* libertate, qua hactenus semper est usus, fuerunt laesi ac concitati ut tandem ulcus eruperit. Dominus Deus largiatur eis meliorem mentem. Si quid huius rei admoneres ducem *Somerseti*, apud quem non parum potes, non videreris abs re facturus. Dolendum est certe quod tanta turba tali viro excitetur, qui plus profuit hoc sesquianno regno suis concionibus, quam episcopi omnes unquam suis vestibus sunt profuturi.

Caeterum utinam is qui has defert cito ad nos cum tuis literis redire posset, ut ad parlamentum proximum, quod sub finem Ianuarii inchoatur, eas habeamus, ad *Regem* ac ducem *Somerseti:* nihil enim addubito quin Deo dante multum sint profuturae.

Hic grammatophorus deposuit apud me octo libras anglicanae monetae, una cum chartis quibusdam ad D. *de Normandie* pertinentibus, quae omnia fideliter servavero donec depositor aut alius ea abs me legitime postulaverit. Saluta mihi, quaeso, D. *Phalesium*, ad quem, quum ipse nequirem per nimias occupationes, scribit noster *Martinus.* [8]) Saluta quoque meo nomine eius uxorem ac sororem, D. *Paludanum*, *Raymundum*, *S. Andream*, *Maldonadum*, *Ferreum*, ac reliquos qui me noverunt. Ne interim D. *Eustachius* [9]) praetermittatur. Vale, vir ornatissime ac praeceptor observande in Christo Domino. Londini 11. Novemb. 1550.

Tuus vere et ex animo
Ioannes Utenhovius.

D. *a Lasco* ac D. *Hoperus* te iubent plurimum salvere. Martinus *Micronius* noster concionator te quoque iussit quam potuit officiosissime salvere.

5) *Etiam hoc additamentum marginale. Agit de libro notissimo:* Book of common prayer, *quem eo ipso tempore Cranmerus recognoscendum susceperat cum caeteris episcopis.* (Divers things that savoured too much of superstition were endeavoured to be changed or amended.) *Qui quum parum inter se consentirent Buceri et P. Martyris consilia petenda censuerunt.* (*Strype, Cranm. l. II. c.* 16, *p.* 302.)

6) *N.* 1399.

7) *sic.*

8) *Micronius.*

9) *Quercetanus.*

1417.

NORTONUS CALVINO.

Transmittit ei annotationes criticas Cowckei cuiusdam in libellum contra Anabaptistas.

(Ex autographo Cod. Parisiensis in Bibl. nation. Coll. Dupuy 268, fol. 39.)

Eximio divini verbi praeconi D. Ioanni Calvino tradantur hae

Genevae.

Quamvis impudentiae quibusdam nimium aliquanto morosis, vir illustrissime, videri possit quod ignotus ad ignotum, de facie quidem, sed insigni virtutum laude, ut qui neminem possis latere, mihi notissimum, scribere audeam, tamen pluris apud me, ut debet, semper fuit eritque religionis christianae et divinae gloriae studium, quam ut tam levi de causa coeptis pelli queam (ubi vix praesens mortis discrimen pro honesta ratione habendum sit) si quid ea momenti ad promovendam christianae doctrinae sinceritatem allatura sensero. Taceo quod maior caritatis mutuae vis esse debet in illis qui ex ecclesia Christi censentur, quae per totum terrarum orbem, ubicunque sunt qui recte de Deo sentientes per Christum salutem exspectant, diffusa est, quam rusticus pudor adimat vel ad ignotissimos scribendi, nedum in religionis causa auxilium implorandi facultatem. Praeterea quum ingratissimi sit animi indicium, ac prorsus inhumani, non agnoscere per quem profeceris, maior mihi, si (ut in omnes Christianos, ita et in me) merita tua, scriptis saltem, ubi tam opportuna sese offert occasio, non testarer, nota inureretur, quam quae inepti pudoris excusatione posset elui. Porro negligentissimus communis nostri omnium domini Dei servus appellari merear, si ubi ad illius gloriam illustrandam operam tuam desiderari conspiciam, non te commonefaciam, quas ad illam e Christianorum animis erodendam [1]) a diabolo insidias strui videro.

Scripsisti adversus phrenetici spiritus quosdam qui *παιδοβάπτισμον* ab ecclesia christiana ut rem impiam et ab episcopo romano inter alias sincerae religionis corruptelas invectam submovendum contendunt: nimirum in libro plane aureo de Institutione hominis christiani cap. 11 ubi de baptismo copiose et erudite summaque lucc disseruisti, [2]) atque in libello quem adversus omnes Catabaptistarum errores edidisti, ubi quam egregie praestiteris quod aggressus es, ut nemo pius dubitare potest, ita mihi dicere non minus erit arduum quam supervacaneum. Incidit hoc opusculum in manus cuiusdam apud nos Roberti *Cowchei*, cui Deus tandem saniorem mentem immittat, et adimat impium illum furorem quo nunc misere exagitatur. Iste sic legit libellum tuum ut ipsum bibliorum codicem solet, non eo animo ut inde perspiciat quid aut sentire aut imitari debeat, sed ut inveniat quo quod sentit aut imitatur confirmet. Ubi te illi ex diametro adversari intellexit, et scripta etiam tua nonnihil ipsius sententiae apud sanae mentis omnes detractura putavit, inquieto laesae conscientiae oestro percitus in libri margine notavit quae pro suo somnio adversus veritatem, cuius patrocinium suscepisti, facere existimavit. Saepius eum in colloquio familiari verbi divini autoritate ad silentium usque compescuimus. Sed saepius victo persuaderi nullo modo potest: adeo medullitus haeret hoc malum, plurisque est apud eum quod non vult tam diu errasse videri, quam quidquid ex scriptura contra eum adferri potest. D. *Molinaeus*, [3]) vir mihi quum ob eruditionem tum ob morum candorem, maxime vero insignem quo erga Dei gloriam affectus est zelum carissimus, mense abhinc uno in coena oratione luculenta magno praesentium omnium silentio et admiratione de sacramentorum analogia et divinae gratiae dilatatione per Christum tam eleganter disseruit, adeoque arcte latebras et subterfugia undique quaerentem perstrinxit, ut quid contra vel mutire posset non haberet. Confutassem etiam scripto quod in te scelerato calamo effudit, nisi sperassem te id pro singulari tua pietate et eruditione multo doctius meliusque facturum, et meam falcem in alienam mittere segetem iniquum iudicassem. Descripsi itaque illius annotationes, sic observato paginarum linearumque numero ut quid cui conveniat facile deprehendas. Chartam illam nunc ad te mitto ut, si per multa quibus distraheris negotia, [4]) retundas ineptam illius pertinaciam. Non enim desinit clam nobis omnibus, qui adversas partes sustinemus, quos potest in suam opinionem trahere, adeoque invaluit in eo diabolica amentia, ut iam nonnullos suae insaniae vinculo implicuerit. Viros vero doctissimos et veritatis acerrimos propugnatores, alios, ut *Petrum Martyrem*, *Cellarium*, [5]) *Bernardinum*, suae esse sententiae impudentissime mentiri solet, in alios ut te, Ioannem *a Lasco*, *Melanchthonem* reliquosque Christi strenuos milites conviciis fertur, asinos, vitulos et ineruditos vocat, quum ipso ipsa tota Arcadia nullum asinum (pace grammatices dixerim) asiniorem nutriat. Si

1417. 1) *sic.*
2) *Ergo in manibus habebat editionem a.* 1539.

3) *Quis hic fuerit difficile dictu. De cel. Iureconsulto hic minime cogitandum. Nomen iam occurrit N.* 1049 *et* 1071. *Verum an eiusdem viri?*
4) *deest vocabulum.*
5) *alias Borrhaus, prof. Basil.*

quid in orthographia erratum fuerit, id me prudentem et data opera, ut in ipsius autographo habebatur, observasse putato, quo clarius apud te illius inscitia proderetur. Te per Deum, cui in ea quam profiteris religionis veritate tam strenue hactenus militasti, etiam atque etiam obtestor, sentiat impius hic Satanae satelles, non deesse ecclesiae Christi ignitum eumque ancipitem spiritus gladium, quo adversarios ferire mediosque dissecare valeat. Interea nostra, qui hic sumus, Christianorum parvulis in causa tam pia non defutura est opera, sed adiuvante Christi spiritu impetus huius phrenetici tenebrionis fortiter et sustenturos et fracturos speramus. Vale. Si me literis tuis dignari volueris, plane me beatum existimabo. Iterum vale, Deusque opt. max. te tam egregium satanici furoris debellatorem diu ecclesiae suae servet incolumem. Shena Anglorum, Novembris 25, raptim. [6]

Veritatis et tui nominis studiosissimus
Thomas Nortonus. [7]

Annotationes Cowchei. [8]

In folii 8, *pag.* 2, *lin.* 4. A tempore Iginii.

lin. 5. Imo Tertullianus non fatetur, neque quisquam ante Higinii tempora qui vixit circa annum dominicae passionis 144.

Omnes habet, sed neminem adducit: forte notat Originem et eius sequaces.

fol. 9, *pag.* 1, *lin.* 8. Si credat.

lin. 17. Promissio salutis ad credentes pertinet, his qui ingrediuntur vestigiis fidei Abrahae solum, non etiam universo semini vel Abrahae vel alterius cuiuspiam.

Ad liberos pertinet promissio, sed ad cuius? num ad cuiusvis baptizati liberos? Non: sed ad quotquot per omnem terrarum orbem fide sunt liberi Abrahae. Nam Abrahae dictum est hoc: Ero deus tuus et deus seminis tui, non cuivis baptizato nec cuivis ex baptizatorum liberis.

fol. 9, *pag.* 2, *lin.* 9 *et* 10. Hoc est quod fallit Calvinum. Nam quod Abrahae soli dicitur, hoc ille putat dici omnibus Christianis, nimirum hoc: Ego ero deus tuus et deus seminis tui post te. Quis autem est semen Abrahae nisi qui credit in Dominum Iesum, iuxta hoc: In semine tuo benedicentur omnes gentes? Profitemur eum esse deum et servatorem omnium hominum, maxime fidelium. Num igitur omnes baptizandi sunt eo quod Deus sit deus omnium gentium? Promissio itaque facta nobis est credentibus et filiis nostris quotquot advocaverit Dominus Deus noster, non autem aliis.

fol. 10, *pag.* 1, *lin.* 1. Ubi igitur loquitur de baptizandis aliis.

lin. 6 *et* 7. Sed nec quum dicit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et: qui non credit iam iudicatus est, voluit intelligi de infantibus, nec quum dicit: nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu.

lin. 18. Non aliter quam si credant.

fol. 10, *pag.* 2 *in summa pagina:* Huic omnes prophetae testimonium ferunt, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnem credentem.

fol. 10, *pag.* 2, *lin.* 6 *et* 17. Non qui filii carnis hi filii Dei: non enim omnes qui sunt ex Israel hi sunt Israel, neque quia sunt semen Abrahae omnes sunt filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen. Hoc est: non qui filii carnis hi sunt filii Dei, sed filii promissionis imputabuntur in semen. Promissionis autem sermo hic est: Iuxta tempus hoc veniam et erit Sarae filius. Cuius Sarae filii et filiae facti sumus credentes in Christum Iesum, et non ex nativitate ex carnalibus parentibus licet christianissimis. Nam aliud privilegium non habet ipse Abraham quam ut fiat multarum gentium pater dum credant.

In folii 11, *pag.* 1 *totam marginem complet:* Ad tempus imposita erat circumcisio manibus facta, ut circumcisionis cordis typum gereret, qua sola nunc notatur semen Abrahae, qui sunt evangelii infantes nuper geniti ex immortali semine et insiti Christo per fidem in baptismo, Colos. 2, ut qui gloriatur in Domino glorietur: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis sed ex Deo nati sunt. Quod si semen Abrahae non est ulterius alia conditione eius semen quam si credat, quanto magis Christianorum liberi non sunt semen Abrahae nisi eadem conditione.

In folii 12, *pag.* 1, *lin.* 14. Abrahae promisit et semini eius.

lin. 10 *in hoc verbum:* effundat. Hoc ex fidelium fideli semine dici intelligitur, et non promiscue de omnibus indistincte.

fol. 13, *pag.* 1, *lin.* 5. Si vellent credere.

---

6) *Annum accurate definire non ausimus. Verum omnino probabile est scriptam fuisse post Ochini in Angliam profectionem* 1549, *et certissimum, ante alteram eiusdem Nortoni* 1552.

7) *Nomen etiam occurrit in epp. a societate Parkeriana editis. Cf. Strype, life of Parker, passim.*

8) *Sequuntur in cod. Paris. fol.* 41, *Nortoni manu scriptae. De libello ipso cuius textum respiciunt, sc. Contra Anabaptistas et Libertinos. Arg. Rihel* 1546 *ex vers. Gallasii, vide Proll. Tom. VII. p. xxv. Pertinent hae annotationes ad primum artic. de Baptismo, scil. editionis gallicae principis p.* 16 *seqq. nostrae p.* 57 *seqq. ubi facile loca reperies quibus singulae respondent.*

lin. 10. Sed in oculis Dei tantum sancti sunt, nec possunt baptismo recipi nisi dum confitebuntur Iesum esse Christum Dei filium.

In folii 14, *pag.* 2, *lin.* 8. Nemo est qui negat apostolos baptizasse ante fidem, sed eos qui prae se ferebant fidem et rogaverunt ultro admitti ad baptismum, non autem infantes.

lin. 16. Constat ex scriptura apostolos baptizasse tum viros tum mulieres ad confessionem fidei. Constat praeterea ex scriptura omnes credentes fuisse et vixisse una, et quod frangentes per singulas domos panem invicem sumebant cibum cum gaudio et simplicitate cordis laudantes Deum. [9])

1418.

VIRETUS CALVINO.

Negotium aliquod Comitis ministri Grandisonensis paucis tractat.

(Ex autographo Cod. Genev. 111a, fol. 186.)

Eximio Iesu Christi servo D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae pastori fratri et symmystae coniunctissimo

Genevae.

S. Scripsi nuper ad te rogatus a *Comite* Grandisonensi, [1]) non solum ut illi gratificarer, sed etiam ut intelligeret nos nullo caeco in hac re iudicio ferri. Scis quid de nobis suspicentur et quo iure. Quanquam eorum suspiciones nos non magnopere movere debent, debemus tamen dare operam, ne multi non mali viri existiment nos odio aliquo facere quod facimus, aut tyrannidem quandam in typographia exercere. Quatenus vero hic nobis progrediendum esse existimem, tu non ignoras. Nescio an adhuc ad te venerit. Praestabis, non dubito, quod pollicitus sum: quod debebis, non amplius quidquam. [2])

De rebus nostris nihil opus est ut ad te scribam per talem tabellarium, de quo longe plura audire poteris quam ego scribere. *Beza* laboravit dysenteria satis gravi, sed revalescit. Uxor mea febri correpta est et valde laborat ex liene. Puellae valent optime. Mater et filiae te amantissime salutant, et nostri omnes. Saluta amicos meo nomine. Vale. Lausannae 27. Novemb. 1550.

Tuus Petrus Viretus.

1419.

FRANCISCUS A BURGUNDIA [1]) CALVINO.

Rariores suas epistolas ea allata causa excusat quod per alios scribantur quae eius scire intersit et ipse eius studia disturbet. Interea eum hortatur et ipse ut Regi librum aliquem inscribat.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 149. Edita est ex parte in Epistolis Tigurinis p. 474, et anglice in Collectione Parkeriana III. 730.)

Humanissimo ac doctissimo D. Carolo Passelio amico singulari.

Non miraberis, D. *Carole*, quod tibi seriis rebus occupatissimo scribam rarius, quum argumenta seria hactenus nulla mihi data fuisse sentiam. Nam ea quoque causa, si nescis, saepe prohibuit ne istic praesens praesentem crebrius colloquio adortus fuerim, utcunque mihi id pergratum et utile etiam fuisset, hoc videlicet metuens, ne studia, meditationes et lucubrationes tuas, quibus indesinenter ad ornandam Christi gloriam desudas, aliqua commentandi improbitate disturbarem. Verum cogitanti nunc mihi venit in mentem, posteaquam nuncium cras hinc soluturum ad vos intellexi, me tam alto hoc silentio promereri posse, ut tui oblitum aut parum amantem esse me forte suspiceris, quem verisimile sit hic non magnis districtum negotiis vitam satis otiosam agere. Quam quidem ego culpam scribendo effugere quam tacendo conciliare malui, etiamsi non admodum in praesens quod scriptu dignum sit habere videor.

Iam dudum, opinor, meis ad fratrem et *Utenhovii* ad te literis certior factus es, Iosiam nostrum

9) *Plura non exstant. Sane operae pretium fecit iste bellicum canens propter tam tritas et perspicuas obiectiones.*

1418. 1) *Ioannes Le Comte minister in Granson natus erat in Picardia a.* 1500, *viri nobilis Sebastiani Le Comte de la Croix filius. Anno aetatis vigesimo tertio apud Meldensem episcopum Guil. Briçonnet versabatur, simul cum Farello, Fabro Stapulensi et aliis. Cum hoc ad Margaretham Navarrae reginam se recepit. Postea in Helvetiam se contulit ad Farellum et Marcurtium, et a Bernensibus Gransonum missus ibi sacra reformavit, mansitque usque ad a.* 1554. (*Ruchat III.* 132 *s. Crottet, hist. d'Yverdun p.* 283 *ss.*)

2) *Haec vix explanare ausimus utpote obscurius dicta. Si quid videmus Comes aliquod suum scriptum edere volebat et a Vireto et Calvino petebat ut typographum ipsi conciliarent. Teste Crottet p.* 287, *exstat eius liber ineditus: Les demegories du Comte d'Estaples, Friburgensi reipublicae dicatus, quem fertur a.* 1549 *composuisse.*

1419. 1) *N.* 1399, *not.* 3 *ubi et alia hic denuo relata.*

Angliae regem humanissime de tua valetudine ac ministerio ex me sciscitatum fuisse. Cui quum te digna pro iudicii mei modulo retulissem, satis et facie et verbis testatus est, te tuaque omnia ipsi multo esse gratissima. Obiter incidit mentio literarum quas aliquando ipsius avunculo tum regni protectori [2]) dandas misisti, quas ipse pronunciavit sibi oppido gratas venisse. Itaque ex eo tempore mihi visum fuit te pretium operae facturum, si vel hac occasione atque argumento motus (nisi quid fortasse melius habes aut tu hic plus vides) scriptum aliquod ad ipsum transmiseris, quo currenti calcar addatur. Tenes quid velim, et quid facto hic opus sit ipse melius nosti quam ut multis mihi monendus sis. Tantum amici officium facio: tuum erit omnia in bonam interpretari partem. Si qua in re tibi hic opera mea opus fuerit, utere, ac hominem tui studiosum minime ignavum reperies. Rex, quod in se est, puram religionem et pios doctosque colit ac promovet, longe meliora praestiturus si ipsi per aetatem liceret. Tolerabilis tamen, mea quidem sententia, hic rerum omnium status, meliorque indies etiam speratur et evadit, quoad licet in praesenti prospicere.

Caetera non dubito te ex aliorum literis accepisse, quae alioqui non pigeret hic inserere. Quaedam tutius narrari quam scribi possent, neque iam satis vacat prolixius scribere. Dominus Iesus te nobis diu servet incolumem, D. *Carole*, ac mei in tuis ad Deum precationibus ne, quaeso, sis immemor. Apud Londinum pridie Nonas Dec. 1550.

Tuus in Christo frater amicissimus
Franciscus a Burgundia.

1420.

BULLINGERUS CALVINO.

Mittit ei epistolam per studiosos quosdam ex Bononia allatam.

(Ex autographo Cod. Turic. Archiv. Plut. VI. Vol. 129, olim Epp. Tom. 30, fol. 237. — Simler. Vol. 73.)

Clarissimo viro D. Ioanni Calvino Genevensis ecclesiae fido pastori domino suo observando et fratri longe carissimo et incomparabili.

S. D. Studiosi quidam Bononia venientes et descendentes in Saxoniam hasce mihi tibi, care frater, mature transmittendas crediderunt. [1]) Ego eas pro amore nostro libenter accepi, et quia nunc tabellionem certum nactus sum, mitto Bernam ad nostros. Vivimus hic, ut semper, in gratia Christi. Non licuit plura. Festinavit tabellio. Omnes te amant fratres, omnes te salutant. Vale aeternum ac D. a *Burgundia* me commenda. Tiguri 6. Decembris 1550. Saluta fratres omnes inprimis *Gallasium* et *Farellum* optimum.

Bullingerus tuus.

1421.

CALVIN A M. DE FALAIS.

Relative à une affaire de discipline.

(Orig. autographe. Bibl. de Genève. Vol. 194, fol. 79. Édit. d'Amst. p. 175. Éd. Bonnet I. 314. Trad. angl. II. 271.)

A Monseigneur Monsieur de Fallez.

Monseigneur, ie vous remercie au nom de tous, de la poine quil vous a pleu prendre a nous ayder, si dadventure le maulvais train qui sest mene en cachete se pourra corriger. [1]) Toutefois ie trouve que lexamen ne suffira pas pour en venir a bout. Nous avons bien deffendu au garson et a ceste malheureuse de hanter ensemble pour ladvenir. Mais si on les veult convaincre du temps passe, il seroit mestier de les serrer de plus pres. Mesme il ny a quun tesmoin qui depose que le frere sen est courrouce. Or il nous a nye que iammais il sen fust appercu.

Hier ie fuz tire du consistoire par quelque affaire extraordinaire, tellement que ie ne peu voir comme on traicta ce gallant. Et mes freres sont a ceste heure empeschez a la visitation, [2]) ou il me fault aussi bien aller. Ce pendant iespere que ce que nous avons, servira beaucoup pour entree. De ce qui deffauldra, ie vous en advertiray de bouche

---

2) *ergo ad N.* 1085 *alludit, non ad recentiorem N.* 1347 *quae et ob argumentum et occasionem hic respici nequit.*

1420. 1) *Citra dubium eas quas supra habuisti N.* 1414.

1421. 1) *On voit par ce qui suit qu'il sagit d'une affaire de discipline. Nous trouvons dans les Registres du Conseil au 15. décembre (Vol. 45, fol. 147 v.) que Calvin dénonça des désordres de moeurs à Jussy, village voisin de Veigy où résidait M. de Falais. M. Bonnet dit qu'un serviteur de celui-ci y était impliqué. Nous ignorons où il a puisé ce détail.*

2) *Sur l'avis des ministres il fut ordonné, le 3 avril 1550, une visitation annuelle de maison en maison, pour empêcher que quelqu'un vînt à la cène sans être bien préparé. (Reg. du Conseil Vol. 44, fol. 352 v.) Comp. Bèze, Vie de Calvin ad a. 1550.*

au plaisir de Dieu, vous remerciant humblement de vostre convy tant liberal, combien que je me tiens tousjours asseure du bon vouloir, encor que vous ne men eussiez dit mot.

Sur quoy, Monseigneur, estant contrainct de faire fin, ie supplye nostre bon Dieu vous avoir en sa saincte garde et vous guider par son esprit a ce qui luy est aggreable pour glorifier son nom en vous iusque a la fin. Iespere quil nous fera la grace de faire la Cene ensemble, combien que nous soions separez de lieu. Ainsi ie me recommanderay a la bonne grace de vous et de Madamoiselle. Ce 24 de decembre. [3])

Vostre humble frere et serviteur,

Iehan Calvin.

1422.

CALVINUS EDUARDO REGI.

Dedicatio Commentarii in Isaiam prophetam.

(Ex editione principe Genevae ex officina Ioannis Crispini a. 1551. form. max.)

Serenissimo Angliae Regi Eduardo sexto Hyberniae domino etc. Principi vere christiano Ioannes Calvinus.

Etsi commentarium hunc fideliter et dextre ex meis lectionibus collectum [1]) esse agnosco, quia tamen aliena manu expolitus erat, initio veritus sum, Rex serenissime, si nomini inscriptus tuo in publicum exiret, ne munere non satis legitimo erga tuam Maiestatem defunctus viderer. Sed dubitationem hanc una maxime ratio inter alias mihi tandem exemit: quod sicuti persona tua apprime dignus est regio genere ortus propheta et nobilissimus summi regis Christi legatus, ita laborem in explicandis eius vaticiniis a me positum tuae Maiestati gratum ac pretiosum fore speravi. Porro quum quinque regum animos, quibus continuo successionis ordine doctor praefectus fuit, expertus fuerit longe dissimiles: quisnam ex illis praecipue tibi ad imitationem deligendus sit, monere opus non est, ac ne hortari quidem ut id facias, in quo iam satis voluntarium te ostendis. Oziam et Iotham, quamvis ad vindicandum Dei cultum non satis animosi forent, propitios tamen habuit. Plus certaminis illi cum Achaz subeundum fuit, non illo quidem palam infesto hoste, sed versuto hypocrita et perfida simulatione referto. Quo hostium genere nullum Dei servis molestius. Successor Ezechias non modo reverenter sanctum virum coluit, sed modeste eius doctrinae, tanquam unus ex reliquis, se submisit: paruit consiliis, monitionibus se praebuit regendum: quin etiam severe reprehendi, quum res ferebat, aequo animo passus est. Postremus Menasses, quem socerum fuisse magno consensu tradunt Iudaei, diro tormenti genere cruciatum impie necavit. Caeterum quo tempore manum illi porrigebant non mali reges, adeoque sub ipso Ezechia tam strenuo pietatis vindice, non tamen et duris molestisque contentionibus vexari et acres subire conflictus destitit. Adeo rarus ac difficilis est hominum cum sana doctrina consensus. Quin potius assiduum cum mundo bellum gerant necesse est, qui propheticam functionem sincere et fideliter obire volunt. Quo maiore studio pios reges ad sublevandos suo patrocinio Dei ministros incumbere convenit, né impiorum protervia ultra modum fatigentur. Sed haec ut insignis et vere heroica est virtus, ita, si omnes ab initio usque mundi aetates memoria repetas, rara et a paucissimis culta fuit. Multi ignavi et socordes, quasi ea res nihil ad ipsos attineret, Dei veritatem opprimi secure passi sunt. Bona vero pars palam adversa, et violento furore infesta fuit. Atque utinam quicunque se hodie Christianos profitentur, tam essent in asserenda salutis doctrina cordati, quam nomen ipsum superciliose iactant.

Verum, ut de aliis taceam, hoc saltem in praesentibus ecclesiae miseriis solatium non vulgare censeri iure potest, quod ista ingenii animique praestantia ad tuendam pietatis causam divinitus sis excitatus, nobilissime Rex, ac tuum in ea parte obsequium Deo tam studiose offeras, quam illi gratum probatumque esse cognoscis. Etsi enim per consiliarios adhuc geruntur regni negotia, et ita tum illustrissimo *Somerseti* duci, Maiestatis tuae avunculo, tum plerisque aliis cordi est religio, ut in ea constituenda sedulo, ut par est, laborent: sic tamen omnium studia unus praecurris, ut facile appareat, non minimum illis esse calcar, quem in te perspiciunt, ardorem. Neque enim generosa modo in te indoles, et quaedam virtutum semina, quod in tenera ista aetate praeclarum videri solet, fama celebrantur: sed iam ultra aetatem adulta earum virtutum maturitas, quae plenis annis non raram modo laudem, sed admirationem etiam conciliant. [2]) Pietas vero tua praesertim sic laudatur, ut habiturum prophetam nostrum certo mihi persuadeam,

---

3) *Il ne saurait y avoir de doute. La lettre est postérieure à l'institution de la Visitation, et en Déc.* 1551. *Calvin était déjà brouillé avec le baron.*

1422. 1) *vide sequentem.*

2) *Cf. Strype, Memor. of Cranmer l. II. c.* 35, *p.* 430 *seqq. Diarium quod conscripsit editum est in Burneti hist. ref. angl.*

qui eadem reverentia, qua vivum excepit Ezechias, mortuum quoque prosequatur.

Quae porro inde utilitas ad te reditura sit, ex lectione discere te praestat: et in tractando argumento nonnihil attigi. Unum modo caput est, de quo pauca apud tuam Maiestatem verba facere instituí. Postquam enim iustas Dei querimonias adversus ingratum populum exposuit propheta, poenamque Iudaeis minatus est, qualem et perfida eorum defectio et desperata pervicacia merebatur: instare scilicet tempus, quo in horrendam vastitatem redigendi forent: mox de nova et incredibili ecclesiae instauratione disserens, sic Deo posthac curae futuram promittit, ut invitis hostibus beata et gloriosa semper floreat. Laetum hunc ac felicem statum gustarunt, qui ex babylonico exsilio reversi, erectis de integro sacrificiis, spem maiorum bonorum concipere poterant quam quibus tunc fruebantur. Quemadmodum ex aurorae conspectu propinquum solis exortum speramus. Ubi autem cum evangelii sui fulgore sol iustitiae Christus emersit, quod tam magnifice celebratum fuerat prophetae oraculis, longe res ipsa superavit. Intra exiguum tempus sparsa per totum fere orbem fuit veri Dei cognitio. Pura religio, quae prius in Iudaea, quasi in obscuro angulo contempta latuerat, diffusa per omnes gentes ac provincias ita coli coepit, ut linguae innumerae uno fidei consensu Deum invocarent. Collectis passim ecclesiis, regium suum tribunal erexit Dei filius, unde ab ortu in occasum usque solis conspicuus emineret. Ecclesiae ipsae, inauditis spiritus donis ornatae, non modo incomparabilem divinae bonitatis fructum senserunt, sed admirabilis potentiae illustria caecis quoque fuerunt theatra. Et quamvis sub cruce regnaret Dei filius, tamen inter duros persequutionum conflictus augustior enituit eius gloria, et speciosiores triumphi fuerunt, quam si tranquilla fuisset ecclesiae prosperitas. Factum tandem est, ut superba illa romani imperii celsitudo se quoque Christo submittens singulare domus Dei ornamentum esset. Sed ne continuos haberet successus haec felicitas, obstitit hominum malitia et ingratitudo. Itaque sponsa Christi tam pretioso habitu nudata, tanta dignitate spoliata, tanquam splendido decore privata, in miseram postea deformitatem redacta est. Semper quidem aliquas Deus reliquias velut sub latebris servavit: verum quod ad externam ecclesiae speciem pertinet, nihil multis saeculis quam vasta confusaque ubique dissipatio apparuit. Et videmus ut hodie etiam romanus Antichristus longe lateque sanctuarium Dei sacrilega tyrannide occupans, quidquid Dei erat, disiectum ac oppressum sub pedibus habet. Nam quum prodigiosis erroribus corrupta sit illic doctrinae puritas, quum obruto Dei cultu innumerae dololatriae illic grassentur, quum in legitimi regiminis locum dira carnificina subierit, quum sacramenta partim crassis corruptelis vitiata, partim foedae nundinationi exposita sint: quid praeter lugubres ruinas, ex vera et genuina spiritualis aedificii pulchritudine restat?

Atqui, hac nostra aetate Dominus, praeter spem omnium, quod collapsum erat erigere rursus coepit, ut aliqua saltem veri templi, in quo pure et ex evangelii praescripto adoraretur, superficies exstaret. Homunciones quosdam ex vulgo, qui tamen sincera doctrina opus hoc proveherent, quasi architectos sibi delegit. Arduum sane et immensae molis opus: etiam si nihil turbaret Satan. Nunc vero simul ac surrexit aliqua aedificii pars, quum omnes ad demoliendum machinas admoveat, quid mirum est, si tenui lentoque profectu multum et anxie sudamus? Itaque superbe nos contemnunt alti gigantes: quasi romanae sedis tyrannidem labefactare studentes Olympum ex suis radicibus convellere moliamur. Astuti vero homines et nasuti (ut sibi quidem videntur) nostram sedulitatem iocose rident, quia in restituendo ecclesiae statu tantopere laboremus: quasi certus aliquis et fixus inveniri queat. Putant enim illi, se ita fundatos esse et undique munitos, ut papatum aboleri nihilo sit facilius, quam coelum terrae misceri. Horum autem cogitatio paulo diversa: quia maior sit mundi perversitas, quam ut fraeno aliquo contineri queat, praepostere nos satagere ducunt, qui correctis vitiis, puram et sinceram ecclesiae administrationem quaeramus. Notum est *Erasmi* dicterium: Qualem a se decimum *Capito* fore sperat? Scilicet, Wolphgangum *Capitonem* negare non poterat et sanctum esse virum et optimo studio ad repurgandam ecclesiam incumbere: sed quum persuasus esset, non minus frustra luctari Christi ministros in corrigenda mundi malitia, quam si flumina retro agere conentur (ut umbratilibus philosophis mos est), inconsiderati zeli nos omnes sub unius hominis persona damnabat. Multum vero errant utrique: quod in colligendis ecclesiae ruinis non cogitant ita nos operam Domino, quam mandat et exigit, praebere, ut solidum tamen eius sit opus ecclesiae instauratio. Atqui, hoc nec tota passim scriptura abs re testatur, nec propheta noster tam sollicite inculcat. Quare nos huius doctrinae memores, rem viribus nostris longe superiorem, Dei auspiciis freti, suscipere ne dubitemus, nec ulla nos frangat vel emolliat difficultas, ut susceptam deseramus.

Ac te quidem nominatim hic appello, praestantissime Rex: imo Deus ipse per os Iesaiae servi sui te compellat, ut quidquid habes virium ac potentiae, ad provehendam in melius, quae iam feliciter in regno tuo procedit, ecclesiae restitutionem conferre pergas. Primum has tibi in regno, cui praefectus es, impositas esse partes, quotidie audis ac legis. Praesertim Iesaias, ut dixi, reges ecclesiae nutritios

appellans, opem illi tuam, quam afflicta implorat, deesse non patitur. Neque etiam leviter animum tuum afficere debet, quod vae regibus ac populis omnibus denunciat propheta, qui suo illam subsidio fraudarint. Quid deinde flagitet temporum necessitas, clare Maiestas tua videt. Etiamsi satagendo non admodum proficeres: quia tamen gratum hunc Deo cultum esse nosti, adeoque suavissimi odoris sacrificium, nihil quantumvis adversum abducere te ab instituto deberet. Nunc quum Deus ad rem strenue gerendam te hortando, successum quoque simul promittat, cur non vocantem alacri animo sequaris? Clamat alio loco propheta noster: Sternite viam, sternite populo meo. Quam desperatus ab exsilio in patriam reditus captivis fuerit, satis notum est. Nondum id quidem tunc acciderat: sed quia spiritu iam cernit propheta, quod aliquanto post re ipsa sensuri erant posteri, ne quem piorum exanimet tam triste spectaculum, mature anticipat, nihil omne genus obstaculis tam clausum obstructumque fore, quod non sibi pervium facturus sit Deus in ecclesia liberanda. Non minori saltem hodie consolatione nos erigi decet. Te vero, Rex nobilissime, pro iniuncti muneris ratione, acriter excitari operae pretium est: quum reges omnes et magistratus sub Cyri persona hortetur Iesaias, ut laboranti ecclesiae in statu recuperando manum porrigant. Quanquam tua et Cyri in eo dissimilis est ratio, quod ille, qui alienus a grege Domini erat, nunquam velut ex professo edoctus fuit, ut sponte se et ex animo vindicem ecclesiae offerret ac praestaret: te vero, quem Dominus non modo adoptione sua dignatus est, sed primario etiam inter filios suos loco statuit, quasi porrecta manu in has partes vocat propheta. Quo etiam maiore fiducia et ardentiore studio in hoc cursu, generose Rex, tibi pergendum est. Res quidem, ut dixi, quum per se magnarum difficultatum plena, tum vero maioribus implicita molestiis et discriminibus perplexa, quod innumeras subinde machinas ingerere non desinit Satan, si qua sacrum Dei templum vel evertere, vel labefactare queat. Et constantiam nostram Deus talibus experimentis interdum probari vult. Verum, si istud modo constitutum habes, nihil te cum praestantissimo tuo consilio, vel hactenus aggressum esse in restituendo ecclesiae statu, vel nunc persequi, nisi Deo autore, senties procul dubio, quam mirificus sit eorum omnium effector, quae ministris suis mandat. Fructum ex hoc successu incomparabilem percipiet Anglia: nos et tuae et regni totius felicitati gratulabimur. Interea precibus meis, ut par est, quando nihil habeo melius, sanctos istos conatus iuvabo.

Vale, serenissime Rex. Dominus Maiestatem tuam quam diutissime florentem conservet, tibi adsit, te gubernet suo spiritu, te in omnibus benedicat. Amen. Genevae, octavo Cal. Ianuarii M. D. LI. [3]

1423.

FARELLUS CALVINO.

Calvinus laudatur et vindicatur. Rerum germanicarum et hungaricarum status. Melanchthon notatur ob nimium in re adiaphoristica obsequium, Mauritius Saxo autem diris devovetur.

(Ex autographo Cod. Genev. 115, fol. 95, coll. cum Cod. 116, fol. 19, Epp. Bern. VI. 92 et Simleri Vol. 73.)

Christi servo admodum insigni Ioanni Calvino pastori ecclesiae Genevensis studiosissimo clare in ecclesia Dei lucenti quum vitae puritate tum puriore doctrina fratri et symmystae quam carissimo.

Genevae.

S. Non possum abs te impetrare quod toties contendi, nimirum ut alteri, si quid scribendum ad me, provinciam committas. Dolet enim mihi hoc gaudium quo tuis perfundor literis, quum isto labore nimis mihi indulgens innumeros frustres melioribus. Quamvis bona ad me scribas et valde utilia, opto tamen te in melioribus esse et pluribus consulere, unde cum aliis ipse fructum capiam. Laudas meam diligentiam [1] et obiter notas quam imprudenter agam aut parum collegae fidam, quum te merito imitari deberem, ubi viva adest epistola, vane non laborare in scriptione: nec puto hactenus a me factum quin nescio an collegae literas dederim. Quum praeter spem iter arripuerit, adornaram literas *Ligovensi* [2] dandas ad te. Illi se adiunxit *Christophorus*. Ita factum est ut pro epistola una duae ad te venerint. Morbus meus incurabilis est. Aegre ad scribendum adigor, adactus non possum finem invenire. Tu itaque pro virtute vitium in me laudes. Quid quod aestimationem tuam salvam esse vis, quae non potest esse nisi sanctissima quamdiu in te fuerit, ut semper erit, Christus qui tibi vita est multo carior. Si non esset hic nexus Christi, quam te dicerem errare. Scilicet *Farellus* aestimet *Calvinum*, annon multum refert? Quot hodie sunt

3) *Liber ipse prodiit a. d. Idus Ian. Secundam editionem autor dicavit reginae Elisabethae a.* 1559.

1423. 1) *Nimis sibi in hoc gratulatur, si propius Calvini proxime praecedentes inspicias.*

2) *Nomen dubium.*

quibus conferri non possum, excepto Christo, quem miseri non adeo curant, qui te contemnunt, damnant et proscindunt? Et sane quamdiu sibi similes esse pergunt, nollem te alium haberi ab illis quibus et ego tua causa ridiculus sum. Hoc tam amens iudicium plus te reddit clarum ecclesiae Dei, in qua faxit Christus ut indies clarior evadas, adaugeat sua dona quibus ei servis, successum pleniorem det et felicissimum, omnia tollat impedimenta.

Tossanus recte fecit quod iudicavit de *Christophoro*. Nescio an ea petierit abs te quae ego: quibus tu ita respondes ut aliud petere non possim, nisi ut occasionem nactus quod facturus es agas in Christi gloriam. Dominus Iesus pium et legitimum principem [3]) dirigat et servet, vultures, leones et lupos disperdat. Ferunt *Maximilianum* ex Hispania rediisse. *Rex* nunc dicitur Bohemiae. [4]) *Ferdinandus* nepoti *Philippo* dicitur elocare filiam. [5]) Nescio an dotis loco cessurus sit regno. *Caesar* valetudinarius [6]) in continuatione concilii Tridentini non assequitur quod vult. Illinc belli initium sumpsit et ei via parata fuit ad nummos parandos et alia. Fidit, si continuaretur, posse voti compotem fieri ut Deo et hominibus imperet. Non mirum si *Martinus*, [7]) priusquam migraret, iuberet omnes petere ut Dominus dissiparet tam scelestum concilium, tam infensum pietati, quod nobis petendum est de omnibus Christi hostibus.

Ungaria mire est turbata. Albus ille monachus, [8]) ut vocant, nunc partes *Ferdinandi* sectatur, vidua vero partes turcicas. Vereor ne quod Constantinopolis fuit Turcis ut in Europam penetrarent, id sit Ungaria reliquiis Europae. Quis dubitet omnes, quibus gravis est illa magnitudo *Caesaris*, si non palam, tamen clam fauturos Turcis, ut *Caesar* in ordinem cogatur? Et ita fiet ut Graecorum via incedentes ostium aperiant hosti, qui omnes conficiat ut meriti sunt. Pater ille coelestis benignus omnes intueatur.

Horrendum est *Philippi* [9]) tam mite ingenium adeo crudeliter ferri desipiendo. Quis tam exsecrandum monstrum, tam perfidum, tam inhumanum non horreat vel audire, non christianus modo, verum etiam pontificius, turcicus aut perditus Iudaeus? Si quis apud se cogitet ea quae *Mauritium* in officio continere debebant, quae violavit omnia, nullum monstrum tam perdito portento, ne apud inferos quidem, conferendum inveniet. Christum novit non modo passum sed etiam in coelo regnantem, quam sit sancta et pura Christi doctrina non ignorat, pontificem et eius doctrinam ut infernum detestatur, ut ne nomen quidem sustineat audire, quam sit perniciosus orbi probe novit, potissimum quam potestatibus insidietur, quot perdiderit imperatores et reges, quid demum conetur in Germania. Germanos quis melius novit *Mauritio*, quanta sint fide, quam tenaces promissi, potissimum ii apud quos educatus tam studiose fuit, qui se et sua tam amice *Mauritio* commiserunt? Quid hos moverit bellum parare non puto eum latere: quin affirmare ausim, hortatorem aut saltem approbatorem fuisse, ac praevidisse quae Germaniae ab Hispanis, Italis et perditis Germaniae hostibus, qui filii esse debebant, pararentur, quae non in alios tantum sed in se suosque casura videbat. Novit insuper quam miserum sit cadaver [10]) cui se totum dedidit, quod in horas extabescit, ut alio non sit opus percussore qui infelicissimum conficiat, quam caput ipsum insanum omni genere morborum affectum, quae sua voracitate fovet et auget, irritat ac in se saevire facit. Quis omnia persequi posset quae posthabuit scelestus proditor et quae amentissimus est sequutus mala relictis bonis. Sane spes maior videri posset tygridis non modo cicurandi et Satanae reducendi [11]) quam adeo perditi proditoris sanandi, et non modo aperte iniqua, ut est tam immanis infestatio Magdeburgensibus, verum quae speciem aliquam boni prae se ferunt in tali monstro, si non damnanda prorsus, saltem approbanda nunquam veniunt. Quis enim ex eiusmodi tribulis uvas legat? Christus tibi adsit ut insaniae philippicae mederi possis, et prorsus revocces a tam perdito iudicio ad meliora. Servet Deus servum suum, et tam misere lapsum rursus erigat. Quam debemus cum timore et tremore versari et assidue Deum protectorem invocare, ut perpetuo servet et augeat quae largitus est, et maiora addat, nunquam nos nobis sinat, et multo minus Satanae, quamvis plus satis caro nostra Satanas sit. Quis credidisset tam mite ingenium adeo cruentam infestationem, tam impiam et iniquam probaturum? Christus qui suos severius ob praesentem exoptatam vindictam de commeritis et scelestis increpuit, [12])

3) *Duce Ulrico* 6. *Nov. mortuo legitimus eius successor fuit Christophorus, qui tamen postea a.* 1553 *patruo suo Georgio comitatum Monbelgardensem tradidit. Caeterum confer N.* 1394.

4) *Maximilianus qui a.* 1548 *in matrimonium duxerat Mariam Caroli V. filiam Bohemiae rex designatus per absentiam, revocatus a patre Ferdinando rege, quem inter et Caesarem actio tunc erat ardua de Imperii successione* (*Sleid.* III. 226).

5) *Imo a.* 1553 *ei elocata fuit Maria Tudor Henrici* VIII. *filia.*

6) *Ranke* V. 83.

7) *Lutherus.*

8) *Georgius Martinuzzi* (*frater György*) *monachus Paulinus, olim regis Ioannis Zapolya minister, nunc filii eius tutor, cum matre Elisabetha s. Isabella.*

9) *Melanchthonis, Interim Lipsiense a Mauritio promulgatum non cum horrore reiicientis.*

10) *Imperator Carolus.*

11) *In margine manus coaeva adscripsit*: hyperbolice forte.

12) *Luc.* 9, 55. *Quidni suis ipsius imprecationibus haec applicat?*

quod nescirent quo agerentur spiritu, istum revocet ad meliora, et tibi adsit ut ita vulneres hominem, punctiones non morantem, ut in virum sanum evadat. Si in lucrifaciendis hostibus et exteris debemus omnem movere lapidem, quid in fratribus et domesticis agendum, ut ipsorum saluti consulatur? Utinam te omnes imitarentur, qui hic te eum praestas quem oportet. Quod ut perfectius efficias Deus largiatur, et omnes faciat in hoc tecum incumbere.

Vale quam felicissime. Christus Iesus perpetuo tibi adsit omniaque tibi secunda faciat in sui nominis gloriam et omnium aedificationem, ad quae te servet diutius incolumem. Saluta amicos omnes, *Normandium* et socerum istius,[13]) collegas, *Budaeos, Triecium*, et quidquid est piorum. Collega te salutat. Neocomi. Coeptae superiore anno, finitae hoc 1551 hodie 7. Calend. Ianuarii,[14]) ut videas quam sim diligens erga te, ut de aliis taceam.

Tuus ex animo Farellus.

1424.

GALLASII PRAEFATIO IN ISAIAM.

(Ex eadem editione principe ac N. 1422.)

Nicolaus Gallasius pio lectori S.

Tametsi me commentarios istos colligentem primum labor et difficultas, deinde varia hominum iudicia terrebant, dum tamen utilitati vestrae consulerem, christiani lectores, nec recusandos mihi labores, nec quidquam reformidandum esse existimavi. Difficultates facile tollebat perspicua interpretandi ratio qua autor ipse, ut in scribendo, sic in dicendo multo magis uti solet. Quod si obscurioribus in locis, quae in hoc propheta multa sunt, haerebam, nec iudicium eius ad explicanda planius et polienda omnia, nec consilium defuerunt. Nam ex familiari communicatione, quae mihi cum ipso quotidiana erat, nodi mihi solvebantur, qui me alioqui diutius remorari aut implicitum tenere potuissent. Praeterea succisivis quibusdam horis, quum scilicet a gravioribus negotiis, quibus paene obruitur, aliquid erat vacui temporis, quidquid a me descriptum erat ei recitabam: ut si non exacte omnia examinare, saltem addere quae necessaria erant, expungere ac monere ipsi liceret. Quod fecit diligenter, tametsi vix interdum duos aut tres versiculos legeram, quin alio statim vel ab interturbatoribus vel ab amicis vocaretur. Interea qua fide et diligentia poteram haec recensens, nactus otium et occasionem, iterum ac saepius ipsum rogabam. Laborem vero meum sublevabant annotationes, quas iam antea ex ipsius *Calvini* concionantis ore exceperam. Nam ante quatuor annos in publicis concionibus maximo cum fructu hunc prophetam exposuerat, priusquam nobis eum in schola enarraret. Tunc ego non solum pias exhortationes animadvertens, quae ad corrigenda populi vitia, ad statum huius temporis, ad restituendam doctrinae et ecclesiae puritatem pertinebant, sed puras interpretationes, quibus potissimum insistebat, ex iis solidam doctrinam deducens, ut eam in usum populi accommodaret, has e concione domum reversus, quantum memoria assequi poteram, et quantum otii mei ratio ferebat, latinis literis scribebam, quae mihi deinde in colligendis hisce commentariis magno usui fuerunt. Non quod omnia huc transferrem, aut eodem ordine et modo quo prius a me scripta erant: sed quum iam animo comprehensas haberem sententias, atque huic stylo et interpretandi rationi exercitatione aliqua assuefactus essem, minus mihi negotii fuit, quam si novus omnino et imparatus ad hoc scribendi genus venissem. Quod attinet ad iudicia hominum, qui varie de hoc meo labore censuri erant, iam animo praevidebam fore multos quibus opera mea minus grata foret, quod haec ab ipso autore scripta, quam a me excepta et collecta habere maluissent. Quibus equidem ipse assentior: politius enim ac perfectius omnia praestitisset. Sed quum alia nobis opera pararet, quorum fructus sic re ipsa constat, ut eum a me verbis praedicari necesse non sit, quumque multis negotiis distractus vix interdum enarrandi otium haberet, nedum profecto manum huic operi adhibuisset. Quamobrem ego qui iam pridem huius prophetae fueram studiosus, et qui planiores multorum locorum expositiones desiderabam, quum nunc iis fruerer, operae pretium me facturum putavi, si mihi consulens aliorum quoque rationem haberem, quorum non minus forsitan desiderium erat. Quod si non esset, tamen huius commentarii lectione eorum mentes excitari iisque maius intelligentiae lumen afferri posset.

Ut ergo mecum huius prophetiae explicatione fruereris, pie lector, quamprimum hunc laborem suscipiendum duxi, ne si diutius hos commentarios exspectaremus, eos miseris hisce temporibus aut iniuria aut calamitas aliqua nobis eriperet. Quas enim insidias emergenti ecclesiae et piis doctoribus Satan eiusque ministri struant, quotidie cernimus. Perfidiam multorum experimur, a quibus meliora sperassemus. Deprehenditur in aliis inconstantia et levitas, alios excaecat splendor huius

13) *N.* 1365 *not.* 2.

14) *Memineris istos annum civilem inchoasse die Nativitatis. Finita est haec epistola secundum nostrum computum d.* 26. *Decemb.* 1550.

saeculi: pauci admodum vero pietatis affectu tyrannicis Antichristi legibus pro statu regni Christi sese opponunt. Quos igitur nobis reliquos facit immensa Dei misericordia, eos toto animo, vel potius dona quae in ipsos contulit, amplectamur: ut in posterum ecclesiae Dei, quantum in nobis erit, consulamus. Quamdiu nobis eorum doctrina frui licet, eam avide, velut arma repellendis hostibus nostris idonea, arripiamus. Verendum enim est ne Dominus improbitatem hominum iis poenis quibus digni sunt ulciscatur: nosque insignibus iis donis spoliet, quibus hactenus abunde ecclesiam suam ornavit. Vigent in multis praeclara linguarum, interpretationum, aliaque dona, quorum profecto vehementer studiosi esse debemus: sed praestantissimum hoc prophetiae donum, cui nos potissimum incumbere deceret, passim negligitur. Hinc accidit, ut vanae ostentationi potius quam ecclesiae saluti plerique studeant, et se populo venditare, quam ecclesiam Christi aedificare malint. Quod periculum Paulus iam suo tempore imminere sentiens, ait: *Ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά, μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε.* Hoc enim praecipuum est in ecclesia ac prae caeteris optandum, ut reconditi scripturae sensus et divina mysteria nobis cum fructu explicentur. Hoc si concidat, caetera deinde paulatim collabi necesse est: quemadmodum superioribus saeculis magno ecclesiae incommodo experti sumus. Itaque necessarium prae aliis hoc donum colendum est ne depravatis scripturae locis abutamur, aut etiam ipsi in alienum sensum torqueamus. Ac potissimum doctrinae propheticae incumbendum: in qua qui pie exercentur, facilem sibi ad maiora viam sternunt, firmumque et solidum salutis fundamentum tenent. Haec autem exercitatio nobis, si unquam alias, vel maxime his temporibus necessaria est, quibus non solum cum papistis aut Iudaeis bellum gerendum, sed cum horrificis quibusdam monstris, quae sub hominum specie tecta omnem et humanitatis et religionis vim evertere conantur. Porro inter alios prophetas merito praecipuum hic locum tenet, quum apertissima de Christo testimonia afferat, statumque et conditionem regni ipsius, hoc est ecclesiae, ob oculos proponat: sicuti lectio ipsa abunde docet, ut multis hic mihi praefandum non sit. Qui hunc rite intellexerit, magnum ad reliquos aditum habiturus est. Quam vero accommoda sit temporibus nostris eius doctrina, melius ex commentariis ipsis intelliges: quibus si diligenter attendas, non vereor ne inanis meus hic labor tibi videatur.

Si tamen haec cum iis concionibus quas in hunc prophetam autor ipse habuit conferres, merito exclamare posses, ut Aeschines de Demosthene aiebat: Quid si dicentem ipsum audiissetis? Ita aptabat sententias, ita permovebat animos, ita perspicuis exemplis omnia monstrabat, atque populariter tractabat, ut quasi in rem praesentem duceret. Sic autem saepenumero tractandi loci alicuius occasio sponte offerebatur, ut ne ex industria quidem pro temporis statu, pro loci et personarum conditione aptiorem deligere ex tota scriptura potuisset: ita ut mirarentur omnes, ac plane intelligerent rem ipsam non prudentia hominis, sed divina virtute regi. Et fructus qui deinde sequutus est, id etiam plenius comprobavit. Si aliquando eae conciones prodeant in lucem, (quod equidem maxime optarim) melius omnia perspicies: tametsi id nemini adeo perspicuum esse possit, ut iis qui oculis suis inspexerunt. Interea summam hic omnium et concionum et lectionum habes: qua si ut debes fruaris, magnum me fructum percepisse arbitrabor. Hoc enim studium meum, hic finis mihi propositus fuit, non ut qualemcunque gratiam inirem ab hominibus, sed ut piorum utilitati consulerem. Quod testimonium quum mihi reddat conscientia, cur hominum iudicia reformidem, ego sane non video. Mihi, sat scio, non iniqui erunt iudices qui diligenter omnia expendent: ac si quid a me erratum aut praetermissum est, facile cum fructu quem perceperint compensabunt. Vale. Genevae, 6. Cal. Ianuarii. M. D. LI.

1425.

PLATEANUS CALVINO.

Nunciat se libellum eius de vita hominis christiani gallice vertisse.

(Ex autographo Cod. Genev. 109, fol. 179.)

A Monsieur de Passel.

Petrus Plateanus [1]) Charollo Passellio S.

Hodie quum in pallatio nostro [2]) (n) de *Nor-*

1425. 1) *Petrus de la Place, al. a Platea, insignis iure consultus, advocatus regius in curia des Aides dicta et sub Henrico II. eiusdem summus praeses. Ex Santonibus oriundus apud Pictavos studiis operam dederat. Inter alia eius etiam theologica et ascetica scripta eminent*: Commentaires de l'estat de la religion et de la republique sous les rois Henry II. François II. et Charles IX. *septem libris comprehensi* 1565. 8. *Exstat eius vita autore P. de Farnace:* Brief recueil des principaux poincts de la vie de Messire P. de la Place. *Qui narrat eum Calvino innotuisse quum hic a.* 1534 *Ioannem du Tillet episcopum Meldensem adierit, et iam tunc ab eodem ad puriorem religionem amplectendam invitatum fuisse, neque sine ullo effectu, ita tamen ut ipse demum post Francisci II. mortem publice pontificiis sacris valedixerit. Quod Masson habet in Calvini vita, Ioannem illum Calvini comitem fugae fuisse Lugdunum usque, potius de eius fratre Ludovico valebit qui vel ultra progressus est. Plateanus periit in caede Parisiensi* 24. *Aug.* 1572. (*Bayle, Haag*).

2) *i. e. curia iudiciali.*

mandie[3]) mecum nescio quid colloqueretur de commentariis tuis in epistolam Pauli ad Romanos, allatus est ad eum literarum tuarum fasciculus, quem quum protinus explicuisset sese obtulit in ea superiore charta quae fasciculum tegeret scriptura quaedam quae de cognato Ioannis *Tillii*[4]) mentionem faceret, qua *Normannum* rogabas ut diligenter cognosceret, verumne esset quod ad te Ioannes *Tillius* scripserat: scilicet cognatum eius quendam in versionem Alcuini[5]) laborare. Ego vero (lupus, quod aiunt, in fabula) quum facile perspicerem me cognatum illum esse de quo scriberes, nolui committere ut alius de ea re ad te scriberet, quam is cui ea omnino perspecta esset. Sito itaque, ut rem ipsam intelligas, quod quum inter caetera opera tua saepius lectitassem opusculum quoddam cui titulus: Vita hominis christiana,[6]) in quo tam diligenter Christum edoces, me nondum ea lectione, licet frequenti, mihi satisfactum putasse, nisi et rationem aliam mihi praeponerem, qua diutius huic opusculo immorari et insistere possem, atque ea sane potissimum ratione me opusculi huius traductionem suscepisse. Cui tandem a biduo aut triduo finem imposui, tantundem facturus in opusculum illud tuum ad Romanos, nisi me onus viribus impar ab instituto revocet.

Habes itaque, doctissime *Passelli*, quod a *Normanno* petebas. Verum addam et illud unum, neminem mihi mortalium occurrere cui plus debeam quam tibi. Neque etenim sum immemor quantum me consuetudine tua atque eruditione, quum Engolismae[7]) essemus, meliorem reddideris, quantumque in dies singulos magis ac magis tibi debeam. Nec satis video quid in hac mortali vita pro immortalitate reddam. Atque utinam fieri posset ut tecum vel una diecula sermonem miscere possem. Vix enim credas quanta habeam quae in sinum tuum effunderem. Quid ita? inquies. Ludovicus *Tillius*, cognatus meus, quem semper pro praeceptore mihi assumpseram, cuiusque et eruditione et exemplo plurimum imbecillitati meae adferebatur, vere hodie in Galliam reversus est[8]) (Oedipum non Davum alloquor). Vix enim, mihi credas, me ipsum contineo quin defleam quoties horrendum illud cogito, praesertim quum hominem video, qui tantum luminis agnoverat, in tenebras palpabiles caecis oculis prolabi. Finem itaque faciam. Vale.[9])

Tuus Petrus Plateanus
iunior fratrum.

Literis meis deinceps subscribam: Petrus a Prato.[10])

3) *Nisi de alio quodam cogitare malis, dicas oportet Laurentium eo tempore aliquamdiu Parisiis egisse.*

4) *Vix de episcopo hoc dictum crediderimus, quem tamen etiam Farnacius huc trahit, sed potius de fratre eius natu maximo (qui erat greffier en chef du parlement de Paris) cf. Crottet, Corr. de Calvin avec du Tillet p. 8. De commercio epistolico huius viri c. Calvino alibi nihil, quod sciamus.*

5) *i. e. Institutionis Calvinianae, vide Prolegg. Opp. Tom. I. p. XXXIII.*

6) *sic. — Cf. quae de hoc tractatu diximus Opp. T. VIII. pol. p. XIV. Prodiit m. Iunio* 1550.

7) *Angoulême.*

8) *Cave hoc accipias de reditu L. Tilleti de quo N. 90. 99 etc. et inde annum scriptae epistolae definire praesumas. Oedipum lectorem sibi cupit autor, non Davum. Gallia haec est pontificia cui iam ille se totum addixit, citra omnem reditus spem.*

9) *Annum non aliter indicare possumus quam ex coniectura supra not. 6 iam significata.*

10) *Si postmodum alias Calvino scripsit epistolas, saltem non ad nostram aetatem pervenerunt.*

1426.

CALVINUS CRANMERO.

Laudat eius studia in reformanda anglicana ecclesia, nec tamen abs re putat vel sponte currenti calcar addere.

(Manu scripta non exstat. Edidit Beza Genev. 101, Laus. p. 224, Hanov. p. 250, Chouet p. 133, Amst. p. 61.)

Quando hoc tempore minime sperandum fuit, quod maxime optandum erat, ut ex diversis ecclesiis, quae puram evangelii doctrinam amplexae sunt, convenirent praecipui quique doctores, ac ex puro Dei verbo certam de singulis capitibus hodie controversis ac dilucidam ad posteros confessionem ederent: consilium quod cepisti, reverende Domine, vehementer laudo, ut mature apud se religionem Angli constituant; ne diutius rebus incertis, vel minus rite compositis quam decebat, suspensi haereant plebis animi. In quam rem ita omnes qui gubernacula istic tenent, communibus studiis incumbere oportet, ut tamen praecipuae sint tuae partes. Vides quid locus iste postulet, vel magis quid pro muneris quod tibi iniunxit ratione abs te suo iure exigat Deus. Summa est in te autoritas, quam non magis tibi honoris amplitudo conciliat, quam concepta pridem de tua prudentia et integritate opinio. Coniecti sunt in te bonae partis oculi, vel ut tuum motum sequantur, vel ut cessationis tuae praetextu torpeant. Atque utinam te duce aliquanto longius iam ante triennium progressi forent, ne tantum hodie negotii crassis superstitionibus tollendis ac certaminum restaret. Fateor equi-

dem ex quo serio refloruit evangelium in Anglia, intra breve tempus non parvas accessiones esse factas. Verum si reputas, et quid adhuc desit, et quam nimis fuerit in multis rebus cessatum, non est quod remissius ad metam, quasi magna stadii parte confecta, properes. Neque enim quasi te videam in opere assiduum,[1]) monendus videris, ne tibi quasi defunctus indulgeas. Sed, ut libere loquar, magnopere vereor, nec desinit metus hic recurrere, ne tot cunctando transigantur autumni, ut perpetuae tandem hyemis frigus succedat. Iam aetas quo magis ingravescit, acrius te stimulare debet: ne si rebus confusis mundo sit migrandum, magna te ex conscientia tarditatis anxietas constringat. Res confusas appello: quia sic correctae sunt externae superstitiones, ut residui maneant innumeri surculi, qui assidue pullulent. Imo ex corruptelis papatus audio relictam esse congeriem, quae non obscuret modo, sed propemodum obruat purum et genuinum Dei cultum. Interim totius ordinis ecclesiastici anima non spirat, vel saltem non viget, ut par erat: doctrinae scilicet praedicatio. Certe nunquam integra florebit religio, donec ecclesiis melius prospectum fuerit, ut idoneos habeant pastores, et qui docendi munus serio obeant. Id quominus fiat, occultis quidem artibus obsistit Satan. Unum tamen apertum obstaculum esse intelligo, quod praedae expositi sunt ecclesiae reditus. Malum sane intolerabile. Sed praeter illam dissipationem, quae nimis crassa est, non multo levius mihi videtur aliud vitium, quod ex publico ecclesiae proventu aluntur otiosi ventres, qui lingua incognita vesperas cantillent. Nihil dico amplius, nisi quod te approbatorem esse eius ludibrii, quod palam cum legitimo ecclesiae ordine pugnat, plus quam absurdum est. Quanquam autem non dubito, quin haec tibi subinde veniant ultro in mentem, et ab optimo et integerrimo viro D. *Petro Martyre*, cuius te consilio uti plurimum gaudeo, suggerantur, tot tamen ac tam arduae difficultates quibuscum luctaris mihi visae sunt sufficere ne supervacua foret mea exhortatio. Vale, clarissime Praesul, et mihi reverende. Dominus te diu conservet incolumem, spiritu prudentiae et fortitudinis magis ac magis locupletet, tuosque labores benedicat. Amen.[2])

1426 1) *Hic aliquis error latere videtur. Contextus contrarium flagitat.*

2) *De tempore scriptae epistolae ambigimus. Beza ei praemisit aliam ad eundem quae, nisi fallimur, ad m. Aprilem a.* 1552 *referenda est, ita ut hanc etiam recentiorem credere possis. Verum quum dicat Noster reformationem iam ante triennium in Anglia Cranmero duce inchoatam, et rex Eduardus m. Februario* 1547 *regnare coeperit, vix ultra a.* 1550 *progrediendum esse nobis visum est. Petrus Martyr cuius consilio Cranmerum uti solere ait m. Novembre* 1547 *in Angliam appulit. Bonnetus* (*ed. Edinb.* II. 341) *eam ad m. Iulium* 1552 *refert.*